BEGIN

Microfilmed By
The Library Photographic Service
University of North Carolina
at Chapel Hill

Rare Book
Collection

PA3895
.D4
1543
Folio

Aristoteles.
Simplicii commentarii in libros De anima Aristotelis. Quos Ioannes Faseolus Patauinus ex graecis latinos fecit: atque illustriss. & opt. Tridenti episcopo, ac principi Christophoro de Madrucio dicauit. Accesserunt autem et tres eiusdem Faseoli epistolae. ... Venetiis, Apud Octauianum Scotum, 1543.
CXLV numb. l. ~~30cm.~~ 30.7cmHanes sl

Printer's device on t.-p.

LL 8 recl 4-28-73
NcU

(Over)

1

2

ORIGINAL OWNED BY DUKE UNIVERSITY, PERKINS LIBRARY

CAMERA OPERATOR Gms

DATE FILMED 22 Mar 1999

CAMERA POSITION 2B

REDUCTION RATIO 12X

NOTICE: THIS MATERIAL MAY BE PROTECTED BY COPYRIGHT LAW (TITLE 17 U.S. CODE)

Microfilmed By
The Photographic Services Section
University of North Carolina Library At Chapel Hill

IRREGULARITIES

Missing Pages:

Pagination Incorrect:

BETWEEN CXXIX AND CXXXI.
BETWEEN CXXXVII AND CXXXIX.
BETWEEN CXXXIX AND CXLI.
BETWEEN CXLIII AND CXLV.

Missing Issues:

Missing Volumes:

Other:

STERLING
1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3
7.1

STERLING
METRIC

SIMPLICII COMMENTARII IN LIBROS DE ANIMA ARISTOTELIS.

Quos Ioannes Faſeolus Patauinus ex græcis latinos fecit: atq; illuſtriſs. & opt. Tridenti Epiſcopo, ac principi Chriſtophoro de Madrucio dicauit.

ACCESSERVNT AVTEM ET TRES EIVSDEM FASEOLI EPISTOLÆ. Quarum prima imperitos, inelegáteiſq; latinos interpretes deſerendos admonet. Altera vero Arabas quoq; relinquendos probat. At tertia ad bonas literas, probatiſimoſq; authores præclara ingenia, Ornatiſsimi viri Ioannis Baptiſtæ Campeii Epiſcopi Maioricenſis exemplo, hortatur.

Cautum eſt Priuilegio Senati Veneti, ne quis hunc Librum intra decennium imprimat uendat ue.

Jo: bap: bardinj et mor

Venetiis Apud Octauianum Scotum.

1543

ILLVSTRISS. VIRO CHRISTOPHORO DE MADRVCIO TRIDENTI ET EPISCOPO, ET PRINCIPI OPTIMO.

Ioannes Faſeolus. S.P.D.

RARA, atque præclara egregii adoleſcentis Aliprandri fratris tui indoles, quem quatuor abhinc annos: quo ſanè tempore hos Simplicii commentarios latinos faciebam: in græcis literis inſtituebam, in cauſa fuit: ut cum de te tum ex iis, quæ in eo uidebam: tum ex omni omnium ſermone optima, ac præſtantiſſima quæq; intelligerem: ſi iis unquam datum eſſet, ut in publicum prodirent: eos omnino tuo nomine præditos apparere uellem. Verum et illud quoq; confeſtim acceſſit: quod cum paulo poſt Venetias horum impreſſoribus tradendorum cauſa me conferrem: forte fortuna accidit, ut optimum uirum, medicumq; eximium, ac tui amantiſſimum Tremenum Perotium, qui eodem proficiſcebatur, inuenerim. Quem cum propter familiaritatem illam, quæ mihi cum eo intercedit: meæ huiuſce uolũtatis participem reddidiſſem: eam ſanè primo laudauit: deindeq; pluribus me ad id cohortatus eſt. At huiuſmodi poſtea tempora partim ex patris mei morte, partim ex aliis non paucis meis ſolicitudinibus ſubſecuta ſunt: quæ quod à me celerrime confectum fuerat: attamen adhuc penitus abſolui prohibuere. Quo omni tamen tempore ad id opinionis, quam de te conceperamus, tantum cumuli additum eſt: ut nulli non mirum uideri queat. Sed quis nunc de optimo, atq; præſtantiſſimo principe loquitur: qui te non omnibus exemplum ſtatuat? Quis omnium bonarũ artium fautorem nominat: qui te non cæteris omnibus anteponat? Quis iuſtior? Quis clementior? Quis populorum ſuorum amãtior? Quis omnis eorum utilitatis cupidior? Cæterum, ut alias præclaras animi tui dotes prætermittam: quis nunc in tam amplo dignitatis gradu collocatus reperitur: qui tecum diuinarum, humanarumq; rerum peritia comparãdus ſit? Admiratus equidem perſæpe ſum, cum et ex aliis permultis, et ex præſtantiſſimo in primis medico, atq; adeo iam ferè his temporibus medicorum parente ac principe Franciſco Frãcmelecha, audiuiſſem: quo ſtudio, et qua animi alacritate, cum tibi per occupationes, quas in maximo imperio maximas eſſe quilibet facile ſibi perſuadere poteſt, datum eſt: literis, ac libris incumbas: et quàm docte, quàm copioſe, quantaq; cum omnium admiratione de abditis, reconditisq;, atq; difficillimis rebus uerba facere ſoleas. Incredibili etiam afficiebar lætitia ex fama illa, quæ tacita iam eſſe non ualet: qua unus penè rectorum ſtudiorum amator, ſtudioſorum adiutor, ac bonarum literarum defenſor ubiq; prædicaris. Nam de pietate religione, ueraq; ſanctimonia, quæ in te eluceſcit: quid plura commemorem? Quam maxima enim indicia afferri poſſunt. Sed illud grauiſſimum, ac certiſſimũ abſq; ulla dubitatione exiſtit: quod in his adeo diuturnis, et adeo moleſtis chriſtianæ reip. controuerſiis, una, cui tu præſis, ciuitas, ad eas conciliandas, ac tollendas delecta fuerit: et ad te in primis earum diiudicandarum arbitrium deferri, omnes arbitrati ſint. Quod cum aliis permultis de cauſis, nobis admodum gratum, atq; exoptatum fuit: tum quia non paruam disputationem futuram aud. uimus, de iis omnibus latinis, græciſq; ſcriptoribus: qui eloquentiæ, politioriſq; omnis doctrinæ nobis magiſtri, ac doctores exiſtunt. Quos nonnullos reuera barbaros, et cui uſq; humanitatis expertes omnino delere conari, multi dicunt. Quod quæ animorũ feritate, immanitate ue illi ſunt: libentiſſime perfecturos mihi perſuadeo. Nam hac quoq; ratione, quæ eorum impietati, falſæq; inductioni aduerſantur, deſtruerent. Verum te, tuiq; ſimilibus iudicantibus, quid hac in cauſa aut illis ſperandum, aut nobis timendum eſt? Noſti enim profecto horum ſcriptorum uim, noſti copiam, ac tum uerborũ, tum ſententiarum ornamenta: noſti et præceptiones. Quæ licet ad uerum finem Chriſtianum hominem non perducant: at neq; procul ab eo ipſum abducunt. Atq; adeo ſi recte conſiderare uelimus: tametſi aliquando quædam in horum libris inueniãtur, quæ cum delectationis cauſa literis mandata ſint, ad licentiam quampiam animos noſtros deducere uidentur: attamen et non pauca ibi extant, quibus ad uirtutis, laudabiliumq; actionum, ac contemplationum iter, adduci poſſumus. Quare haud ſanè intelligo, cur paruarum quarũdam offenſionum gratia, nos iis et ſciendi, et loquẽdi præceptis priuatos uelint. Verum quando haud is huius quæſtionis tractandæ locus eſt: hanc nunc omittam: atque eò, unde mea fluxit oratio, reuertar. Nam, ut uel in ipſo huiuſce epiſtolæ initio, dicere inſtitueram: cum exercitationis, atq; amicorum quorũdam cauſa in prima illa ætate hos Simplicii cõmentarios latinos feciſſem: haud nẽpe de eis emittendis, quicquã in animo habebam. Poſtea uero, cũ amiciſſimorũ hominũ precibus parendũ mihi uiderem: uel ob ea, quæ de te, tuaq; in omni uirtutũ genere præſtantia, una omnium uoce prædicari audiebã: uel ob excellentẽ lectiſſimi iuuenis Aliprandri fratris tui probitatem: quem intuens, ſingularem quandam tui imaginem intueri mihi uidebar: te eum eſſe duxi, cuius nomine, et authoritate fretus hos ederem. Quod nõ ſolum aliorum multorũ exemplo mihi faciendum fuit: qui ita ſuos libros foras dare cõſueuere: ſed et ob eam præſertim cauſam, quod in complu-

64 1614

rium reprehenſionem meas has lucubrationes incurrere animaduertebam. Aderunt enim iniquo, iratoq; in me animo et iuniores, et ſeniores iſtorum temporum philoſophi, magnæq; in primis, ac pertinaces eorum, qui, aut Ioannem illum Scotum, aut Diuum Thomam ſequuntur, cateruæ. Quorum nonnullos ob imperitos, inelegantesq; latinos interpretes, eorumq; duces à me reprehenſos, mihi infenſos uoui. Alii uero exiſtunt, qui meum illud Arabum deſerendorum conſilium, nulla ratione pati queunt. At cum magnam partem politiorum literarum penitus ignari ſint: qua animi æquitate meas ad bonas literas cohortationes ſuſcepturos, putandum eſt? Malunt etenim hi: quod cõmune ſemper uitium fuit: quæ callent didiciſſe, q̃ ea dediſcendo, alia ſibi nunc exacta iam ætate diſcenda proponere. Infantiáq;, atq; imperitiam ſuam ita amant: ut neminem niſi in illa ſua face, atq; infelicitate doctum futurum exiſtimẽt. Sed neq; horum omnium ſolum impetus mihi excipiendi erunt. Nam et illi altera ex parte urgebunt: qui in tenuioribus quibuſdam dictionibus omnem rerum cognitionem collocarũt. Meq; puri, ac ſyncери latini nitoris profeſſorem, non recte nonnunquam latine locutum aſſerent. Quippe cum et locutionibus quibuſdam haud admodum apud antiquiores illos celebris uſus interdum ſim: et uocabula forſan nonnulla in meis his ſcriptis reperiantur: quæ iuniorum philoſophorum potius uſum, q̃ incorruptum illum priſcorum ſermonem oleant. Quibus paucis id reſponſum datũ uelim. Quod ut ueriſſimum eſt: ita præſtantiſſimorum uirorum authoritatibus munitur. Nam in rebus nouis, nouorum nominum copiam acquirendam eſſe, nullus eſt, qui neſciat. Et latinam linguam iis terminis, ac quaſi cancellis circũſcriptam, ut iam latius uagari nequeat, nequaquam concedendum eſt. Vnde tum in ſimplicibus uerbis, tum in eorum coagmentationibus me aliquid auſum eſſe non nego. Licet neq; eam ob cauſſam me ita progreſſum putem: ut quicquam quod tolerari non poſſit, inducere uoluerim. Cæterum illis, quibuſcum propter ea, quæ in meis epiſtolis conſcripta ſunt, mihi controuerſia eſt, qua ſanè ratione obſiſti poteſt? Videntur enim latinos, atq; Arabas tueri: uidentur philoſophiæ cæterarumq; facultatum doctores defendere: uidentur hos de antiqua poſſeſſione ſua depelli non ſinere: uidentur præterea et ipſi non parum de cauſa noſtra ob ſuorum illorum principum nomina detrahere. Vbinam locorum igitur conſiſtam? Quo confugiam? Quaue ratione his obuiã prodire audeam? At prodibo nempe: atq; eius principis iudicio, ad quem nunc ſcribo confiſus faciam. Mihi nanq; dubium eſſe non poteſt, quin tua ſententia ſupertor diſceſſurus ſim: cum me ita malos latinos, ac barbaros interpretes oppugnare noueris: ut ad præſtantiſſimos, atq; optimos quoſq; præclaros iuuenes traducere exoptem. Ita ſuperiorum temporum barbariem uituperare uideris: ut ad rerum notitiam cum eloquentia coniungendam mortaleis quidem omneis, ſed rara in primis ingenia inflammem. Quæ ſanè q̃ pulchra, q̃ utilia, q̃ laudabilia, q̃ hominum generi honeſta futura ſint, quis iam in dubium reuocare audeat? Paululum iam nonnullis abhinc annis bonæ artes, quia cum bonis literis ſocietate miniere: ſeſe exercuerunt. Quid ergo de illis temporibus ſperandum eſt, cum ſine ornandæ, ac collocupletandæ orationis peritia rerum cognitio nulla erit? Quod tamen haud antea fore mihi perſuadeo, q̃ opt. ac propè de cælo delapſi tui ſimiles principes imperitis, atq; ineptis doctoribus ſublatis, eos uiros deligent: qui ita ſapientes ſint: ut et ornate loquendi facultate præſtent: neq; hanc ſine maximarum rerum doctrina ſibi aſciſcendam duxerint. Cuius quidem rei iam ſigna non dubia ſeſe oſtendere incipiũt Sed quanto ulterius progrediemur: tanto abſq; ulla dubitatione apertius ſe indicabunt. Tu uero interea opt. atq; rariſſ. princeps, et in ueſtigiis iis, in quæ ingreſſus es, perſta: et intereos, qui bonas literas in priſcam dignitatem reſtituere debeant: principatum expecta. Hoſq; meorum ſtudiorum primos, ac nondum maturos fructus ita excipe: ut mihi ad præclarius, perfectiusq; aliquid aliquando pariendum, dux atque author ſis. Vale.

IOANNES FASEOLVS BONARVM LITERARVM STVDIOSIS, S. P. D.

DVbius equidem ſum, utrum plus gratiæ apud uos mihi comparaturus ſim: quod ueſtra cauſa id reprehendendorũ malorum interpretũ onus ſuſceperim: an odii apud eos qui propter ſectas, quibus ſe addixerunt, me id ſuſcepiſſe, inimiſſimo animo ſunt laturi. At hæc mecũ reputans ea profecto ſpe confirmor, quod cum uel omneis omnium maleuolorum uituperationes cũ unius præſtantis ingenii beneuolentia nequaq̃ cõparandas ſciam ſi ex uobis ulli extiterint, qui hæc eo animo, quo à me tractata ſunt, excipiant: illud futurũ confido: ut et ego meæ erga uos uoluntatis amplisſima præmia conſequar: et uos nõ ſine maximo ueſtro emolumento mihi gratias habeatis. Quod uos tunc facturos puto: cũ relictis obſcuris, ac deuiis eorũ itineribus, eò accedetis: ubi abſq; ulla difficultate, et abſq; ullis ſalebris ad pulcherrimarũ rerũ cognitionem peruenire poteritis. Cuius quidem rei una eſt ratio: quam nunc uobis propono, ut imperitos, atq; ineleganteis interpretes deſeratis: et politos, atq; doctos ſcriptores in manus ſumatis. Quod ſi efficiendum uobis uidetur: meas has epiſtolas quæſo perlegite. Nam ex iis, et quibus in tenebris maiores noſtri errarint: et q̃tum luminis ſe nobis oſtendat, cognoſcetis. Duo nanq; cum ſint: quibus homines cæteris animantibus antecelluntur: intelligendi, atq; eorum quæ animo concepta fuere exponendi ratio: quorũ alterum Sapientiæ, alterum Eloquentiæ nomine ſignificari ſolet: hoc neglecto in priori illo uim oẽm maiores noſtri collocaſſe uidentur. Vnde et rerũ peritiã ſibi aſciſcunt: ſe harum tum cãs, tum euentus noſſe profitentur. Apte uero, ornate, ac copioſe loquendi facultatem aſpernantur. Quod ſi et rerũ cognitionem, quam uel ſolã plurimi æſtimandã eſſe cõcedo: apud hos nullã ferè reperiri oſtendero: et dicendi laudem minime ſpernendã probauero: nonne et hos turpiſſime lapſos, et eorum inepti as fugiendas eſſe, luce clarius patere poterit? Antea uero q̃ ulterius progrediamur: ſiquid uel ex ſcriptorũ multitudine, uel ex hominũ imperitia, uel ex annis quos uixerũt, uel temporũ beneficio, uel ex inſigni aliquo dignitatis, nacti ſunt authoritatis, ea, quo abſq; ullo impedimento ueritas appareat, remoueatur. Interpretati igitur Ariſt. libros ſunt Albertus, Egidius, Burleus, Sueſſanus, horũq; conſimiles non pauci. In quorũ interpretationibus, ut cuilibet notum eſſe põt: illud earum uidetur propoſitum: ut oẽm oratioris ornatum, atq; adeo purã, ac integrã oẽm latinitatem deſpiciant: et ſe rerum ſolum explanatores profiteãtur. In quibus tñ ita plerunq; ſunt: qui adeo ab illius philoſophi mente, et intelligentia aberrent: ut alia oĩa nouerint, præter ea, quæ is declarare uoluerit. Quod ibi locorum præſertim ita accidit: ubi maiora, præſtãtiora, ac diuiniora traduntur. De mentis noſtræ immortalitate quotuſquiſq; ex his exiſtit: qui noſtrum Ariſtot. non longe ſecus, ac ſenſerit: ſenſiſſe dicat? Conſulamus Simpliciũ, Conſulamus Themiſtiũ: q̃ apud eos oĩa certa, ac perſpicua ſunt, intelligemus. Sed quid unum uobis locum cito? Sexcenti alii ſunt: in quibus ſe nullã Ariſtot. ſenſorum cognitionem adeptos præſeferunt. Quare ſi quæ omnibus in promptu ſunt, tantum ii aſſequi uidentur: quæ uero obſcuritatis aliquid hñt: lumenq; deſiderant: hos omnino fugiunt: Græciq; cõtra nihil non rectiſſime, atq; ueriſſime explicant? Cur hos neglectos, in illiſq; operam noſtram conſumptam malumus? Cæterum hic illud tenendum aiunt: quod in exponendis Ariſtot. ſententiis, Græcis ſanè palma eripi non poteſt: at dubitandi rationes ſunt: quæ Latinos magnopere commendent. Nam illi neq; admodum frequentes in his ſunt: neq; huiuſmodi apud illos: cuiuſmodi apud noſtros dubitatiões reperiuntur. Quorum utrunq; ueriſimum eſt. Licet alterum haud magni faciam: alterum penitus aufugiã. De illa nãq; dubitationum multitudine ualde ſolicitus non ſum. Satis mihi ſuperq; exiſtit: quod à Græcis ad dubitandum cum pulchra quæpiam occaſio oblata eſt, excitor: neq; omne meæ uitæ tempus in his conterere cogor. Genus autem illud earum dubitationum, quæ à Latinis inductæ ſunt, prorſus deuito. Scitum etenim peripateticorum principis in primo naturalium auditionum: Scitum et Philoponi in eiuſdem libri expoſitione dictum extitit. Quorum alter ex unius abſurdi poſitione facile permultain de ſequi aſſeruit: alter ambiguitatem quamplurimorum errorum fontem atq; originem eſſe dixit. Ariſtot. enim abſoluta, atq; rotunda ſcripta noſtri intellectione ſua nõ aſſequentes, ex peſſimo, ac turpiſſimo hoc ambiguitatis genere: et ut aperte rem oẽm enunciem, ex imperitia ſua ad dubitandum feruntur. Quo abſurdo poſito in ineptiſſima quæq; delabuntur. Teſtificari id proxima, quæq; hæc præceſſerunt, tempora poſſunt: quibus quid nugarum? quid ſtultitiæ? quid imperitiæ uiguerit? quis eſt, qui ignoret? Noſtra uero hæc ætas iam oculos aperire, Græcorum luce prodeunte, cepit. Vnde et illa quoq; aliqua ex parte euanuerunt. Quod haud ſanè uobis mirum uideri debet: nam et illud crebro à permultis uſurpari ſolet: quod ab Ariſtot. ut opinor, emanauit: qui rectam ipſarum rerum intellectionem, dubitationum omnium diſſolutiõem eſſe pronuntiauit. Quapropter ſi ex Græcorum expoſitiõibus, quæ re uera ab Ariſt. traduntur doceor, ſi inde rerum ueritatem agnoſco: ſi ex hac notitia difficultates omneis tollere ualeo: ſi ex hac uel ex animo, uel alia quacunq; ratiõe abunde dubitare queo: quid

præter hos, alios, præsertim nihil ferè prædari dicentes, requirere debeo? Verum proximas ætates hãc Græcorum utendorum facultatem non habuisse respondent: hancq; ob cãm neq; eas hanc uiam secutas dicunt. Quibus si infelicitatem suam mouerunt: et huiusce rei deprecationem petunt: facile hanc concedo. Sed ea lege, ut ineptas, indoctas, ineleganteis, ac barbaras illas suas expositiones in tenebris abdant: è hominũ conspectu auferant: neq; bonos adolescenteis in iis meliores annos, ac illum ætatis florem cõsumere permittant. Quod si hac in luce degere uelint: aut alia paranda, aut quæ à me hactenus dicta: quæq; mox dicentur, confutanda. Verum qñ quantopere in rerum cognitiõe, quam tamen omnem sibi uendicant: nostri isti inanes, atq; contemnendi sint, à me ostensum duco: ad ornamenta orationis, quæ omnino necessaria existimanda sunt, me confero. Quod tametsi ex eorum amplitudine, ac dignitate, ex ui, ac natura, ex hominum opinionibus, antiquorum authoritate, atq; usu, aliisq; plurimis huiusmodi rationibus comprobare possem: attamen ne longior sim: hæc oĩa prudens, sciensq; prætermitto: et nouam quandam, uobisq; neq; inutilem, neq; iniucundam uiam in eo. Ægyptios nanq;, atq; Chaldæos, apud quos diuinarum, humanarumq; rerum notitia penè nata uidetur: iis rationibus usos fuisse compertimus, ut commentis, ac fabulis quibusdam eam, tanq; tegumentis contexerint: itaq; contectam, aliis tradiderint. Quos imitatus Pythagoras est: qui tum numerorum, tum solidorum figuris eam abdidit. A quo ne Plato quidem lõgius recessit: qui illius uiri inuenta sua imitatione cõmendauit. Aristo. uero diuinum illud ingenium hæc oĩa mutauit: apud quem non umbras, neq; imagines, ac simulacra reperies: sed res pura, ornataq; oratione, expositas uidere poteris. Iametsi et is quoq; suam illam uel breuitatem, uel, ut ego dicere, soleo, scribendi perfectionem excogitarit: quæ tum amabilem, tum admirabilem se nobis præbuit. Quæ quidem oĩa haud aliam ob causam à sapientissimis uiris inuenta fuisse mihi persuadeo: nisi quo et eorum animi, qui ad rerum cognitionem apti non essent, penitus remouerentur: et qui ab iis diuersi multo magis accenderentur: et præclarissimarum rerum cognitio iis seruaretur: quibus in primis conueniret. Id quod nobis quoq;, nostrisq; maioribus curæ esse debebat. Nam neq; rara, atq; præclara ingenia ab iis studiis amouenda: neq; tarda conuocanda: neq; scientiarum fores omnibus patefaciendæ. At exornandæ orationis facultate contempta, et præstanteis iuuenes abalienatos, et stultos incitatos, et omnia omnibus recusa uidemus. Quotus quisq; nanq; qui ingenio uiget, his temporibus extitit: qui cum aut Dialecticæ, aut alicui ex philosophis operam nauare studuerit: ad aliquemq; horum doctorum accesserit: inceptas illas degustarit: neq; hinc, tãquam ex turbidissima tempestate aufugerit? Rursusq; quis adeo rudis, adeo hebes, ac impolitus, qui in illo cæno, in illa fece, se palmarium consecuturum non sperarit? Noui sanè pleroſq;, qui hanc ob causam, aut maiora studia deseruerint, aut ad ius ciuile se contulerint. Quare cum neq; amplius illæ Ægyptiorum fabellæ, neq; Pythagoræorum, Platonicorumq; numeri ullo in numero esse possint: neq; diuinã illam Aristoteliam scribendi rationem assequi queamus: illud reliquum est, ut ornandæ orationis laudem, loquendiq;, ac scribendi nitorem, splendoremue omnibus uiribus retineamus. Quod si reipsa præstare uoluerimus, et magna latinorum interpretum pars abiicienda: et Græci omni diligentia uersandi. Cuius quidem rei facilius illi compotes erũt, qui græcas literas exacte nouerint. At cum et Aristot. tam omnia ferè scripta, ci huius interpretum, aliorumq; non paucorum libri latini facti sint: uel qui eas non didicerint, non parum in iis se exercere poterunt. Quod si uos quoq; studiosi adolescentes, qui esse debetis, eritis, illud uobis polliceor, in meq; recipio: quam primum eos in lucem exituros, qui non inania, ac barbara doceant: sed præclarissimarum, atque abditissimarum rerum notitiam cum summa eloquentiæ laude coniungant. Quod uel facilius uobis datum iri confidite. Si et horum temporum principes sti erũt, qui studiosorum commodis, dignitatiq; hilari, ac prompto animo seruire cupiant: et stulto intelligens quid interest, perspiciant. Valete. Meq; amate.

PROOEMIVM ERVDITISSIMI SIMPLICII

In libros de anima Aristotelis Ioanne Faseolo Patauino interprete.

MAXIMO sanè studio digna, ea quidem primum veritas est, quæ de anima traditur: siue res ipsas, siue alia permulta respicias. Quæ tantum conuenientiæ, atque affinitatis nobilcum obtinere videtur: vt aliis omnibus antecellat. Deinde vero & eorum cognitio eiusmodi est: quæ abiis diiudicata sunt, qui ad summum scientiæ fastigium peruenére. Quas equidem ob causas, & omni diligentia hanc Aristotelis tractationrm, quæ de anima inscribitur, complectendam puto. Nam licet præceptiones, contemplationeq; non paucæ, ac diuinæ à Platone de ea nobis concessæ fuerint: attamen abunde à Platonis interpretibus tractantur, atque explicantur. Verum cum Aristoteles is extiterit: qui hác tractationem de anima absoluerit: vt & Iamblicho præstantissimo veritatis iudici videtur: multæ reperiuntur inter eos, qui hæc, quæ ab eo scripta sunt, dilucida reddunt, dissensiones. Quæ non solum ad Aristotelicarum dictionum expositionem pertinent: sed ad ipsas res, vel maxime, uergunt. Quapropter mihi quoq; visum est, inuestigandum, literarumq; motu mentis mandandum esse philosophi consensum. siue ipse secum, siue cum veritate conueniat. Ita tamen, vt quibus in locis aliis aduersetur, obseruem: ac quæ mihi in controuersia aliqua posita videbuntur, tum perspicuis Aristotelis decretis, tum dilucidis eius verbis comprobem: vbique sanè rerum veritatem, quo ad eius fieri poterit, complectens: ac Iamblichi expositionem. ex eius ipsius de anima commentariis sequens. Studium itaque, atque propositum id nunc unum nostrum est. Quare non sine eius numine, qui animarum, discipli narumq; omnium causa est, presens opus aggrediamur. Aristotelis nanq; mens aperte patet: quod de anima agere, ac loqui velit. Inuestigabimus autem postea, vtrum de omni anima agat. & propter quam quoque causam nullum de corporum cœlestium anima verbum, facere videatur. Nam antea inquirendum à nobis est, vtrum naturali philosophiæ, aut superiori contemplatio de anima conueniat. Admodum enim id vtile est ad comprehendendam substantiam iplius animæ: nunquid naturalis vlla ratione sit: an præstantior: an quodam modo utriusque particeps existat. Quoniam igitur haud simpliciter, atque inconsiderate de his quærere Aristoteles uidetur: sed & causas quoque admouet: ut ipse in libris de animalium particulis demonstrat: ideo describendum, atque exacte, quod ab eo dictum fuit, tractandum. Nam cum illud philosophus sumpserit: quemadmodum à naturali non solum materia, sed forma quoque cum in aliis, tum in animalibus considerandæ est: infert. Si sanè hæc est anima: aut animæ pars, aut non sine anima. Quia ubi ea recesserit, nequaquam præterea animal est: neque ulla ex particulis eadem erit: excepta sola figura, vtea, quæ in lapides conuersa feruntur. Sin autem hæc ita sese habent: ad naturalem de anima loqui, atque cognoscere spectabit. Licetque haud de omni: ac id ipsum inspiciendo iuxta quod huiusmodi animal est. Et quid anima sit: aut ipsa particula: & in iis quæ acciderunt circa huiusmodi substantiam, iustrui, atque erudiri debet. Præsertimq; cum & natura dupliciter dicatur: & cum sit altera quidem tanquam materia: altera uero tanquam forma: quæ etiam est, & tanquam mouens, & tanquam finis. Huiusmodiq; sit animalis, aut omnis anima, aut aliqua eius particula. Quare & hac etiam ratione, qui, quæ de natura scribenda sunt: contemplatur: de anima potius, quàm de materia loqui debet. Nam multo magis materia propter eam natura est, quàm contra. Lignum enim lectulus, ac mensa est: quia potestate hæc est.

D bó. Dubitare autem aliquis posset, in id quod dictum fuit intuens: vtrum de omni anima naturali loquendum sit: aut de quadam. Nam si de omni, philosophia nulla præter naturalem scientiam reliqua est. Intellectus enim intelligibilia requirit. Quare cuncta naturalis cognitio contemplaretur. Ad eandem etenim de intellectu, atque intelligibilibus contemplationibus agere pertinet. Siquidem hæc sub eandem rationem cadunt: atque eorum omnium quæ sub eandem rationem cadunt, eadem consideratio est. vt & in sensu, atque iis, quæ sentiuntur, patet. Nunquid autem non est omnis anima motus principium? neque particulæ omnes? Nam accretionis illud quidem est, quod & in plantis reperitur. Alterationis autem, quod sentiendi vim habet. Lationisq; aliud aliquid. Haud autem, quod intelligendi facultatem obtinet. Inest enim latio & in aliis ab animalibus. Cogitatio vero nulli eorum adest. Patet itaque quemadmodum de omni anima loquendum est. Neque enim omnis anima est natura: sed vna quæpiam eius particula: aut & plures. In his autem determinatum fuit: quod ipsum quidem esse animæ ex naturali philosophia cognoscendum est. Quatenus ipsa animalium forma est: forma, inquam, quæ animalia, quatenus animalia determinat. De qua etiam dubius noster Aristoteles est: siue animam, siue particulam animæ, siue non sine anima appellare oporteat. Quatenusq; augendi, atque sentiendi vim habet: & motus secundum locum causa est. Nam quatenus intelligens existit: se primæ philosophiæ cognoscendam præbet: quæ intelligibilia ipsa cognoscit: & intellectum, etiam illum, qui intelligibilium contemplandorum vim habet. Neque eum tantum tractat qui seiunctus est: sed & eum, qui in nobis reperitur. Nanque ea intellectui huic, qui in nobis est, intelligibilia sunt. Quodque intelligendi vim habet, atque intelligibile ipsum, cum mutuo inter sese referantur: ab vna, atque eadem scientia considerantur. Quemadmodum quod sentiendi vim obtinet, & quod se sensibus sentiendum offert. Ideoq; neque naturalis pure, atque syncere contemplatio ista de anima est: neque iis simpliciter ascribenda, quæ post naturalia dicuntur: sed his ambobus scientiis connexa. Vt & ab Aristotele in his determinatum fuit. Nam cum in latitudine quadam naturalem, ac post naturalem philosophiam Aristoteles collocarit: alteram quidem ad animam vsque deducere, alteram vero subducere videtur. Quoniam dilucidum est, quod neque iuxta naturaleis corporum formas, anima terminus, qui substantialis dici debeat, existit. Illæ nanque tanquam corporum: hæc autem tanquam animalium forma est. Atque illæ principia sunt, vt moueantur. Hæc autem quæ moueat. Illud enim ex seipsis moueri, animatorum proprium est: vt in octauo naturalis auditionis dictum fuit. Neque intelligens illud animæ huiusmodi est: cuiusmodi quæ supra naturam: & quæ pure impartibilia: quæ penitus firma, atque stabilia, & quæ exacta, ac syncera. Ideoque siquis in extremis philosophias statueret: ita vt altera ex parte naturalis, ex altera vero quæ post naturalem sequitur, collocetur: hæc de anima media inter vtranque futura est. Idque ei euenit dum in latitudine, atque adeo in profunditate considerata fuerit. Quatenus intelligens animæ pars ab ea, quæ sentiendi vim habet: quæque naturalis est, distincta, ac disiuncta est. Patet quemadmodum scientia de anima huiusmodi existit. Quandoquidem & ipsius animæ substantia huiusmodi est: vt media inter naturalia, atque ea, quæ naturam superant, dici queat. & quia aliquid quidem habet, quod cum iis quæ naturam superant, ei commune sit: aliquidq; quod ad ea, quæ natura sunt, vergat. Tametsi id alio quodam modo sese habeat: quem ratio indicare posset. Quoniam & Aristoteles id ipsum inuestigat: qui concludens in iis, quæ dicta sunt, inquit. Patet, quod haud de omni anima loquendum, naturali profecto. Neq; n. omnis anima est natura: sed quæpiã vna eius particula, aut & plures. Quãdo igitur ipse quoq; de intellectu animæ: nõ autem de eius naturalibus solum particulis, sermonem habet: dilucidum est, quemadmodum non est simpliciter naturalis, tractatio de anima. Hæcq;

Responsum.

Quæ præcesserũt codicis mãu scripti, meoq; beneficio habes: nã in Aldino desiderantur.

iam

ſam apud nos concluſio certa, firma, atque fixa ſit. Propoſitum autem eius id eſſe videtur: vt de ea tantum loquatur anima, quæ in mortalibus animalibus reperitur. Ne verbum quidem enim vnquam, de corporum cœleſtium anima facere videtur. Niſi quatenus notam inurit mathematicis illis. Timæi de ea demonſtrationibus. Ac forſan Platonicis contemplationibus: quippe quæ ſatis ſuperque ea de re diſſerant: ſibi acquieſcendum putauit: aduerſus Timæum id totum modo afferens, quod haud iis, quæ ex mathematicis teſe oſtendunt, atque apparent, hærendum ſit. Forſan autem & propter ea, quæ de præſtantia noſtri intellectus dicta fuere: ſilentium agit. Tanquam ſtatuens ad cœleſtem quoque animam illa eadem referri poſſe. Animam etenim vniuerſi, huiuſmodi profecto eſſe debere, inquit, cuiuſmodi eſt: qui dicitur intellectus. Neque enim qualis anima, quæ ſentiendi, aut, quæ appetendi facultatem obtinet. Vniuerſi nanque anima, ratio pura, atque intelligens eſt: quæ tota per ſeipſam totam abit, immixta ſecundarum iſtarum vitarum reſpectu. Quoniam neque ad corpora accedit: neque ipſa corporum exiſtit. Sed corpora ipſa exiſtunt, vel ea in ſeipſa manente. Ideoque in circulum eius latio fertur: quod propter conuerſionem eius totius in ſeipſam totam fit. At neque de variis, atque diuerſis humanæ animæ euentibus: aut de permultis illis opinionibus, quæ nobis occurrunt, quidpiam philoſophus noſter tractaſſe videtur: quia ſciebat à vero illo principe de his exactum atque abſolutum habitum fuiſſe ſermonem. Cæterum cum neque tanquam inſeparabilem à corpore animam ſtatuat: cauſam affert, in tertio libro, propter quam, ſeparabilis illius vitæ haud recordemur: quippe qui profecto & anteaquam ad corpus accedamus, ſimus. Verum cum de ea ſola anima in primis agat, quæ in mortalibus reperitur: nullam eius poteſtatem, & ſubſtantiam illaboratam dimittit. Sed primo quidem communiter omnibus formalem cauſam tribuit: haud tamen tanquam corporum: ſed tanquam inſtrumentorum viuacium. Natura nanque ea eſt, quæ tanquam corporum formalis cauſa eſt: non autem anima. Quæ vero tanquam viuax inſtrumentum effingit, aut anima, aut animæ pars, aut non ſine anima. Atque hæc quidem vna formalis cauſa eſt: ex qua, quod forma affectum ſit, viuaciter moueri pote eſt. Altera vero ea eſt, à qua mouetur. Ab anima enim, animal mouetur: quemadmodum à gubernante, nauigium. Diuerſaque quodam pacto hæc, vt viſuri ſumus, eſt: quæ viuaciter mouet, ab ea ex qua, quod ita mouetur, determinatur. Quandoquidem ipſum mouens nequaquam cum eo, quod mouetur, idem eſt: ſed ex ſe diſtinctum eſt. Mouetur autem viuacibus motibus, vt ambulatione, & volatu, & reſpiratione, non corpus ipſum ſimpliciter: ſed viuens corpus. Viuens autem eſt, ex vita, quæ in ipſo exiſtit. Quare ex ea quoque viuaciter mouetur. Quoniam igitur & ipſum mouens in animali anima eſt: vtrum eadem, cum ea, ſecundum quam mouetur? An impoſsibile eſt? Nam & totum quoque animal ſecundum eam forma afficeretur, tum quòd mouet, tum quòd mouetur. Neque, quemadmodum Ariſtoteli videtur, anima quidem moueret: animal autem moueretur. Inſtrumentumque præterea ab eo diuerſum eſt, quod ipſo vtitur: vnde & forma, quæ eam habet vim, vt tanquam inſtrumentum formet, atque effingat, ab ea diuerſa erit, quæ vtitur. Illaque etiam quæ vtitur actus eſt, quemadmodum nauta nauis. Duplex nanq; eſt actus: alter quidem iuxta quem eſt nauis: alter vero, vt nauta. Primo itaque, vt iam dictum fuit: omnibus mortalium animalium animis, formalem earum cauſam Ariſtoteles tribuit: quæ duplex eſt. Deinde vero & vnamquanque pertractans, ſimul quidem earum diuerſitates tradit: ſimulque & quod communiter omnibus ineſt, ſingillatim contemplatur. Atque alias quidem magis ad id, quod inſtrumentarium eſt, vergere: alias vero magis propè id, quod vtatur, ſtare videt. Omnemque animam inſtrumentarii corporis actum eſſe aſſerit. Licet haud oẽm, iuxta oẽm ſui ipſius vim intelligat. Nam manifeſte intellectus huiuſmodi eſſe dicitur: vt nullum cohibeat, atque coagmẽtet

corpus: neque corpore tanquam inſtrumento vtatur. Hancq; ob cauſam neque etiam hebetatur: cum à præſtantiorum intellectione ad ea, quæ minora ſint contemplanda accedit: quemadmodum ſenſus: qui corpore ipſo tanquam inſtrumento vtitur. At exacte præterea Ariſtoteles noſter diiudicat, quæ ad intelligentem animæ facultatem ſpectat. Nam alteram quidem in actione collocatam nouit: quæ imaginatione etiam vtitur: quæ non ſine vita corporum formam referente, quo ad minorem propoſitionem ſpectat, exiſtit. Altera vero ea eſt, quæ in contemplatione poſita eſt. Quæ etiam duplex eſt. Nam altera propè eam actionem permanet, quæ à ſubſtantia ortum habet. Quæ aut imperfecte ſeſe habet: aut iam perfecta eſt, & aut in id, quod primo modo dicitur poteſtate propter imperfectionem decidit: aut iuxta id, quod licet poteſtate ſit, attamen perfectiori quadam ratione eſt, ſtat. Aut & iuxta id, quod actu. Quæque imaginatione quidem non vtitur: ſed ipſam conſequentem habet. Ita, vt vna cum contemplatione illa agendi vim habente, cum progrediatur, atque à ſubſtantia recedat: illa quoque ſimul moueatur. Altera vero propè actionem eam, quæ firma, atque ſtabilis eſt, permanet. Quæ etiam in vnum & idem actionem cum ſubſtantia contrahit. Iuxta quam & ſeiunctum illum intellectum imitatur. & ſua ex ſubſtantia actus eſt. ex quo ſolo eſt immortalis: quippe cum per eum cum perpetuis illis connectatur. Atque eiuſmodi exiſtit: vt ſemper permanens illud obtineat. Verum purum, atque excellum in ſeparabili illa vita. A ſe ipſo autem quadam ratione recedentem in impetu, atque appulſu ad ſecunda iſta. Tametſi neque huiuſmodi exiſtit: vt nequaquam permanens ſit. Eſt quidem igitur & tunc firmum, atque ſtabile ſecundo loco. Nam quod modo in hanc, modo in illam partem vergit, nequaquam immortale eſt: tanquam id, quod mutatur: & quod in ſeparabili illa vita non adſit. Verum cum diſtinxerit etiam philoſpphus vires, ac facultatis eas, quæ appetendi vim habent, ab iis, quæ cognoſcere valent: quænam eæ ſint vires, quæ ſecundum locum animalia mouere poſſint, accurate tractat. Hæcq; ea omnis contemplatio eſt: quæ in ſecundo, ac tertio libro nobis traditur. Nam in primo, poſteaquam ſuam nobis mentem Ariſtoteles deſignauit: & quot, qualiaque de anima inueſtiganda ſint, propoſuit: tractationiſque viam, atque rationem ſibi præſcripſit: ita, vt ab appoſitis incipiendo per actionem ad animæ ſubſtantiam accedat: antiquorum de anima opiniones ſcriptione proſequens, à quibus quædam tum comprobanda, tum confutanda recipiens, cognoſcendi vim, atque mouendi animam obtinere ſtatuit. Incorporeamque & impartibilem, & immobilem, quo ad corporatos motus ſpectat, eſſe vult. Præterea'que neque corporatam harmoniam, neque compoſitionem, neque rationem quandam adminiſtrationis eſſe demonſtrat. Principiumque eam eſſe declarat, haud tanquam elementum, neque tanquam ex elementis: ſed tanquam rationem, & formam. Vnamque inſuper in vnoquoque animali animam eſſe Ariſtoteles vult: & in iis, quæ rationem participant. Quæ omneis habeat viuaceis ſubſtantias, atque vires: iuxta quas appetit cum ratione, & ita, & appetitione: & iuxta quas cognoſcit intelligendo, aut ſcientiam pariendo, aut optando, aut imaginatione concipiendo, aut ſentiendo. Atque naturales quoque illas vires extremo loco poſſidet. In tertioque etiam libro, cum ex eo, quod rationis compos animam noſtram Ariſtoteles conſideraſſet: atque in medietate extremorum animalium eam ſtatuerit: aliquando quidem facultati illi ſentire valenti ipſam ſimilem facit: aliquando autem intelligenti. Et aliquando quidem ad eam, quæ ſentiẽdi vim habeat, deduci. aliquando autem ad intelligentem imitationem adduci aſſerit. Et aliquando quidem in id, quod impartibile: quatenus ei pote eſt, contrahi fatetur: atque totam in ſeipſa permanere: quando etiam intellectum ipſam ſuperãtem imitatur: aliqñ vero quodã pacto à ſeipſa ita impetu illo, ad ea quæ extra, recedere: & ex appulſu agere: & in partitionem progredi. Haud tamen ita, vt omnino ab oppoſitis abeat. Nanque eius partitio non ſine contractione in id, quod impartibile, fit.

Et appulſus

Et appulſus conuerſione aliqua in ſeipſam. & receſſus à ſeipſa vnà cum permanſione in ſeipſa exiſtit: quæ tamen tenuis, atque obſcura redditur, cum in id, quod extrinſecus exiſtit, tendit. Ita, vt & ſimul maneat, & mutetur, noſtra anima, propter medietatem eorum, quæ ſolum permanent, atq; eorum quæ omnino mutantur. Nam extremorum ei quodam pacto affinitas intercedit. Quia & quadam ratione diuiditur, & quaſi impartibilis eſt. Simulq; fit, atque ingenita eſt. Quodam etiam modo corrumpitur, & incorrupta ſeruatur. Vnde neque omnino aliquid ex, ea eodem modo ſemper, & pure permanere, ex Platonici ſententia ſtatuemus: neque omnino in impetu illo ad ortum progredi. Sed tota progreditur: atque ſyncere in impetu illo ad ſecunda permanet. Cæterum hæc manifeſtius, & tota Ariſtotelicorum verborum explanatio demonſtrabit: quippe cum ea ſint, quæ ita Ariſtoteli videantur: & à Iamblicho dilucidius explicata fuerint. Iam vero philoſophi verba aggrediamur.

SIMPLICII COMMENTARIVM
IN PRIMVM DE ANIMA ARISTOTELIS.

IOANNE FASEOLO PATAVINO INTERPRETE.

PRIMA PARTICVLA.

EX HONESTIS & honoratis ſcientiam eſſe exiſtimantes

EXPOSITIO.

PRoœmium id propoſitæ tractationis metã deſignat: ac quippe cum res maximo ſtudio digna ſit, cunctis hominibus gratulatur: ptereaq; auditorẽ exacuit. Nam & generatim difficultatem contemplationis ſubſtantiarum, & ſpeciatim ipſius quoq; animæ manifeſtat. Omnem igitur ſcientiam inter honeſta, & honorata collocat: licet non quamlibet cognitionem ſcientiam vocet: ſed eam quæ verã notitiam gignere valet. Ex hac enim ipſius ſcire participes facti ſumus: ex opinione vero ipſius opinari. Superantur autem & phantaſiæ, & ſenſus ab ipſa ſcientia: quippe qui ſemper accidentia, & nullam vnquam percipiant ſubſtantiam. Sciẽtia itaq; cognitio erit, quæ veram notitiam parere poteſt. Honeſta vero, & honorata ſubiecto quidem conueniunt. Nam quicquid vere honoratum, honeſtum quoq; eſt: & omne quod honeſtum honoratum: ſed ratione differunt. Honeſtum nanq; eſt, tanquam amãdum, ac ex ſe eligendum. Honoratum vero propter grauitatem, atq; excellentiam dicitur: cum ei illa cedant, quibus eſt honoratum. Iure igitur nos qui homines ſumus, atq; ex ratione perficimur, ex honeſtis, & honoratis eſſe exiſtimamus contemplationem ſcientiæ gignendæ vim habentem. quippe quæ præſtantiſſima rationis perfectio ſit: & ob hanc quoq; cauſam ab ea ex ſe expetenda: quæq; vbi affuerit, præſtantiam ei omnem largiatur.

Ariſt. pœm. quid pſtet.

Scia iter q̃ ẽ. Sciẽtia quę?

Opio quæ?

Phãtaſiæ ac ſenſus qd pcipiant?

Sciẽtię defó.

Honeſti & honorati ró.

Honeſtũ qd? Honoratũ quid?

MAGIS autem alteram altera, aut propter exactam notitiam: aut quia meliorum maioriq; admiratione dignorum ſit.

Ró qd faciat Scia quid?

Omnis nanq; ſcientia honeſta, & honorata eſt: verum alia alia honeſtior, atq; honoratior exiſtit: aut quia certior ſit: quemadmodum ſeſe Geometria habet erga Aſtronomiã ea comprehendentem, quæ in cœlo apparent: quod quidem cœlum exacta propter diſtãtiam deſeritur notitia. Aut quia meliorum ſit, quẽadmodum e contrario ſeſe habet Aſtronomia, & quæ in iis verſatur, quæ apparent, erga intuentem illam facultatem, quæ Geometrica eſt. Cæterum hæ quia mathematicæ tractationes ſunt, a propriis vincuntur ſciẽtiis: quippe cum neq; ſubſtantiam ſpectent, neq; ex veris cauſis principia ſortitæ ſint. Veræ nanq; ſunt ſubſtantiales formæ. At detur has quoq; inter illas connumerari, quæ ſubſtantiarum contemplandarum poteſtatem habent: attamen exactius animis noſtris inſita eſt cognitio de animalibus, q̃ contemplatio de rebus cœleſtibus: quia propter propinquitatem illa occulta non eſt. Hæc autem ea potior, quia de nobilioribus agat. Præſtantius quidem igitur eſt, eo quod aliquando eſt, quod perpetuum: & quod magis cauſæ locum obtinet, aut tanquam finis, aut tanquam efficiens, aut tanquam forma, eo cuius cauſa eſt. Et omnino quod Diis propinquius eo nobilius quod ex ſua ſubſtantia ab iis longius receſſit. Exactior autem eſt cognitio quæ neceſſitatem retinet: quæq; deficere non valet: quæq; ei quod cognoſci debet conueniens exiſtit.

Cœlũ an cognoſcatur.

De mathematicis.

Forma ſubſtãtialis.

Perpetui & cãę nobilitas

Dei excellentia.

Cognitio exactior quæ?

PROPTER ambo hæc de anima hiſtoriam iure in primis collocemus.

Tum propter exactam notitiam: tum quia meliora, maioriq; admiratione digna tractet. Nanq; propter propinquitatem, atq; conuenientiam ipſius animæ erga ſeipſam: cũ maxime propinquum ſit cognoſcenti quod cognoſci debet: præbet & exactam compoſi

Notanda.

torum cognitionem. Ille enim compositorum consensus qui a nobis ipsis percipitur, perspicuus, atq; certus est. Conuersio vero illa ipsius animæ in seipsam quæ secũdum intellectum, atq; rationem absq; vlla perturbatione fit, dilucidior, atq; certior existit. Verum & ea in seipsam conuersione, cum seipsam sine corpore, atq; adeo se a corporibus separabilem inuenerit, suiq; ipsius noscendæ se proprie vim habere viderit; quia secundum volũtatem viuat; atq; principatum, tanq̃ præstantissima obtineat: se quoq; ceu a primis causis haud seiunctam admirabitur. Neq; enim tanq̃ omnino primam assero; sed ceu inter primas naturalem. Quod sane ei accidit propter subingressum ad eas cũ rebus naturalibus fere continuum. Historia vero scientiæ loco nunc accepta fuit. Nam ea nos scire dicimus quæ exacte cognoscimus.

Anima an sit pria causa?
Historiæ significatio.
Quę scimus?

SECVNDA PARTICVLA.

Tex. 2. VIDETVR præterea & ad veritatem omnem cognitio ipsius magnopere spectare. præsertim autem ad naturam. Est enim tãquam principium animalium.

EXPOSITIO.

Cum ex se notitia de anima; vt iam dictum fuit; honesta, atq; honorata est; tum vero si & ad omnem veritatem eius cognitio magnopere spectat; hoc est ad cognitionem, quæ rerum scientiam gignere valeat. Veritatem nanq; hic haud eã interpretari debemus; quæ ex sentiente, aut opinante notitia proficiscitur; sed eam, quæ sciam gignere valeat; quæq; substantiarũ sit. Ad quã non solum spectat cognitio de anima; sed & admodũ quoq; spectat. Atq; ad eam quidem primo quæ de iis agit, quæ sunt quandoquidem, vt in libris de particulis aĩalium ab Aristotele dictum fuit, nequaq̃ sine ipsius intellectus cognitione, ipsum intelligibile cognoscere potes sumus. At neq; sine cognitiõe ea quæ nostri ipsius intellectus sit. Siquidem nobis quacunq; ratione cognoscibilia ipsa intelligibilia reddũtur. Eodẽ igitur modo neq; sensibilia absq; ipsius sentientis facultatis cognitione pcipi queũt. Verum quando nequaq̃ sciri possunt, ne ipsæ quidẽ substantiæ; tanq̃ eæ quæ sensu percipiantur; sed ratio atq; intellectus ille est, qui substantiarum, & naturalium rerum contemplãdarum potestatem habet; huius quoq; cognitio ad naturalium cognitionẽ, tanq̃ eorum quæ sciri queant, satis superq; pertinet. Deinde media inter vere intelligibilia, atq; ea quæ naturaliter sunt; & inter ea quæ impartibilia, atq; partibilia, anima est; & contemplatio de ea ad extremas philosophiæ parteis spectare valet. Ad primamq; in primis philosophiam propter similitudinem animæ cũ iis, de quibus in ea agitur. Ex iis nanq; quæ in medio collocata sunt, facilius ad maiora ascendere possumus. Ad naturalẽ vero maxime pertinet, quia scientiæ munus existit, tanq̃ ex causa ea cognoscere, quæ inde deducta atq; effecta sint. Iure itaq;, præsertim autem ad naturam dictum fuit, qm̃ cognitio qua a causis, in ea quæ ab iis effecta sunt, ducimur: ea cognitione conuenientior, atq; præstantior est, qua econtrario ab effectis rebus ad causas ipsas agimur. Ex anima vero res ipsæ naturales, ceu ex principio pendent. maxime nanq; propria inter naturalia, aĩalia sunt. quorum tanq̃ principium aĩam esse inquit. Particulamq; illam, tanq̃ addidit, qm̃ forma, & intelligibilis, atq; impartibilis substantia, reuera principium est. Anima vero cũ decidere a substãtia illa vere impartibili; & ab eo quoq; quod vere principiũ dicatur, superatur. Formale enim principium impartibile est. Omnis nanq; forma terminus. & cuius causa existit. Perfectio enim est, & illud vnde motus principium fit. Intellectus nanq; quod primo mouet, existit. Videtur autem dixit, non quia incertus sit, sed tanquã id efferẽs, quod omnium concessu habetur.

Veritas hic qũo interp̃randa.
Quarũ proprie scia.
Ratio pria.
Intelligibile qũo cognoscatur.
Intelligibilia quæ?
Rõnis atq; intellect? quæ cognitio.
Ratio scda.
Aĩa inter q̃ media sit
Extremę philosophię partes. & hic ani mã mediam habeto.
Scię munus.
Quæ cognitio p̃stãtior.
Principiũ reuera.
Formę dotes

TERTIA PARTICVLA.

Tex. 3. INQVIRIMVS autem contẽplari, & cognoscere naturã ipsius, & substãtiam;

Aristo. his in libris mens.
Cõtẽplatiõis & cognitiõis significatio.

EXPOSITIO.

Manifestius ex his propositum nobis suum philosophus indicat: qui id agit, vt animatam substantiam, quæq; per se ipsi animæ insunt, aliisq; per hanc, contempletur, atq; cognoscat. Contemplatio vero significat relationem eam quæ ex ipsa perspicuitate, atque

ex iis

ex iis quæ ſenſui apparent ad veritatem de anima ſpectat. Cognitio autem comprehẽſionem illam ſcientiam patientem, quæ ſecundum rationem acquiritur. Nomen vero illud natura, neq; genus mihi ſignificare videtur: neq; enim ita vti eo vocabulo conſueuere: neq; quia idem quod ſubſtantia dicat, ibi poſitum eſt; ſed per naturã quicquid ipſius animæ ad ea quæ naturaliter ſunt vergit, innuitur: ſubſtantia vero quod cum intelligibilibus cognatum, atq; ſeparabile manifeſtat. Naturę ſignificatio & ſubſtantiæ.

DEINDE quæcunq; euenere circa ipſam. ex quibus alia quidem, propriæ paſſiones animæ eſſe uidentur: alia uero communia, & animalibus per illata ineſſe.

Quæ ſcilicet ex ſe. Ea enim tanq̃ animæ euenere. Ac quãdo in cognitione cauſarum, quæ ſcientiæ pariendæ vim habet, ſubſtantiæ notitia notitiam accidẽtiũ præcedit: noſq; ſcientiam adipiſci volumus: iure inquirimus prius cognoſcere ſubſtãtiam, deinde quæcunq; euenere. Verum quoniam ex nobis notioribus diſciplinæ tradẽdæ ratio exiſtit: & ad ea quæ naturæ priora ſunt, progredimur: neceſſario in ſua hac doctrina ex accidentibus ad ipſam ſubſtantiam peruenit. Paſſiones autem intelligit, non ea quæ quacunq; ratione ipſi animæ inſint. Neq; enim & permanentes eius intelligibiles actiones comprehẽdit. Sed quæcũq; ei ita inſunt, vt ipſa aliquid patiatur. Cuiuſmodi impetus ille ad corpus eſt: & omnino vita ea, quæ iuxta appulſum quendam conſiſtit. Nanq; in neceſſu quodã ipſius animæ a ſeipſa illa poſita eſt. Id q; paſſio dicitur. Quandoquidem permanens illa actio eadem cum ipſius animæ ſubſtantia eſt: non autem accidens exiſtit. Ex accidẽtibus autem, quæ & paſſiones dictæ ſunt, alia ſunt propria animæ, vt contemplans eius cognitio, quæ neq; ſenſu, neq; phantaſia, neq; omnino corpore vtitur. Quæcunq; vero ſentiẽdi, aut cogitatione informãdi vim habet, & quæ his quoq; vtitur, agens eſt cognitio, quæ cõis cũ aliis quoq; aĩalibus. Neq; ipſis ſolis adeſt aĩalibus, quæ reuera cõpoſita ſunt: ſed ipſius quoq; aĩæ eſt. Nanq; vt dicetur, aut initium ſumit ab ipſa, aut in ipſam deſinit. Paſſiões aĩæ q̃ dicantur? Accñtia aĩæ propria.

QVARTA PARTICVLA.

PENITVS autem, & omnino eſt ex difficillimis accipere aliquam fidem de ea. Nanq; cum communis ſit quæſtio, & multis aliis. Dico ſane eius, quod circa ſubſtãtiam, & ipſius quid eſt: forſan alicui uideri poſsit, una quædã eſſe methodus de omnibus, de quibus uolumus cognoſcere ſubſtantiam. quemadmodum & propriorũ ſecundũ accidens demonſtrationem. Quare inueſtigandũ eſſet methodum hanc.

QVINTA PARTICVLA.

SIN autem nõ eſt una, & communis quædam methodus circa ipſum quid eſt, adhuc difficilius ſit id tractare. Oportebit enim inuenire circa unumquodq; , quis modus. Sin autem manifeſtum ſit, utrum demõſtratio eſt, aut diuiſio, aut & aliqua alia methodus. Præterea multas dubitationes habere poſſet, & errata, ex quibus nã oporteat inueſtigare.

EXPOSITIO.

Cum contemplationem de anima ex iis quæ dicta ſunt eligendam, atq; expetendã demonſtrarit: cumq; illud prædixerit, quod in primis eius ſubſtantiam cognoſcere inueſtigamus: nunc eorum animos præparans, qui rerum ſtudioſi ſint: primo generatim difficultatem methodi, quæ ſubſtantiarum cognoſcendarum facultatem habẽt, nobis in memoriam prouocat. neq; enim verum vna, an plures ſint, facile eſt cognoſcere. Vna nanq; videri poſſet, quandoquidem & ipſa ſubſtantia quæ inueſtigatur, cõmunis & vna quædam in omnibus eſſe videtur. & ita rei quoq; ſocietas adeſt. Præſertim cũ vna quoq; detur methodus, in ſimplicibus quidẽ proprietatibus intelligentia illa, quæ ex notione intelligit: qua terminos cognoſcimus. In iis autem quæ ex pluribus conſtant, ea quæ ex genere, & differentia. At & plures videri poſſent propter generum, atq; differentiarũ diuerſitatem, & formarum quoq;. Siue autem vna, ſiue plures ſint, ſiue, quod verũ eſt, & vna, & plures haud in promptu eius comprehenſio eſt. Quandoquidem & omnis quoq; ha

Quę ad habitu sciētiā p̄stantē requirantur.

bitus scientiam præstans difficilis est, naturaq; indiget apta, longaq; exercitatione, & vita secundum rationem peracta, atq; ab omni vitio remota: si omnino debeamus recte eius quod propositum est substantiam, pulchreq; consequi. Cæterū hæc quæstio haud propria est cōtemplationis de anima: sed cōmunis inquit, est, & cum aliis permultis: in quibus ipsum quid est inuestigamus. Communis nanq; horū omnium quæ ad definitionem spectat. Deinde quia vnam, fere non sine excusatione posuit: quemadmodū enim vna est scientia eorum quæ secundum se insunt: quæ ipsa est demonstratiua: ita & vna quoq; est, quæ ipsum quod quid erat esse definit: quoniamq; & resolutiua vna, & diuisiua vna, inuestigandum, inquit, methodum hanc: ita scilicet, vt definiendi habitum possidere queamus. At quando & multæ quoq; quodam modo sunt: quod & nobis significauit, cum dixit, oportebit inuenire circa vnumquodq; quia modus. Opus nanq; est in vnoquoq; singillatim communi vti methodo: quoniam igitur, inquam, & multæ sunt, difficilius fit id tractare. id autem est, vt propriam vniuscuiusq; inueniamus substantiā. Illud vero, quod postea infertur, sin autem manifestum sit, vtrum demonstratio, & quæ sequuntur, interpretatio mihi esse videtur eius quod antea dictum fuit. eius inquā, oportebit enim inuenire circa vnūquodq; quis modus. Quippe cum & iis id quoq; accidat, qui vnam quamcunq; ipsius quid est, fatentur methodum. Accidit enim & his, vt inuestigent ex quibusnam principiis propria vniuscuiusq; assignanda sit definitio.

ALIA enim aliorum principia, quemadmodum numerorum, & planorum.

Accn̄s vn̄ dictū. quod demonstratur. Propriū cur quod demōstrat', dicat'. Colligunt' q̄ dicta sunt: & & ꝓponūtur q̄ dicenda.

Et alia quoq; rerum naturalium principia sunt; & in aliis omnibus eodē modo. Propria vero quæ demonstrantur secundum accidens dicuntur: licet substantialia sint. Qm̄ omne quod demonstratur, tanq̄ aliud de alio dicitur. Et propter hanc causam accidens, ceu cum alio cadens nominatur. Proprium autem dicitur, quoniam quod multorum cōmune est, singillatim ex demonstratione cognosci debet. Hac igitur ratione primo generatim quam difficile sit definientem consequi habitum, nobis in memoriam reduxit: deinde & propriam, atq; priuatam obscuritatem in ipsa animæ substantia inuestigāda admouit: simulq; & quæstiones proponit de quibus inquisiturus est, ex his.

SEXTA PARTICVLA.

PRIMO autem forsan necessarium distinguere, in quonam ex generibus, & quid est. Dico autem utrum hoc aliquid, & substantia, aut quale, aut quantum, aut & aliquod aliud ex diuisis generibus.

EXPOSITIO.

De genere & differentia. Forma impartibilis.

Genus & differentia qūo dicantur.

In quibus generibus aīa.

Quandoquidem in orationibus definiendi vim habentibus genus esse solet, quod ante omnia accipitur: & deinde differētia: quoniam forma impartibilis est, impartibiliterq; comprehendit quod circunscriptum, atq; designatum est: definitioq; diuidens, atq; colligens, singillatim illud primo eius indicat quod circunscriptum, atq; inde quod designatum: ex quibus alterum quidem in ipso quid est, alterum vero in ipso quale quid est, coscitur, atq; dicitur. Quapropter & ipse cum dixerit, in quonam ex generibus necessariū esse distinguere, addidit & quid est, explanans quid illud in genere esse significet: qm̄ iuxta quod quid est: quemadmodum in differentiis, iuxta quod tale. Dubium autem est de anima, vtrum eius genus substantia, aut quale, aut quantum sit. Vnde & de tribus his generibus speciatim mentio facta fuit: tanq̄ ea sint, quæ in iis opinionibus circunferantur, quæ de anima recitātur. Adiectum autem & illud a philosopho fuit, aut & aliquod aliud ex diuisis generibus, quia euenire potest, vt & ad aliud quodpiā genus ab aliquo adducatur. At Pythagoræi quidem vna cum Platone substātiam eam esse asserūt. Qui autem corporum harmoniam ipsam dixerunt, quiq; talem mixtionem, in qualitate collocarūt. Xenocrates vero qui ipsam numerum esse voluit, in quantitate posuisse videtur.

PRAETEREA uero, uerū ex iis, quæ in potestate sunt, aut potius actus quidam, differt enim non parum.

Forma

Forma quidem ea est, quæ primus, & purus est actus. Forma nanque actus, atq; perfectio existit. In potestate autem non solum materia constituta est: quippe quæ, cum imperfecta secundum se sit, quia recipiendarum formarum vim habeat, perficiatur: sed & omne id, quod forma affectum est: compositumq; in primis propter societatem, quam cum materia habet. Immo vero & omne corpus, licet sine materia sit, quippe cum neq; secundum seipsum, neq; a seipso viuat, sed alunde id accipiat, neq; enim quatenus corpus viuit. Anima vero si rei veritatem quæramus, media inter formas, atque ea, quæ formis affecta sunt, est: quippe quæ tota tuipsius totius cum horum vtroque coniunctionem indicat. Censet autem Aristoteles, quia ex seipsa viuat, atque excitetur, & tanquam principium mouendorum corporum vim habens sit, non in id quod terminatur, sed in id quod terminat, vergere. quapropter & sic quodam pacto dixit, aut potius actus. quandoquidem non pure, neque simpliciter. Siquidem & anima rationis particeps, & intellectus cuius ipsa particeps est potestate, ac materialis dicitur. Propter eandemq; causam, & particula illa, quidam, adiecta fuit: quoniã haud determinate, & simpliciter est actus, sed subingrediendo. Vnde neque semper iuxta perfectum manet actum, sed interdum & iuxta imperfectiorem eum, qui secundum habitum. In potestate autem est, & quod forma affectum posuit, quod actu quidem est, non tamen actus: is nanq; forma est. Iureq; ei quod in potestate, non id quod actu, sed ipsum opposuit actum. Nam actu illud existit, quod forma affectum est. Forma vero haud in ipso est actu, sed ipsemet actus est. quod non parum differt. Is nanque est secundum seipsum substantia, vt in septimo eius tractationis quæ post naturalia dicitur, didicimus. quod vero actu est, iuxta alterũ substantia existit. & actus quidem primus, ac causa, id autem secundum, & quod ex causa efficitur.

Forma qd?
In pãte qd?
Corpus q̃tenus viuat.
Aĩa inter q̃ media?
Aĩa ex Arist. sentẽtia quo vergat.
Aĩa qũo act?
Actus quotuplex.
Actu esse & actus ipse qũo differãt

SEPTIMA PARTICVLA.

INVESTIGANDVM præterea & an partibilis, aut impartibilis.

EXPOSITIO.

Partibilis quidem simpliciter corporea omnis substantia est: quia aliæ alibi partes collocatæ sunt. Impartibilis autem quæ pure intelligibilis; quæ & multum profunditatis habet. & quæ media quoq; inter vtranque est, in qua & anima existit. Indicat autẽ eius ingressum in id quod partibile, & comprehensio eius quod cognosci potest, quæ non sine distantia fit: & ex aliis in alia translitus: & decursus qui singillatim in iis, quæ inuestigantur, fit. Cæterum q̃ eius quod impartibile est, particeps sit, illud manifestat, q̃ & cognitionis iuxta id, quod cognosci debet, status fit. Coniunctio nanque illa vtriusque impartibilis est. & gressus ille in mutatione semper iuxta terminos: & collectio quoque, quæ post singularium decursum in vnum venit, idem declarat. Aristoteles autem, vt apud formam, ita & apud id quod impartibile, potius animam collocat. Eaq; quidem est ceu non partibilis. Id autem huiusmodi, vt non solum a partibilibus, sed & a substantia ea, quæ circa corpora dispersa est, seiuncta sit rationis particeps anima.

Partibilis, at q̃ impartibilis substãtia quæ?
Quæ aĩam partibilẽ indicent.
Quę aĩam impartibilẽ significent.
Aĩa vbi ab Arist. collocetur.

ET utrum eiusdem speciei omnis anima, aut non.

Id quoque inuestigandum proponitur, vtrum eiusdem speciei inter se omnes animæ sint, vegetatiua scilicet, sensitiua, rationalis. Eiusdem autem speciei ea profecto sunt, quæ iuxta vnam postremam aliquam determinantur formam. Quæ enim iuxta aliquid communius, eiusdem dicuntur generis, non autem eiusdem speciei. Inuestigatione autem, quod nunc propositum est, dignum iudicatur, propter eos, qui diuersitatem in compositis ex materia, non autem ex forma adducunt. Quemadmodum in tibiis inquiunt soni ex propinquioribus foraminibus diuersi redduntur ab eis, qui longius distant: cum tamen vnus sit, qui inflat spiritus. Verum neque secundum formam neque secundum substantiam, huiusmodi differentiam esse dicemus. Quemadmodum enim quod prolixius, quodque breuius in hominibus est, nullam facit secundum formam

Eiusdẽ speciei quæ?
Eiusdem generis quæ?

mutationem: ita, neque quod grauius, quodque acutius tibiarum ſonum iuxta formam mutat. Quoniam omnis ſubſtantia cum et ſuum eſſe, et quod huiuſmodi ſit ex aliqua forma habeat, ex ea & diuerſitatem ſuam quo ab aliis differat, recipere debet. Diuerſitas nanq; quæ in inſtrumentis atq; materiis cernitur, aut ex diuerſis oritur formis, aut ex diuerſis rationibus, quæ in vna reperiantur forma. Accidit autem ei, qui eiuſdem ſpeciei animas ponit, vt & diuerſæ poteſtates in vna anima tanquam eiuſdem ſpeciei ponantur. Ita vt in nobis abſque vllo diſcrimine ſint, vegetatiua, ſenſitiua, rationalis, & aliæ quæcunq;. Nequaq̃ autem ſi diſſimilium ſint formarum, quæ diuerſorum animalium exiſtunt, vt equi ſenſitiua ab ea, quæ hominis, altera enim rationis expers, altera autem rationis particeps: iam & in homine plures erunt diſſimiliũ formarum poteſtates, vt quæ ſentiendi exempli gratia, & quæ opinandi vim habet. Omnes enim hominis exiſtunt: & hominis ſpeciem iuxta poſtremam vnam formam deſignant. Verum diuerſis rationibus: nanque multæ ſunt iuxta vnamquanq; formam rationes.

Diuerſitas rebus vnde originem habeat.

SIN autem non eiuſdem ſpeciei, utrum ſpecie differunt, aut genere.

Licet enim omnes animæ, & vitæ quoque quædam ſint: attamen iuxta id quod prius, ac poſterius inter ſe differunt: ita vt neq; ſub vno genere conſtituendæ ſint. Talia nanq; ſunt, quæ omnino ſimul exiſtunt. Poſteriora vero cum prioribus, vt quæ ab vno, & ad vnum coniunctionem habent.

Hęc ſunt q̃ a nr̃is analoga dicuntur

NVNC quidem enim dicentes, & inueſtigantes de anima de humana ſola uidentur conſiderare.

In Timæum orationem nunc dirigere videtur, qui in naturali ſuo ſermone de homine, atque huius animis mentione facta finem fecit: tanquam & ipſe ad reliquorum animantium animas, & plantarum quoque contemplationem ſuam perducere debuerit. Ego autem iudico Timæum proprium ſermonem de animis, quæ in aliis reperiuntur dimiſiſſe: cum cenſeret ex exemplo ſecundæ, atq; tertiæ partis, illius animæ, quæ in homine reperitur, & eas quæ in aliis animantibus ſunt, nos percipere poſſe.

Excuſat Timæus.

OCTAVA PARTICVLA.

CAVENDVM autem eſt, ne nos aliqua ratione lateat, utrum una ratio eius eſt, quemadmodum animalis, aut iuxta unumquodque diuerſa. ut equi, canis, hominis, Dei.

EXPOSITIO.

Siquidem enim eiuſdem ſpeciei omnes ſunt, vna quoq; erit cunctarum ratio, quemadmodum & hominis, & vt ipſe dixit, animalis. Sin autem diſſimilium formarũ exiſtũt, iuxta vnamquanq; formam diuerſa aſſignabitur ratio.

VT equi, canis, hominis, Dei.

Dei cœleſtis animalis dicens. Quoniam autem & de vnoquoque eorum quæ diſſimilium formarum ſunt generis dicitur ratio, diſcrimen ſubiungens rationis ipſius ſpeciei, erga rationem generis infert.

ANIMAL autem uniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius.

Omnis enim vltima ſpecies ſubſtantiæ perfectam indicat permanentiam, & quæ ſecundum ſeipſam perficiatur: licet materialis ſit. Quippe cum haud perficiatur a materia, aut a compoſito: ſed ipſius quidem compoſita conſtituat, materiamq; perficiat, in actum eam ipſius naturam, quæ recipiendi vim habet, adducens. Ipſum vero genus, quod tanquam ſine formis ex ſe ſubſiſtat, nihil eſt. Semper enim cum aliqua ſpecie exiſtere debet, aut cœleſti, aut hominis, aut equi, aut aliqua alia. Aut poſterius. Nã genus quod in vnaquaq; ſpecie eſt, poſt ſpeciem exiſtit. quandoquidem ipſa quidem ſpecies impartibiliter

Species vltima qd indicet.

est totum. Genus vero iuxta particularem quandam rationem eorum quæ in specie continentur, illa complectitur. Quapropter quatenus quidem per se subsistens nihil est, quatenus vero particularis quædam ratio, quæ in specie cõtinetur, posterius specie est. Genus qũo nihil, & qũo posteri? sit.

EODEM præterea modo & si aliquid commune aliud dicatur.

Non solum siquid aliud tanquam genus dicatur, vt planta, sed adhuc magis etiam siquid tanquam in prioribus, & posterioribus commune sit. Neq; enim aliquid pure in his commune datur: sed quodcunq; cum aliqua mutatione dicas. Alam genus vt dicũt, analogũ eé, hinc habeto.

NONA PARTICVLA.

PRAETEREA uero si non multæ sunt animæ, sed particulæ: utrum oporteat antea inquirere totam animam, aut particulas. Difficile autem & ex his determinare quænam diuersæ sint inter se.

EXPOSITIO.

Si non multæ sunt animæ, inquit, hoc est, si non secundum speciem inter se differũt: quæ in diuersis, atque vno reperiuntur homine: sed particulæ existant: quæ diuersitatem, verum non secundum speciem obtineant: cum vnius sint particulæ: sed secundum rationes differant: vt ignis leuitas atq; illustrandi facultas. Quod in vno quidem animali, siue homine, siue aliquo alio verum est: quo vna vniuscuiusque anima sit. Siue igitur particulæ, siue potestates, quæ in vnoquoque multæ existunt vitæ, dicendæ sint: eiusdem sane speciei, at ratione differentes, fatendum est. Illas vero, quæ in animalibus diuersarum formarum videntur: & in specie quoque variandæ. Quo eorum secundum speciem diuersitas ab animis in primis oriatur: atque deueniat. In quibus itaque particulæ sunt multæ: proponit inuestigare, vtrum totum antea, an particulæ contemplandæ sint. & quænam ex particulis reuera inter se diuersæ sint. & quæ non. vt quæ producendi vim habet, diuersa ab ea quæ appetere valet. Nutriens autem, & augens, & generans plures non sunt: sed hæ omnes in vná coeunt. Difficilisq; de his determinatio est. Quoniam si veritatem sequi velimus sua ex substantia, & vna anima est, & multæ: & secundum seipsam, & iuxta quamcunque vitam. Nanque vnaquæq; & vna, & multiplex reperitur: & quadam ratione partibilis, atque impartibilis. Quod propter eam causam ei euenit: quia in medio collocata est. Hacq; ratione fit: vt neque quod pure, atque syncere idemper seipsam totam habeat: neque diuersitatem diuulsam, aut omnino partibilem. Difficilis itaque est, ac non sine magno labore diiudicari potest has ob causas, considerationem ea quæ inter media, atq; opposita constituta est: propter coniũctionem scilicet, quam cum iis retinet: quæ extremis in locis sita sunt. Quod ala, & vna, & multiplex. Cur consideratio inter media, atq; opposita difficilis.

DECIMA PARTICVLA.

ET utrum particulas oporteat primo inuestigare: aut opera earum. ut ipsum intelligere, aut ipsum intellectum. & ipsum sentire, aut quod sentiendi uim habet. Eodemq; modo & in aliis. Sin autem opera prius, rursum aliquis dubitare posset, siue & opposita horum antea inuestiganda sint, ut sensibile ante id quod sentiendi uim habet: & intelligibile ante id quod intelligere potest.

EXPOSITIO.

Scientiæ ea sane propria ratio est, quæ ex ipsa substantia actionum noscendarũ vim adipiscitur. Respectu vero nostro ea manifestior existit: quæ contrario modo proreditur. At neq; actiones cum ad aliquid referantur propter respectum, aut tanquam ad id cognoscitur: aut quod expetitur: aut quod nutrit: cognoscere possemus, sine eorum cognitione ad quæ referuntur. Quæ opposita dicuntur, secundum oppositionem eorũ quæ ad aliquid dicuntur. ceu recursus ac reflexio quædam sit: eorumq; mutua, inter se pmanẽtia. Magisq; perspicua hæc quæ de oppositis habetur cognitio cognitione illa est, Propria scitiæ ratio q̃ Nobis manifestior quæ Oppositæ qũo hæc dicantur.

quæ de actionibus confeſtim tradi poſſet. Quandoquidem & ſenſui magis expoſita ſunt ipſa oppoſita. quẽadmodum ipſum ſenſibile: & quod inter hæc appetibile: & quatenus ipſum quoq; intelligibile inter ea, quæ ſentiri poſſunt, connumerandum eſt. Quod vero noſtri intellectus ſeiunctum eſt, ex ipſo intellectu melius percipiemus.

VNDECIMA PARTICVLA.

VIDETVR autem non ſolum ipſum quid eſt cognoſcere utile eſſe ad conſiderandas cauſas eorum quæ euenerunt ſubſtantiis, quemadmodum in mathematicis, quid ipſum rectum, & quid ipſum obliquum. aut quid linea, & planum, ad perſpiciendum quot rectis trianguli anguli ſunt æquales. At & econtrario accidentia conferunt magnam partem ad cognoſcendum ipſum quod quid eſt. Vbi enim habuerimus tradere iuxta imaginationem de accidentibus, aut omnibus, aut pluribus, tunc & de ſubſtantia habebimus aliquid dicere quampulcherrime.

EXPOSITIO.

Poſteaquam quæſtiones propoſuit: & huius contemplationis difficultatem explicauit: quod inde conſequens erat, agit: ac rationes, modosq; quibus copioſi eſſe poſſimus, tradit: & primo ad totius definitionis inuentionem. Scientiæ nanque munus eſt, ex ipſo quid eſt, hoc eſt, ex definitione quæ ipſum eſſe declarat, quæ ex ſe ſubſtantiis euenerũt, conſiderare. Quoniam contemplatio ex cauſa procedit. Accidentium autem cauſa ipſa exiſtit ſubſtantia. Subſtantiam autem nunc communius omnem formam interpretari debemus. Licet ſub quocunq; reperiatur genere. Rectum itaq;, & trigonum accepta fuere, quibus quæ contingant ex eorum definitione cognoſcimus. Definitio enim quæ proprie eſſe ipſorum indicat, nos perfacile præparat: vt & quæ per ſe huiuſmodi rei inſunt, cognoſcamus. Scientiæ itaq; munus id eſt. quoniam & ipſa res in cauſa eſſe oſtenditur eorum, quæ ſibi inſunt. Verum cum ipſa res interdum haud ex ſeipſa nota ſit, ecõtrario ex iis, quæ ei per ſe euenerunt: quæ & a ſenſu, & ab imaginatione comprehẽdi poſſunt: cognoſcitur. In mathematicis quidem igitur, notũ eſt ipſum quod quid erat eſſe cuiuſq; quia & quanta quædam, aut qualia ſunt. quæ definiuntur: quæ & a ſenſu, & ab imaginatione comprehendi poſſunt. Quæcunq; vero ſubſtantiæ ſunt: quarum contemplandarum ratio, atq; intellectus vim habet: haud ex ſe iis manifeſtæ ſunt: qui ſecundum ſenſum viuunt. Sed ex iis quæ ipſis acciderunt ad ipſas relatio fit. Qui ſane modus in anima neceſſarius eſt.

Sciæ mun⁹.

Contẽplatio nõvnde fiat. Quæ accidẽtium cauſa.

Subſtãtia hic qũo accipiẽda.

OMNIS nanque demonſtrationis principium ipſum quid eſt. Quare ex quibuſcunque definitionibus non licet accidentia cognoſcere: at neque coniectura aſſequi. de ipſis facile eſt: patet quod dialectice dictæ ſunt: atq; inanes omnes.

Coniunctio cauſam inferens addita eſt: quæ indicat quemadmodum & propter hanc cauſam, maximo ſtudio digna eſt contemplatio ſubſtantiæ: quia & demõſtrationis principium in ſe contineat. Demonſtratio nanq; eſt, quæ ex ipſo quid eſt, accidentia ratiocinando colligit. Et non econtrario ex his in ſubſtantiam recurſus fit. Dicit itaq; quemadmodum aliquid in primis de ſubſtantia dicendum eſt, quo ipſum quid eſt nobis demonſtrationis principium ſit. Propter quæ tanq̃ corollarium infert: quo diſtinguantur definitiones quæ recte traditæ ſint ab iis quæ ceu deſcriptiones exiſtant, atq; adũbrate ſcriptæ ſint. Ex definitionibus enim quæ rei naturam complectuntur, tum manifeſtius, tum obſcurius ſequitur accidentium cognitio. Sin autem non ſequitur, dialectice dictæ ſunt: & inanes habẽdæ. pro eo qđ eſt logice, & nõ naturaliter. Solitus nanq; Ariſtoteles eſt huic particulæ naturaliter diſtiguẽdo opponere particulã illã logice. Quæ id, qđ apparet, atq; in opinione poſitũ eſt, ſignificat: nõ aũt qđ ex natura atq; eſſe ipſius rei acceptũ ſit. Nã nõ de vera rerũ cognitiõe: ſed de ea quæ in opinione poſita ſit, dialectices vocabulũ adducit.

Subſtãtię cõtẽplatio qđ cõprehẽdat. Ex ſubſtãtia accña patere, nõ cõtra.

Naturaliter logice. qđ apud Ariſt. ſignẽnt. Dialectices vocabulo qũo Ariſtoteles vtat.

Inane

Inane vero dixit, id significare volens quod a natura, rerumq; profunditate abfit.

DVODECIMA PARTICVLA.

DVBITATIONEM præterea habent & passiones animæ, utrum sint omnes communes habentis: aut est aliquid & ipsius animæ proprium. Id nanq; inuenire quidem necessarium, non tamen facile. Videtur enim ex plurimis nihil sine corpore pati, neq; facere, ut irasci audere cupere, omnino sentire.

Aię passiões q̃ dicantur.

Passiones quidem animæ, vt & antea diximus, non simpliciter appellat omnem eius actionẽ, sed illius quæ patitur: atq; extrinsecus a seipsa quasi recedens, progreditur. Neq; enim & permanentes eius actiones: & quæ non recedunt a substantia: sed in idem cum ea veniunt, passiones dicit. Verum censet ex his, tanq̃ ex manifestis in animæ substãtiam, nos esse adducendos: & ad eas actiones quæ cum animæ substantia conueniũt: quæq; non secus sunt occultæ atq; ipsa anima sit substãtia. Quapropter neq; facile est, vt ipse dixit, has inuenire. ex quibus solis, quid ipsa a corporibus separabile habeat, colligere possemus. Videtur enim tanq̃ manifeste ponere omnem animam esse substantiam: qm̃ & omnis vita est substantia. & illa præsertim postrema: quippe quæ contraria suscipere queat, vt uoluptatem, dolorem, cupiditatem, odium, & quæ mouere, atq; cohibere corpora colligere ve posit: atq; animantia conuenienter determinare. Quæ re vera magis q̃ alia omnia corpora sunt substantiæ. Quod autem secundo loco viuens est: id primo ipsa est vita: ex qua & illud viuentibus adest propter quod vere viuẽtia sunt. Primo itaq; & magis proprie substantia ipsa est vita. Inuestigat præterea vtrum sit vlla anima, quæ omnino a corporibus separari possit. Nam quod multæ inseparabiles sint, tanq̃ perspicuum ponitur: quandoquidem neq; earum actiones a corporibus separari posse videntur. Pronuntiatum autem illud verissimum, atq; apertissimum est: q̃ scilicet in substantiis pares, atq; conuenientes sine actiones. Viuaces nanq; sunt, eorum quæ viuũt. rationales aũt eorum quæ vtũtur ratione. Quare & separabilis substantia separabiles quoq; omnino actiones habebit. Sensus vero omnes, & imaginationes, & perturbationes quæ vna cum his insunt: ita scilicet audacia, cupiditas, odium, haud absq; corporibus reperiri possunt. Quapropter neq; anima, quæ hæc patitur, atq; agit omnino separabilis esse poterit. Verum quando multæ sunt illius animæ quæ inseparabilis existit iuxta profunditatem diuersitates: quæ quidem extremæ inseparabiles, ab omnibus conceduntur, quippe quæ instrumentarii corporis actus sint: secũdum quos viuaciter moueri potest. Qui vero actus eam habent vim, vt instrumentum moueant: quiq; nautæ ex proportione respondent: qui & præstantiori quodam modo illud obtinent, vt inseparabiles sint: quippe qui excellendo eam habent vim, vt ea quæ mouentur, moueant: omnino propter actionem illam erga corpora a corporibus ipsis inseparabiles existunt: cum tamen possint & alias quoq; actiones separabiles habere. Quemadmodum & nauis rector eas exempli gratia habet, vt deambulare possit. Alio autem modo inseparabiles sunt agentes, nostri intellectus scientiæ: quia in minori sua propositione a sensu, atq; imaginatione seiungi nequeunt: & propter hanc causam & cõmunes cũ eo quod ipsas retinet, existunt. Quod autem ad maiorem pertinet, nihil hoc indigent. Eodem autẽ modo sese habent, & quæcunq; ea contẽplantur, quæ naturaliter sunt. Quæ vero intelligibilia tractant, nihil hoc vtuntur. Quæcunq; vero non sine quadam eminentia agentes, intelligibilium contemplationem exercent, haud absq; imaginatione sunt: quippe cum ipsa imaginatio consequens sit, non autem simul agat. quemadmodum vmbra in lumine corpus cõsequitur. Quod nẽpe euenit propter progressum illum rationis, quæ extrinsecus tendendo imaginationem mouet. Hoc itaq; pacto & hæc quoq; inseparabilis est: cum omnino imaginationem habeat consequentem. Quoniam quæ permanens est, atq; in sui substãtiam actionem contrahit, omnino est separabilis: neq; quocunq; moueatur modo vna cum quopiam corporeæ aut appetitionis, aut cognitionis motu, mouetur.

Vnde, quod aia a corporibus separabile hẽat colligi queat. Q. d̃ ois aia atq; adeo omnis vita substantia.

Axioma veriss. Cõueniẽtes i substãtiis eẽ actiones.

Scię practicę & agẽtes cur iseparabiles & naturales

MAXIME autem uidetur proprium ipsum intelligere.

Cum ipſum ſentire tanq̃ commune quoddam admouerit:& patiẽtes appetitiones irasci,ſcilicet,& audere,& deſiderare ſub ipſum ſentire adduxerit;quoniã paſſiones hæ aut ſunt ſenſus,aut non ſine ſenſu:& cum ex alia parte obiecerit ipſum intelligere: profecto in ipſo intelligere omnes vitas comprehenſas voluit,quæ ſenſum ſuperant;hoc eſt imaginationem,& actionem omnem quæ cum ratione fiat. Quibus ambabus cõmune eſt, vt intus incipiãt:& a ſeipſis excitentur:& propter hanc cauſam ei quod maxime propriũ ipſius animæ ſimiles ſunt.

SIN autem eſt ea id imaginatio quædam aut non ſine imaginatione,non contingeret neq; id ſine corpore eſſe.

Non ois imaginatio intellectus.
Qui intellectus imaginatio ſit.

Recte cum conditione locutus eſt. quoniam neq; omnis imaginatio eſt intellectus. neq; enim ea quæ animalium ratione carentium. Quare & illa particula quædã ipſi imaginationi adiuncta fuit. Neq; ſimpliciter intellectus eſt imaginatio; ſed totũ id,intellectus qui pati,atq; effingi poteſt. At neq; omne intelligere in ea actione quæ rationis particeps eſt,non ſine imaginatione exiſtit. Sed quatenus non pura eſt actio,neq; in ſeipſa permanens,ſed tunc id accidit,cum anima extrinſecus progrediens a ſeipſa recedit,& a ſubſtantia partibiliter diſiungetur. Id quod & paſſio quadam ratione eſt. Propter hãcq; cauſam dubitationem eſſe dicit,non de actionibus,ſed de paſſionibus animæ. quas hoc in loco non ſine corpore eſſe ponit,in tertio vero libro præterea declarat. At quamnam ob cauſam omnino dubitationẽ habere inquit ſi de paſſionibus ſermo habetur? Videtur nanq; perſpicue omnis paſſio ex eo fieri impetu,qui ad corpus tendit. Nũquid quoniam actionem illam rationis participem,quæ haud corpore indigeat,licet imaginatio cõſequatur: dubitare tamen aliquis poſſet;num oportet & cum corpore communem ducere. Quod nanq; ſeparabile exiſtit,manifeſte habet. Verum utrum id ita poſsideat, vt ipſe exactius loquens indicat dubium eſt. Quoniam haud omnino ſine corpore eſt. Quod tamen nõ de mortali omnino intelligendum. Sentiendi nanq; vim habet atq; cogitatione concipiẽdi,& illud quoq; diuinum animæ noſtræ vehiculum.

Dubitatio.
Reſponſum.

DECIMATERTIA PARTICVLA.

SIQVIDEM igitur eſt aliqua,animæ actionum,aut paſſionum propria contingeret ipſam ſeparari. Sin autem nulla eſt propria eius non eſſet ſeparabilis.

EXPOSITIO.

Rectiſsime ex actionibus ſeſe in ſubſtantiam reducit. quemadmodum enim ex viuacibus viuentem ſcimus,& ex rationabilibus rationabilem,ita ex ſeparabilibus quoq; ſeparabilem. Quandoquidem & quod conuertitur neceſſarium eſt,rationalẽ ſcilicet ſubſtantiam rationales habere actiones:& ſeparabilem ſeparabiles. Antea vero adducta dubitatione de paſſionibus,an omnes communes ſint,& cum eo quod habet;nunc iam vniuerſaliter determinans,non ex ſolis paſſionibus,ſed & ab ipſis actionibus quod animæ ſeparabile eſt,cognoſcendum cenſet. Cum ſane ſciat paſſiones quadam ratione eſſe inſeparabiles;actiones vero eius ſtabiles,eſſe ſeparabiles. At quadã ratione inquit, tanq̃ cernetur teſtula quæ in naris profundo exiſtit,cum tamen apta ſit,vt cernatur? Quoniam,reſpondebo,forte fortuna euenit,vt antea corrupta ſit,q̃ cerni potuerit. Neq; enim quicquid ambulandi poteſtatem habet,ambulabit;licet ad ambulandum aptum,atq; natum ſit. Neq; id quod ſua ex ſubſtantia huiuſmodi eſt;& iã aliquo huiuſmodi pacto agere cenſemus: ſed aptum,natumq; eſſe,nobis iam ſufficit. Nam & oculus qui proprias habet actiones, attamen a toto corpore ſecundum ſubſtantiam inſeparabilis eſt. Neq; enim idem eſſe dicam quod proprium,& quod inſeparabile eſt. Proprium nanq; eius ipſum intueri,haud tamen abſq; toto. Quandoquidem erat quoq; proprium oculi ſimul cum toto. Gubernator vero diuerſo modo ſe habere videtur: nam cũ inſeparabiles a naui habeat actiones: attamen ipſe ſecundum ſubſtantiam ſeparabilis eſt. Quatenus nanq; homo ſeparabilis eſt:quippe qui & alias quoq; habeat actiones ſeparabiles. Hominis enim ſunt, & quæ gubernandi vim habent;ſed ex cõplexione quadam cũ alio fiunt. Nihil autem prohibet

Dubitatio.
Reſponſum
Fieri q̃dã poſſe,q̃ nũq̃ fiũt
Aliud ꝓpriũ aliud ſeparabile eſſe.

quod

quod ſeparabile eſt: ex aliqua aliquando actione cum eo connecti, a quo ſeparatum eſt.

SED quemadmodum recto, quatenus rectum, multa contingunt, ut tangere æneam ſphæram in puncto: non tamen tangeret id ſeparatum ipſum rectum. Inſeparabile enim, ſiquidem ſemper cum corpore aliquo eſt.

Album Rectum Ambiguaeē

Quemadmodum enim id nomen, album, ambiguum eſt, dum aliquando albedinē, aliquando quod albedine infectum indicat. ita & id nomen rectum: quod & ipſam ſignificat rectitudinem: & quod ſecundum eam formatum eſt: vt corpus quod oīno dirigendi poteſtatem habet. Quandoquidem inſeparabilis a corporibus ipſa eſt rectitudo, ipſum itaq; rectum quod tangit æneam ſphæram, quatenus rectum, corpus eſt, quod rectitudine figuratum fuit. Quandoquidem & ſphæra quoq; ænea eſt. Nanq; rectū ipſum ſeparatum nunq̄ tangit id. Et illud id, ſubiectum ipſum ſignificat. Rectūq; nunc pro ipſa forma, atq; rectitudine accipitur. Vult aūt ex his Ariſtoteles eius paſsiones cōſiderare, quod terminatum, atq; forma honeſtatum ſit. quæ quidem paſsiones definitionem ſequātur: verū nō definitionē eius quod definitur. Qm̄ & ambulatio vitā ſeqtur, verū huius aīalis.

DECIMAQVARTA PARTICVLA.

VIDENTVR autem & animæ paſſiones omnes eſſe cum corpore, ira, clementia, timor, miſericordia, audacia. præterea lætitia. & ipſum amare, & odiſſe. Simul enim cum his patitur aliquid ipſum corpus. Indicat autē id, quod aliquando quidem a uehementibus, & perſpicuis perturbationibus eueniētibus, nihil incitamur, aut timemus. aliquando autem & a paruis, atq; obſcuris mouemur. Quādo concupiſcit corpus, & ita ſeſe habeat, quemadmodum cum iraſcatur. Prætera id magis manifeſtum, nam nullo formidoloſo eueniente in paſſionibus aliqui collocantur, eius qui timet.

EXPOSITIO.

Aīæ paſsiones vnde & quotē

Cum opera, hoc eſt, animæ actiones dimiſerit: de ſolis nūc eius loquitur paſsionibus. Quæ quidem oēs ei ex illo impetu in corpus eueniunt. Et propter hanc cauſam paſsiones dicūtur: atq; inſeparabiles quadā ratione a corpore exiſtunt. Sed aliæ quidē eius ita exiſtūt, vt conſequatur: aliæ vero ita, vt ipſum quoq; corpus ſimul agat. Atq; hæ dupliciter fiunt, tū iuxta vitam eam, quæ vtitur, atq; mouet inſtrumentū: hoc eſt, ipſum viuēs corpus: tum iuxta vitam eam, quæ tanq̄ inſtrumentum, illud efficit, atq; effingit. Paſsiones itaq; eas, quæ corporis ſunt, tanq̄ eius quod tantū conſequitur, haud huiuſmodi indicantur, vt de eis nūc ſit mētio facienda. Qm̄ illæ potius actiones ſunt. Ipſum nanq; intelligere licet nō ſine imaginatione fiat, actio potius tm̄ eſt, q̄ paſsio. Verū in primis allatæ ſunt paſsiones illæ, quæ iuxta vitā eam poſitæ ſunt, quæ inſtrumentum format, ira ſcilicet, clementia, & quæ eiuſdem ordinis cum his. Quæ paſsiones quidem ſunt, eius quod viuaciter mouetur, tanq̄ patientis: animæ vero tanq̄ mouentis. Quādoquidem neq; agētes, practicæve illæ intellectiones huiuſmodi ſunt. quippe quæ ſecundum ſeipſas totas corpore vtantur: neq; ita vtantur, vt patienti: cum ex conuenienti conuerſione vtūtur corpore: ſed potius vtantur tanq̄ animali agente. Hæq; præterea non ſine actione quadam iudicandi vim habente, reperiuntur. Paſsiones autem illæ intellectus quæ enumeratæ fuere, qui ex cōuerſione, atq; alteratione corpori inſunt: licet dū aīa iudicat, vtiturq;, innaſcantur: attamen ita inſtrumento inſunt, vt viuaces dicēdæ ſint paſsiones. Neq; enim huiuſmodi hæ ſunt, quales eorum quæ anima carēt: quæ ex ſolo impetu ab eis quæ extrinſecus ſunt, eis adueniunt. Sed non ſine quadam actione conſiſtunt, quia id viuax eſt. Ipſum nanq; mouens in iis quæ animā habent, intrinſecus exiſtit. Quapropter, quēadmodum in imperitis corporea apparet tēperatio, quæ harū perturbationum cauſa eſt: ſic & in iis qui diſciplinis imbuti ſunt, animæ illa mouendi vim habens adeſt actio, quæ mouet, licet nō cōcupiſcat ipſum corpus, aut cohibet motū illū corporis vel cōcupiſcētis. Ariſtoteles vero ceu pſpicuū ſit ex morali philoſophia, quod aīa rationis particeps domina

Mouēs in iis q̄ aīam hńt intrinſecus exiſtere.

istius excitationis, atq; cohibitionis sit, id nunc prætermisit. Vnde & in fine huius libri, intellectum imperare, atq; in corpus potestatem habere, confirmatum fuit. Quod vero perturbationes, passiones ve hæ haud ad ipsam animam spectent: sed corporis sint probatur. Nam passiones omnes eas, quæ cum mutatione, atq; alteratione fiunt, corporeas esse vult. Animam vero a quacunq; perturbatione liberat. neq; eam solum quæ separabilis sit, atq; in seipsa maneat: sed quæcunq; vtitur corpore, tanquam instrumento, & in ipso motu collocata est. Quæ itaq; ipsius instrumenti sola est vita, vna cum corpore eas excipit passiones, de quibus hactenus locuti sumus. At si secundum se impassibilis mo/ uens anima est, quonam pacto eadem edocta perturbationes reprimit? quove præterea modo anima quæ extra seipsam vergit, ab ea diuersa erit, quæ tota in seipsa permanet, si & ipsa impassibilis est? Nũquid in actionibus est aliquis subingressus, cõuersiove quæ/ piam: quam alio modo passionem appellamus: licet neq; passio vocanda sit. Quæ nanq; proprie passio, perturbatio ve dicitur, extrinsecus tota accedit: & in mutatiõe ea posita est. quæ ab alio aliquo mouente fit. Anima vero mouens, atq; ipso corpore vtens: haud ex/ trinsecus aliquid recipiens, neq; dum ab alio mouetur: sed iuxta propriam actionem, & subingreditur, & variis modis versando mouet: & vtitur instrumento, dum obscure, aut præter rationem, aut inordinate, aut quacunq; ratione indefinite agit. Atq; ipsa quidem eruditio medicina est, illius actionis inuersæ, intelligens vero contemplatio ab actione tendente ad id quod extra, ad substantialem ipsam actionem transmutatio est. Iræ nanq; & timores, & quæ huiusmodi sunt, quæ vna cum corporea illa conuersione innascun/ tur: quod totum id est: quia viuaces sunt motiones: passiõs sane animales sunt: verum iuxta vitam eam, quæ ipsum fere animal effingit. Fiuntq; ab anima illa, quæ mouet: aut inordinate, & immoderate: & ab ea quæ indefinite agit, aut ordinate ab ea quæ naturam, & rationem sequitur. Quod itaq; communes cum corpore quod ipsas habet, huiusmo/ di sint passiones, prima probatio vel inde sumi valet: quia vna cum his ipsum quoq; cor/ pus patiatur. id autem est: quod corporea mutatio fiat. Altera vero sumitur ab iis, qui im/ perite erga corporeas temperationes, atq; dispositiones se habẽt: qui vel immobiles per/ manent: licet valida interdum, atq; vehementia sint, quæ extrinsecus accidunt, tum sua/ uia, tum molesta: (quæ passiones quoq; appellatæ fuere:) aut vltra mediocritatem omnẽ mouentur, cum corpus ipsum incitatum est, quemadmodum quod semine affluat, erga venereas sese res habet. aut quod indignatione accensum est, in ipsam iracundiam. Ali/ quando vero, quamuis nihil extrinsecus molesti euenerit: qui paulo plus ad atram bilẽ proni sunt, in timores incutiuntur: manifestior q; hoc pacto redditur perturbationum causa, quæ ex ipsa corporis affectione pendet. Licet anima quoq; huc ipsum corpus mo/ uens accersita fuerit. Quemadmodum enim dicturus est, aliquãdo quidem ipsa animæ actio exordiens progreditur ad corpus: aliquando vero corporis passiones animæ actio/ nem ad ipsum reuocant. Verum nequaquam tanquam in finem, vt panis appetitionem ad se trahit: sed tanquam eam, quæ fingat, atq; formet, in ipso corpore congruas, atq; con uenientes subiectæ temperationi passiones.

Dubitatio

Responsum

Pasio pro/ prie.

Eruditio cu iusmodi me dicina.

DECIMAQVINTA PARTICVLA.

SIN autẽ ita sese habet, patet, quod & passiones rationes in materia sunt. Qua/re & definitiones tales. ut, ipsum irasci, motus quidam talis corporis, aut partis, aut potestatis.

EXPOSITIO.

Viuacem quidem actionem ratio manifestat. Passiones vero inseparabilẽ eius miscel/ lam indicant, quod cum in materia sit, ad corporeum vergit motum, quia ipsius quoque compositi est. Sermo itaq; qui passionum ita definiendarum vim habet, vt rebus quoq; ipsis conueniat: non solum ipsum viuax: sed corpus quoq; comprehendet. Vt, exẽpli gra tia, ipsum irasci motus quidam est, huiusmodi corporis, aut partis. Mutatio nanq; corpo rea est, & propter hanc causam, motus quoq; dicitur. Licet non simpliciter motus appel/ lari queat: sed quidam motus. Quandoquidem totum id est, viuax scilicet motus, & tan/

Irasci quidã motus est.

quam

q̃ uiuentis corporis. Quapropter neq; corporis ſimpliciter dicimus: ſed huiuſmodi corporis, hoc eſt, viuentis. & viuentis iuxta talem vitæ ſpeciem, vt exẽpli gratia, appetendi, & ſentiendi, & vlciſcendi vim habentem. Interdum vero ſermo ipſe definiens haud totum cõprehendit corpus: ſed partem ſolum illã, quæ primo paſſionem eam recipere ſolet. vt ſanguinem circa cor exiſtentem, aut ſpiritum ſentiendi vim habentẽ. & propter hanc cauſam, aut partis dixit. Illud autem, aut poteſtatis, adiectum fuit, quia aliquando definitiones illius vitæ motũ primo ſignificare ſolent, quæ inſtrumentũ formar. Qui nanq; iram feruorẽ eſſe dixit ſanguinis circa cor, vltionis appetendæ vim habentem: cum motum corporis primo enuntiarit, qui in materia eſt: deinde formam ex eo, quod appetendi vim habet, ſignificauit. Qui vero appetitionem vltionis, ex ſanguine circa cor feruente dicat, motum poteſtatis antea adduxit, hoc eſt, formantis vitæ inſtrumentum.

AB hoc, cauſa huius.

In perfectis itaq; paſſionum definitionibus accipere debemus nõ ſolum quod ita viuat corpus: ſed & quod ipſum mouet: & quod tanq̃ inſtrumento vtitur: & quod tanq̃ finis in cauſa eſt: ſiue vere bonum ſit, ſiue ita videatur. Nanq;, vt exemplis hanc rem declaremus, ſalus ſecundum naturam bonum eſt: vltio vero bonum eſſe videtur.

ET propter hæc iam naturalis eſt contemplari de anima, aut cuiuſcũq;, aut talis.

Talem quidẽ intelligit nõ ſolum eam quæ inſtrumentũ effingit: ſed & eam quæ illius mouendi vim habet: & tanq̃ inſtrumento vtitur: qua mouet: & qua vtitur: & oĩno eã quæ ad corpus vergit, quatenus vergit. & eam præterea oẽm quæ rerum veritatis contẽplandæ vim habet: tum quia emineat: tũ quia ſuam in ſubſtantiã actionẽ reducat. Qm̃ enim vna, multiplexq; aĩæ ſubſtantia eſt: quatenus quidẽ vna, atq; eadẽ ſubiecto, quæ firme, atq; aliquando eminẽdo contẽplatur: & quæ in corpus inclinat: & quæ corpore vtitur: quæq; ipſum mouet, de quacunq; naturalis ipſe ſermonẽ habere videri poſſet. Materiã nanq; attingit, qui quacũq; ratiõe ipſam cõtẽplatur. Quatenus vero diuerſa redditur: ita vt haud vna ſola, ſed multiplex ſit: qui eã contẽplatur iuxta id quod inſeparabile eſt, haud de oĩ contẽplaretur: ſed ſpeciatim de ea quæ iſeparabilis quacũq; rõne eſt a corporibus, q̃tenus talis.

DECIMASEXTA PARTICVLA.

DIVERSA aũt ratiõe definiret naturalis, ac dialecticus, unũquodq; ipſorũ, ut, ira quid eſt. Is. n. appetitionẽ ultionis, aut aliquid tale. Ille uero feruorẽ ſanguinis circa cor, aut calidi. Ex his aũt, alter quidẽ materiẽ affert: alter uero formã, ac rationẽ.

EXPOSITIO.

Quandoquidem determinatum eſt, qua ratione aĩatam ſubſtantiã ſibi naturalis vendicat: quatenus ſcilicet, a corporibus inſeparabilis eſt: & modum quoq; cognitiõis eius, qui rebus conueniat, Ariſtoteles determinat. Quicquid enim animæ ipſius a corporibus inſeparabile eſt, vt aptum, atq; natum eſt, ita intelligi quoq; debet. hoc eſt, iuxta eam cognitionem quæ rebus conueniat. id autem eſt, quatenus & illud quoq; inſeparabile. Duoq; ſimul, viuacem ſcilicet formam, atq; ipſum corpus, qui res ipſas conſequitur, videbit. Qui vero haud tanquam inſeparabilem, inſeparabilem contemplatur vitam, leuiter ipſam attingere, ac nequaquam ad intima peruenire videtur. & propter hanc cauſam, logice, atq; dialectice agit. Leuem nanq; notitiam, & quæ haud ad res ipſas vſq; perueniat, logicam, atq; dialecticam Ariſtoteles appellare conſueuit, quippe cum opinionem, non autem ſciẽtiam gignat. Qui de naturæ itaq; rationibus diſputat, cum ſcientiæ profeſſor exiſtat, & tanquam inſeparabilem videbit: & qua ratione inſeparabilis ſit, perſpiciet: & qualiſnam vitæ forma ſit, de qua ſermo eſt: & a quonam corpore inſeparabilis. In ipſa vero dictione, cum antea dixerit, diuerſa ratione definire naturalem, atq; dialecticum: cum vtrunq; diuerſitatem ſuam ſub exemplo iræ in formis, atq; paſſionibus animæ in medium adducere voluit: alterum in ſola forma verſari, inquit, alterum vero in ſola materia. Neq; tamen naturalem ipſum ſolam materiam tractare intelligit: manifeſte enim hunc ambas ſibi aſci-

ſcere, inquiet. Sed cum metam ſibi hanc ſtatuerit, quo inter naturalem, dialecticumq;, quid diſcriminis ſit, indicet: vniuerſalius diuidit, quotcunq; iræ definitiones afferri poſſe videtur. Inter quas & ea quæ ex materia cõſtet, ſumpta quoq; fuit propter diuiſionis pfectionem. Quæ itaq; ex appetitione datur definitio, formæ eſt. quæ vero ex calido circa cor ad materiam ſpectat. At infert poſtea & eam quæ ex ambabus conſtet, ex his.

HAEC quidẽ enim ratio, illa uero rei. Neceſſe aũt eſſe hãc in materia tali ſi erit. Quẽadmodũ de domo, ratio quidẽ talis eſſe poſſet, quod umbraculũ prohibẽs interitũ a uẽtis, & ibribus, & caloribus. Illa uero loqueretur lapides, & lateres, & ligna.

Haud ſane hæc intelligẽda, quemadmodum Plutarchus philoſophus exponit, qui diuidit rationem, aduerſus eam quæ rei. Sed cum Ariſtoteles dixerit appetitionẽ vltionis formam eſſe, & rationem, rationẽ rei eſſe inquit, hoc eſt, formã: iuxta quã perficitur ira. Qm̃ autem compoſita eſt ipſa ira, neceſſe eſt, & rationem, & formã in materia videre, ſi licebit. Nanq; cum ſit, haud ſine materia eſt. Deinde cum & in domo ſeparatim formam, ac ſeparatim materiam dixerit, definitionem ex ambabus addit.

ALTERA autẽ in his forma, cauſa horũ. Quæ itaq; naturalis ex his? utrũ quæ circa materiã, rationẽ aũt ignorãs: aut quæ circa rationẽ ſolã: aut quæ ex ambabus.

In lignis ſcilicet, & lapidibus, & lateribus forma eſt, hoc eſt, ipſum vmbraculum: cũ addiderit & finem. Quandoquidem in iis quæ ab arte fiunt, determinatum eſt ipſum cuius cauſa ex forma. Verum cum diſtinxerit definitiones, inueſtigat quod reliquũ eſt, quænã ex his naturalis ſit: & eam eſſe iudicat, quæ ex ambobus conſtat.

EX illis ſane, quæ utraq;.

Quæ in materia, & quæ ſolum in ratione. Verũ videtur mihi eam, quæ in materia poſita eſt, dimittere cum demonſtret neminem vnq̃ ex ſola materia definire. Ex iis vero quæ poſtea infert, diſtinguit vniuerſaliter definitiones quæ circa rationem poſitæ ſunt. Ex materialibus nanq; rationibus, cum aliæ quidem ſubſtantiales ſint: ſecũdum quas cõpoſita ſubſtantiæ ſunt: qualis quæ animaliũ vitam, & quæ ignem, quæq; alia elementa, & quæ ex his cõpoſita definire poteſt: aliæ vero ſubſtãtias ſequãtur: oẽs illæ ſcilicet rationes, quæ ſecundum accidentia conſiſtunt: & cum ex his ſubſtantiarum, accidentiumq; rationibus: aliæ quidem a materia inſeparabiles ſint: quæ & quatenus naturæ participes ſunt, intelliguntur: aliæ vero quatenus per ſe ſunt, cognoſcantur: de omnibus ipſis ſubſtantialibus, atq; accidentium materialibus rationibus, quæ non ſint ſeparabiles, & quatenus non ſeparabiles, ſolus naturalis tractabit.

DECIMASEPTIMA PARTICVLA.

AN non eſt aliquis qui circa paſsiones materiæ nõ ſeparabiles. neq; quatenus ſeparabiles. Sed naturalis circa omnia, quæcunq; talis corporis, & talis materiæ opera, & paſsiones.

EXPOSITIO.

Sed naturalis circa omnia, quæ talis corporis, & talis materiæ opera, & paſsiões. Hacq; ratione materiales rationes vocat: quas omnes ſiue ſubſtantiæ, ſiue accidẽtium ſint, ſolus conſiderat naturales, cum inſeparabiles ſint, quatenus inſeparabiles.

QVAECVNQVE autem non ſine huiuſmodi alius.

Hoc eſt, non quatenus inſeparabilia, ſed quatenus ſeparabilis alius. Dialecticus nanq; eſt, qui ſubſtantiales rationes, tanq̃ per ſeipſas exiſtentes cognoſcit.

ET circa quædam quidem artifex, ſi euenerit. ut faber, aut medicus. Ex iis autem quæ quidem nõ ſeparabilia: quatenus uero non huius corporis paſsiones, & ex ablatione mathematicus.

Quippe

Quippe cum de inſeparabilibus & artifex quoq; conſideret: haud tamen de oibus, ſed de ſolis accidentibus. Accidens nanq; eſt, & bona ualetudo, & pulchritudo ligni. & hac ratione a naturali differt: quia in illis verſetur, vt dictum eſt. quēadmodum dialecticus quia fere ſeparabiles, atq; ſubſtantiales rationes conſideret. De quibuſdam autem & mathematicus agit, quēadmodum & artifex: & de his accidentibus, & profecto haud ſeparabilibus. At non amplius erit mathematicus, cum de huius corporis paſſionibus tractabit. non. n. tanq̄ de inſeparabilibus. Sed ceu ex ablatione, & ipſos per ſe numeros, & mutuos eorum reſpectus, atq; figuras conſiderat.

QVATENVS autem ſeparata, primus philoſophus.

Quod quidem de ſeparabilibus primus philoſophus agat perſpicuum eſt. Illud autē quatenus ſeparata locum habet non in iis quæ ſupra nos ſunt: ſed in noſtra rationali aīa: quā intellectum appellat. Ipſa nanq; in illo ad corpus reſpectu, ſeparabilis ſimul eſt, atq; inſeparabilis. & quatenus quidem inſeparabilis a naturali cognoſcitur: quatenus vero ſeparata ſe primo philoſopho contemplandam tradit.

DECIMAOCTAVA PARTICVLA.

SED redeūdum iam eſt unde diſceſſit oratio. Dicebamus enim quod paſsiones animæ inſeparabiles ſunt a naturali materia animalium. Quatenus uero huiuſmodi ſunt, ira, & timor: & non quemadmodum linea, atq; planum.

EXPOSITIO.

Id aūt eſt, redeundum ad animæ paſsiones, quæcunq; ſeparabiles cum ſint a naturali materia animalium, quatenus huiuſmodi inſunt. Animæ quidem igitur dicūtur paſsiones: cū tamē ipſius cōpoſiti ſint. quippe cum illa moueat, atq; agat ipſas in cōpoſito. Quēadmodum & ſolis lumen in aere dicimus: quippe cum ſol quidē illud agat, aer vero patiatur. Naturalis aūt materia animalium eſt, inſtrumentarium corpus, & quod ad vitā aptiſſimum eſt. Illud vero, quatenus huiuſmodi ſunt, & quæ ſecuntur: indicat huiuſmodi paſsiones, iram dico, & timorem, & quæ his ſimiles. Quæ nequaq̄ ex ablatione, quēadmodū linea, atq; planū ſine materia intelligi poſſunt. quippe quæ quatenus talia, materiā quoq; ſecum trahant: & non quēadmodū planū ſine ære, atq; oīno ſine duritie poni poſsint. Ipſum nāq; planū, vt & ipſum cauum ſeſe habet, cū ſine naſo intelligitur. Ira vero, vt ipſum ſimū. Simū nāq; cauitas in naſo eſt. vt ira appetitio vltionis in feruore ſanguinis circa cor.

DECIMANONA PARTICVLA.

INVESTIGANTES autem de anima, neceſſarium ſimul dubitantes de quibus abundare oportet, prodeuntes antiquiorum opiniones una cōprehēdere quotquot aliquid de ea dixerunt. Quo quæ quidem dicta ſunt recte, accipiamus: ſin autem quicpiam non recte, id caueamus.

EXPOSITIO.

Quando haud confeſtim nobis rerū veritas apparere poteſt: cum ita affecti ad cōtēplationem poſt ortum ſimus: præcedit inueſtigatio, & impetus, qui nos in diuerſas partes trahit, atq; de his dubitatio. Vt exēpli gratia in eo quod propoſitum eſt: vtrū ſcilicet ſubſtātia anima ſit, necne. & ſi ſubſtantia, vtrum poteſtate, an actu. & vtrum corpus, an ſine corpore. & rurſum ſi ſubſtantia, vtrū ſeparabilis, an inſeparabilis, vel quadam ratione vtrunq;. At qm̄ opiniones quæ antehac de ea habitæ fuerunt, oppoſita de ipſa quoq; enuntiarūt: earum narratio ad nos magnopere pertinet: qui & ad dubitationem, & ad inuentionē mētis aciem dirigimus. Quo ex iis: in quæ illi intuentes, alii quidem ſic, alii vero ſic ſtatuerūt: nonnulla refellamus, nonnulla q; probemus

PRINCIPIVM autem inueſtigationis proponere quæ maxime uidentur ineſſe ei ſecundum naturam.

Quādoquidē & cognoſcere ea quæ inſunt: vt antea dictū fuit: magnā partē cōfert ad cognoſcēdū ipſum quid eſt. Particula vero illa, ſecūdū naturā, adiūcta fuit: quo quæ ſecūdū ſe indicaret. Quæ. n. ex audiētibus cōiora ſunt: haud in propriā aīæ ſubſtātiam reducunt.

ANIMATVM ſane ab inanimato duobus in primis differre uidetur, motu, & ipſo ſentire. Accepimus autem & ab antiquioribus hæc fere de anima.

Vult ſane ex iis, quæ animæ inſunt, eius ſubſtantiam inuenire. Quænam vero ea ſint, quæ inſunt: ex iis quæ ab ea determinata ſunt: hoc eſt, ex animatis quatenus talia ſunt: cõtemplatur. Quænam ea itaq; ſunt: quæ animato, quatenus animato: ex omnium, vt vno verbo comprehendam, ſententia: inſunt? Ipſum intrinſecus moueri. Motus nanq; hic acceptus fuit, qui intrinſecus ei ineſt. & non ſimpliciter. Qui nanq; intrinſecus animatorum proprius eſt. Qui vero ab altero, & in iis quæ anima carent, reperitur. Ipſum vero ſentire ſumptum fuit, non tanquam id, quod omnibus animatis inſit: ſed tanquam quibuſdam ſolis. Illud vero intrinſecus moueri oĩbus. Nanq; & in plantis accretio, atq; decretio extat.

VIGESIMA PARTICVLA.

INQVIVNT enim nonnulli & maxime, & primo animam eſſe ipſum mouens.

EXPOSITIO.

Natura quidem principium eſt eius in quo eſt, ſed vt moueatur: nõ vt moueat. Anima vero haud ſimpliciter principium exiſtit: ſed huiuſmodi, vt intrinſecus viuaciter illud moueatur. Quapropter non ſolum ipſius moueri principium animalibus præſtat: ſed tanq̃ ea quoq; quæ mouendi vim obtineat. Vita itaq; quæ corpori conceſſa eſt, eius principium eſt, quod viuaciter mouetur: atq; ita vt illud moueatur. At quando hãc, non omnino animam: ſed aut animæ partem: aut non ſine anima appellat: adcurrit ad eã, quæ vim corporibus largitur: quæ anima magis proprie eſt, q̃ vita: quam ex eo quod mouet definit. Mouens quidem igitur eſſe animam, & ipſe quoq; ſtatuit: ſed non primo: & præſertim animã eorum quæ genita ſunt: de qua nunc ſermo habetur. Animæ vero corporum cœleſtium: niſi & ante has intellectus ſit: noſtræq;, quæ non per ſeipſas omnino verum eſt, quod moueant mortalia corpora: ſed aliquem finem, qui extrinſecus accidat, intuẽtes: vt in phyſicis dictum fuit: & cum per accidens moueant: propter acceſſum ſcilicet eum, quod ad corpora ſpectant: neq; primo, neq; maxime, mouentes dicẽdæ ſunt. Quippe cũ neq; cauſæ quæ mouent ea, quæ errando vagantur, ſiue animæ, ſiue intellectus ſint: propter id haud ſolæ omnem eorum exordiantur motum. Forſan aũt, particula illa, nõnulli addita fuit & propter Anaxagoram, qui nõ manifeſte appellat animam illum intellectum, quẽ primũ mouens ponit: & propter Empedoclem, qui amicitiam, atq; diſcordiam, & nõ aĩas vocat, quæ mouent: aut & propter eos naturales, qui materialibus ſolum vtuntur cauſis.

ARBITRATI uero quod ipſum non mouetur non poſſe alterum mouere: ex iis quæ mouentur quoddam hac ratione animam eſſe putarunt.

Non ſecus in formalibus cauſis ſeſe res habet: & in iis quæ mouẽdi vim habent: atq; in materialibus. In quibus alia quidem proxima eſt: alia q; lõgius abeſt: & alia prima exiſtit. Et quoniam ipſum mouens cauſa eſt: motus vero ex cauſa efficitur: primum ipſum mouens nullo pacto moueri neceſſe eſt, quo pure in mouendi cauſa remaneat. Media vero quadam ratione moueri Plato vult: quippe quæ ſubingrediantur primum illũ intellectũ, qui mouendi poteſtatẽ habet. Haud tamen ita, vt corporeo illo motu moueantur: qui poſtremus eſt, & eorũ quæ mouentur ſolum. Decimus itaq; in libris de legibus aĩæ motus eſſe dicitur: cũ poſt octo corporeos ſit: atq; nonũ, qui naturalis eſt. Natura enim apud eũ mouetur, per ſubingreſſum ex impartibili: & multo magis aĩa. Verum Ariſtoteles, qui ſolum corporeũ noĩat motũ: hãc vlli mouẽdi vim habentiũ cauſarũ ſeſe adiũcturum negat.

VNDE Democritus quidem ignem quendam, atq; calidum, ipſam eſſe inquit. Nam cum infinitæ ſint figuræ, atq; atoma, quæ ſphæræ formam habent, ignẽ & animam dicit. ut in aere quæ ramenta dicuntur: quæ apparẽt in radiis per feneſtras ingredientibus: quorum cuiuſcunq; generis ſemen, elemẽta dicit totius naturæ. Eodẽ præterea modo & Leucippus. Ex iis aũt, quæ ſphæræ formam habent, animam: quia præcipue ubiq; poſſunt ingredi huiuſmodi figuræ: & reliqua mouere, cum moueantur & ipſa. Exiſtimantes animam eſſe quod præbet animalibus motum.

Vigeſima

VIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

QVAPROPTER & ipſius uiuere definitionem eſſe reſpirationem. Cum enim colligat ipſum continens corpora, & eiciat ex figuris eas, quæ præbent ipſis animalibus motum: cum neq; hæ unq̃ quieſcant: auxilium extrinſecus accedit: quatientibus aliis huiuſmodi in reſpirando. Prohibent nanq; hæ & quæ inſunt in animalibus, di uidi prohibentes quod colligit, atq; coniungit. Et uiuunt donec id facere poſsint.

VIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

VIDETVR præterea & quod a Pythagoreis dictum fuit eandem habere ſentẽtiam. Dixerunt enim quidam ipſorum, animam eſſe ramenta illa, quæ in aere ſunt. Alii uero quod hæc mouet. De his autem dictum fuit: quoniam continenter moueri uidentur: licet ſit tranquillitas ſumma.

EXPOSITIO.

De Democrito primo mentionem facit, tanquam de eo qui manifeſte corporeum motum animæ aſsignarit: nanq; localem dedit. Siquidem quoddam ex corporibus atomis ipſam ponebat: quatenus ſcilicet ſphæricũ quid exiſtit: id quod & ignis quoq; eſt. Quod enim facillime moueatur: & per omnia pertranſeat: ita vt nõ prohibeatur: cum ſine angulis inter figuras, quæ ſphæræ formam habet, exiſtat: igni, atq; animæ conuenire videtur. Manifeſta autem Democriti opinio de elementis eſt, ex primo naturalis auditionis: cũ ato ma poſuerit parua quædam corpuſcula, qualia illa apparent ramenta in radiis, qui per feneſtras ingrediuntur. Neq; enim hæc, ſed ſimilia his propter paruitatem elementa Democritus poſuit: quæ ex vna quidem ſubſtantia omnia eſſent: ſed magnitudine, atq; figura inter ſe different. Ex quibus tanq̃ ſeminibus cõpoſita omnia corpora conſtare inquit: atq; eam ob cauſam, & cuiuſcunq; generis ſeminarium ipſa vocat: tanq̃ omnium rerum ſemina. Quapropter & ipſius viuere definitionem reſpirationem eſſe vult: quæ duplici quoq; ratione ipſius viuere cauſa eſt. Tum quia prohibeat egreſſum rotundorum illorũ corporum iam intus exiſtentium: ingrediente, atq; occurrente aere rotundis illis figuris: quæ ab ipſis exeunt: quia facile mouentur: & ex neceſsitate eliſis ex collectione ſolidorum, quæ a continente fit: & aere ingrediente pugnante aduerſus illam collectionem, cauſa dilatandi, atq; expellendi ſolida. Hacq; ratione reſpiratio ipſius viuere cauſa eſt. Tũ quia loco exeũtium rotundarũ extrinſecus ſimilia inducit. Vtrum autem hoc modo Democritus ex corporibus animam genuerit: quam quaſi digito intelligentem volebat ſubſtantiã per ſphæram indicare: haud ſane habemus declarare. Neq; enim cõueniens eſt Ariſtotelicæ aduerſari hiſtoriæ: quia, vt plurimum illud tantum exponit, quod apparet: quemadmodum & illud quod de Pythagoricis adductum fuit. Democritum enim ſcribit elementa ſimilia ramentis quæ ſunt in aere dicere: nonnullosq; præterea Pythagoreorum hæc eadem ſentire: cum tamen hæc nunq̃ opinati ſint Pythagorici illi viri: atq; adeo forſan demonſtraue rint animæ ſubſtantiam iam diuiſam, & in id quod perſpicuum eſt, progredientem.

IN idem præterea feruntur & quicunq; dicunt animam ipſum mouens. Videatur enim hi omnes exiſtimare motum eſſe maxime proprium animæ. Et alia quidẽ omnia moueri propter animam.

Qua quidem ratione Plato animam moueri dicat ex ſubingreſſu a primo mouente, iã dictum eſt. Non ſimpliciter tamẽ mobilis ſed per ſe mobilis dicitur: ita vt haud omnino ab impartibili illa ſubſtantia, atq; actione recedat. Idem nanq; impartibilem ipſam ſubſtãtiã, atq; perfectam actionem apud Platonem indicat. quemadmodum & ipſum nobile eam habet vim, vt partibilem ſignificet. Medietati itaq; animæ nomẽ compoſitum ex extremis tribuitur propter coniũctionem medii cũ ambobus extremis. Ariſtoteles vero qui motus nomine ſolum vtitur, cum de partibili loquitur actione: atq; ea quæ dũ fit ſuũ habet eſſe: iure incorporeas motus cauſas moueri negat: ſiue primæ, ſiue mediæ, ſiue extremæ ſint

HANC autem a ſeipſa: quia nullum uideant mouẽs, qđ nõ & ipſum moueatur.

VIGESIMATERTIA PARTICVLA.

EODEM præterea modo & Anaxagoras animam eſſe dicit mouentẽ: & ſi quiſpiam alius dixit, quemadmodum ipſum omne mouit mens. Non tamen omnino quemadmodum Democritus. Ille enim ſimpliciter animam, & mẽtem. Id nanq; uere eſt, quod apparet. Quare recte ſcripſit Homerus, ut Hector iacet aliud ſentiens. Non ſane utitur mente, tanquam poteſtate aliqua circa ueritatem: ſed idem dicit animam, & mentem.

VIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

ANAXAGORAS autem minus dilucide loquitur de ipſis. Multis enim in locis cauſam ipſius bene, ac recte mentem dicit. Altera uero ex parte mentem eſſe eandem cum anima. In omnibus nanq; ipſam exiſtere animalibus, & magnis, & paruis & honoratis, & inhonoratis. Non autem uidetur, cum iuxta prudentiam mens iſta dicatur, omnibus eodem modo ineſſe animalibus, at neque hominibus omnibus.

VIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

QVICVNQVE quidem igitur propter ipſum mouere animarum inſpexere, hi quod maxime mouet exiſtimarunt eſſe animam.

EXPOSITIO.

Licet enim mens primo moueat, cum omnino immobilis ſit: at ſimul cum anima, atq; natura mouet. Si itaq; moueantur anima, atq; natura, cauſa quæ mouendi vim habet cõflata ex iis ipſis, atq; ex mente, quod mouetur, erit. Verum cum mentionem fecerit de Anaxagora, qui mentem motus cauſam eſſe dixit: tanquam & animam quoq; ipſam mouentem pronuntiarit: addit, haud tamen omnino quemadmodum Democritus. Hunc quidẽ enim tanquam non diſtinguentem poteſtatem illam cognoſcendi vim habentem ſemper veram: quam mentem appellamus: ab ea quæ aliquando fallitur: qualis ea in nobis vita eſt, quæ ſentiendi, cogitatione effingendi, atq; opinandi poteſtatem habet: quia oẽ quod apparet verum eſſe iudicat: in idem, inquit, adducere mentem, atq; animam: eam ſcilicet, quæcunq; ſit, quæ cognoſcendi vim habeat. Laudariq; Homerum a Democrito Ariſtoteles ſcribit: qui dixit, vt Hector iacet aliud ſentiens propter vulnus. cum tamen propter corporis percuſſionem læſa ea fuerit vita, quæ iudicandi facultatem obtinet: non autem ea, quæ a corpore ſeparabilis eſt. Quam animæ huiuſmodi poteſtatem appellat, vt veritatem comprehendere poſſit: & eam profecto mentem innuit, quæ non ſine prudentia ad verã notitiam perueniat. Homerum quidem igitur ex poetica quadam licentia abſq; vllo diſcrimine dictionibus vti, admiratione dignum nequaquam eſt. Verum Democritus eum laudans dilucidum facit, quod in quamcunq; cognitionem mentem illam cum prudẽtia adducit. Anaxagoram vero Ariſtoteles inquit, haud omnino in idem animam, atq; mentem conferre: quodq; non manifeſte loquitur: atq; adeo oppoſita dicere videtur. Nanq; interdum ſolius rectæ cognitionis mentem cauſam eſſe dicit: & propter id quadam ratione ipſam ab anima ſeiungit: quippe cum ea ſit: quæ haud omnem comprehẽdat veritatem: ſed ſine præſtãti illa vi. Interdum autem cum ipſam in omnibus animalibus reperiri aſſerat: eandem quoq; ita cum anima ponit. Anima enim in omnibus eſt: at nequaquam mens: niſi quiſpiam imaginationem mentem appellet: cuius reſpectu diſtinguens, mẽtem cum prudentia haud in omnibus eſſe dicit. Quandoquidem ne in omnibus quidem hominibus reperitur. Perpauci nanq; ſunt, qui cum prudentia veram notitiam gignentem veritatem contemplentur. Haud in omnibus itaq; hominibus eſt: non tanquã ii ea careant ſubſtantia, quæ intelligere valeat: (nanq; vna eſt anima, quæ omnes habet poteſtates) ſed ceu ipſi ea nequaquam vtantur.

QVICVNQVE uero propter ipſum cognoſcere, atq; ſentire ea quæ ſunt: hi ſane dicunt animam principia. Alii quidem plura facientes principia: alii uero unam hanc. Quemadmodum Empedocles quidem ex elementis omnibus: eſſe autem & unumquodq; horum animam, ſic dicēs. Terra nanq; terram uidimus, Aqua autem aquam. Aethere uero Aethera deum, at igne ignem ſæuum. Amore uero amorem. Diſcordiamq; diſcordia mœſta.

VIGESIMASEXTA PARTICVLA.

EODEM præterea modo in Timæo Plato animam ex elementis facit. Cognoſcitur nanq; ſimili ſimile, resq; ex principiis ſunt.

EXPOSITIO.

Subintelligendum eſt verbum inſpexerunt, quod ab Ariſtotele ſuperius poſitum fuit. Verum cum duobus aīam effingi dixerit, eo ſcilicet quod mouendi habeat, atq; eo quod cognoſcendi: & cum ſcripſerit, quod quia moueretur, mouere quoq; ipſam antiquiores voluere: addit, & qua ratione ipſam ea, quæ ſunt cognoſcere exiſtimarunt. Simili nanq; ſimile ſemp cognoſci opinantes: & animam quippe quæ ea quæ ſunt cognoſceret: iis quoq; quæ ſunt ſimilem eſſe voluerunt. Ac ne ex iis omnibus quæ ſunt, ea ſibi conſtituenda eſſet, quæ infinita fere ſunt: ex principiis ipſam poſuere. Quandoquidem & incipientium cognitio ex principiis ortum habet. Satis ſuperq; igitur, cum ex principiis anima conſtituta ſit; non ſolum ipſa illa principia: ſed & alia quæ ex eis deducuntur, cognoſcere valet. Hacq; ſane ratione Empedocles ex quatuor elementis ipſam exiſtere inquit: & ex duobus principiis vim mouendi habentibus, amicitia, ſcilicet, atq; diſcordia. Ita, vt nō ſolum anima miſcella ſit ex omnibus illis principiis: ſed & vnumquodq; principium cum habeat vim cognoſcendi ſimile. Quod nanq; cuiuſq; rei cognoſcendæ vim habet, illud anima eſt. Plato vero in Timæo ex impartibili ſubſtantia, & ea quæ circa corpora diuiſa eſt, ipſam conſtituit. Ex quibus altera quidem intelligentem, altera vero ſentientem terminum indicat: cū ex ſubſtantia elementorum rerum generandarum vim habentium, & ex eodem, atq; diuerſo conſtituatur. Quæ ſane, & his ſimilia eodem ſunt ordine genera diſpoſita, rerū omnium elementa Plato ponit.

EODEM præterea modo & in iis quæ de philoſophia dicuntur, determinatum fuit.

De philoſophia nunc intelligit, quæ de bono ab eo cum Platonem allocutus eſſet, ſcripta fuere. In quibus Pythagoricas, atque Platonicas opiniones de iis quæ ſunt, memoriæ commendat.

IPSVM quidē animal ex unius idea, ac prima longitudine, & latitudine, & profunditate. Alia uero eodem modo.

Ariſtoteles quidem ſemper quod extra apparet ſcriptis ſuis mandare, atq; confutare cō ſueuit: verbaq; aduerſus antiquorum conſuetudinem excipere: neq; exactam virorum illorum veritatem, quæ cum rebus ipſis conuenientiam habet tollit: ſed cōtra dictiones, vocabulumve, quibus abuſi ſunt, ſeſe obiicit. Nonnullos nanq; cognoſcebat, qui iam decipiebantur: & in mathematicos numeros, geometricasq; magnitudines ferebantur. Viri vero illi itinera multitudini trita fugientes, & occulte iis tantum qui digni exiſterent philoſophiam tradentes, aliis ex mathematicis nominibus eam indicabant. Ac manifeſtius quidē virorum illorum ſententia in iis libris conſcripta fuit: quia me in ea quæ poſt naturalia dicuntur, editi fuere. Nunc autem tantum dicamus, quantum neceſſe eſt in memoriam reuocare: quo quæ nunc propoſita ſunt, exponantur. Numeros nanq; appellabant ſpecies: quippe quæ primæ ab imparibili illa coniūctione diſiunctæ eſſent. Quæ enim ſupra ſpecies, & ſupra omnem diſiunctionem ſunt. Abſolutam quidem formarum multitudinem

ex denario numero significabant. Nanq; prima formarum principia vnitate, atq; dualitate innuebant, tanquam iis, quæ neq; essent numeri. Primum vero principiū trinitate, atq; quaternitate, tanquam primis numeris constabat: quorum alterum imparium, alterum vero parium exstitit. Ex quibus postea non sine quadam collectione numerus ille fit, qui decem appellatur. Post numeros vero in vitis istis secundis, atq; multiplicibus geometricas magnitudines loco naturalium ponentes: & has in numeros, atq; eorū principia, tanquam in suas formales causas adduxere. Punctum quidem, ceu id quod impartibile sit, in vnitatem. Lineam vero, ceu primam dimensionem, in dualitatem. Et superficiem, ceu plus dimetientem, in trinitatem. In quaternitatem autem solidū. Et vocabant, vt ex iis quæ ab Aristotele dicta sunt assequi coniectura licet: dualitatem primam longitudinem. Neq; enim simpliciter longitudinem dicebant: sed primam: quo causam indicent. Eodemq; modo & primam latitudinem trinitatem: & primam profunditatem, quaternitatem. Adducebant præterea in formalia principia, & animatas omnes cognitiones. Intelligentem quidé in vnitatem, ceu non sine coniunctione indiuisibili contrahentem. Sciendi vero vim habentem, in dualitatem: tanquam eam, quæ conuoluat: atq; ab altero quod causa sit, in effectū deducat: sed per id quod nunquam aberret: atq; per eadem semper iter faciat. Opinionem autem in trinitatem: quia eius vis haud ad idem semper, sed aliquando quidem in verum, aliquando autem in falsum vergit. In quaternitatem vero sensum: quia corporum comprehendendorum vim habet. Nanq; in dualitate vnam dimensionem ab altera vnitate ad alteram esse volebant. In trinitate vero duas ex quacunq; ad reliquas. In quaternitate treis. Adduxerunt itaq; in principia ea omnia quæ cognoscuntur: hoc est, ea quæ sunt: & cognoscentes horum vires. Diuidebant autem ea, quæ sunt, non secundum latitudinē, sed secundum profunditatem: in intelligibilia, & scibilia, & opinabilia, & sensibilia. Eademq; ratione cognitiones ipsas, in intellectum, & scientiam, & opinionem, & sensum. Illud igitur ipsum animal ex diuisione eorum quæ cognosci possunt, sumptum fuit: quod intelligibilem significat apparatum. In quo ipsæ formæ sunt: hoc est, quæ maxime primæ, atq; earum principia. Ipsius vnius scilicet idea, quæq; primæ longitudinis: quæ erat ipsa dualitas, quæq; primæ latitudinis, & quæ primæ profunditatis. Ex communi enim quadam ratione primum id in omnibus concinnandum est. Id autem est, vt ipsam trinitatem, & ipsam quaternitatē dicamus. Alio vero eodem modo, Aristoteles inquit. Reliqua intelligens, ex diuisione eorum quæ cognosci possunt: ipsa scibilia, opinabilia, sensibilia. Quæ ex principiis quoq; sunt, hoc est, ex formis. Verum haud ex principiis, tanquam ex elemētis. Sed ex illis tanquam ex causis seiunctis ab iis, quæ cum vnoquoq; eundem seruant ordinem.

VIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero & aliter, intellectum quidem, quod unum. Scientiam quæ duo. Simpliciter nanq; ad unum. Plani uero numerum opinionem. Sensum autem eum qui solide.

EXPOSITIO.

Alium sane modum, particula illa aliter significat. Indicat autem & diuisionem ipsam quæ fit, in iis quæ sunt. Haud tamen quatenus cognosci possunt: sed quatenus cognoscē di vim habent. & id eis euenit, in sua principia ipsis adductis.

NVMERI quidem enim formæ ipsæ, & principia eorum quæ sunt, dicebantur. Sunt autem ex elementis. Iudicantur autem res, aliæ quidem intellectu: aliæ autem scientia: aliæ uero opinione: aliæ sensu. Formæ autem sunt numeri hi rerum.

Posteaquam vtraq; separatim diuisit & quæ vt cognoscantur, & quæ vt cognoscant, vim habent: mutuam eorum similitudinem in his demonstrat. Quo & ex virorum illorum sentētia simili simile cognoscatur. Numeri nanq; cum ipsæ, atq; maxime primæ sint formæ, erant quidem ex elementis ipsius vnius dualitatis, & trinitatis, & quaternitatis. Principia vero dicebantur tam substantiarum earum quæ cognoscendi facultatem habent: q̄ earum quæ cognosci queunt. Nanq; ea, quibus iudicantur res, elemētariis determinātur

principiis:

principiis:& ipſæ quoq; res,quæ cognoſci poſſunt.Quoniam formæ numeri hi ſunt:hoc eſt formalia,atq; harum rerum elementaria principia. Omnes nanq; res quæ cognoſci queunt,formis determinantur,quatenus formæ ſunt.

VIGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

QVONIAM autem & mouendi iis uidebatur animæ ineſſe, & cognoſcendi, hac ratione nonnulli contexerunt ex ambobus aſſerentes animam numerum mouentem ſeipſum.

EXPOSITIO.

Xenocratis iſta fuit oratio:qui voluit animæ medietatem,& formarum, & eorum quæ ex formis eſſent confícta,atq; vna eius proprium demonſtrare.Numerus nanque forma eſt.Quod vero moueri poteſt,iis quæ formis affecta ſunt,conuenit.Ex extremis quidem igitur haud id ſolum indicat:quod neq; numerus ſimpliciter erit, neq; mobilis. Id quidē enim ſubingreditur:cum ab indiuiſibili electa fuerit.Illo vero nobilior eſt: quia diuiſibili præſtat.Vtrunq; itaq; quadam ratione eſſe poterit:quippe quæ vtriuſq; particeps ſit: numerus ſcilicet mobilis.Ex conuenientia vero medietatis,ex ſeipſo mobilis dicitur. Quoniam haud tanquam cum dimenſionibus media anima eſt:qualis phyſica ratio exiſtit: & ante hanc ex virorum illorum ſententia mathematica ſubſtantia.Neq; qualis ſubſtantia quæ prouenit ſecundum lumen intellectus:cum intelligens adhuc maneat. Sed quia in id quod lucidum,atq; moderatum progrediatur in illuſtratis ab intellectu, declarans intelligentis naturæ permanentiam,atq; latentiam.Licet vita quidem omnis iuxta viuacem ſuam proprietatem,excitationem,atq; accenſionem quandam indicet: ſed quæ intelligit indiuiſibilem,atq; in ſeipſa permanentem.Quæ vero corporis formam refert, eam, quæ circa corpora partita eſt,ſignificat:& eam quæ ex altera parte ad alteram ſuccedit. Verum anima collectionem ex ſeipſa in orbem,atq; diſtantiam proponit. Horum itaq; cauſa Xenocrates animam numerum ſeſe mouentem eſſe aſſeruit. Ariſtoteles vero, qui numerū definire poſſe pauloante dixit,& quæ cognoſci,& quæ cognoſcere valent:de anima iure, tanquam is qui cognoſcendi vim habeat,dici interpretatur. Et propter hanc cauſam eos qui dicunt animam numerum ſeipſum mouentem,contexiſſe dixit, quod mouendi, & ſentiendi facultatem habeat.

DIVERSI autem ſunt de principiis quænam,& quot.Maxime quidē qui corporea faciunt ab iis,qui incorporea.Ab his uero qui miſcent,& ex ambobus principia fecere.Differunt præterea,& circa multitudinem:nam alii unū,alii plura dicunt.

VIGESIMANONA PARTICVLA.

CONSEQVENTER autem his,& animas aſsignant. Quod enim mouendi uim habet,naturam primorum exiſtimarunt,nō ſine ratione. Vnde uiſum eſt quibuſdam ignem eſſe.Nanq; is maxime tenuis,& maxime ex elementis ſine corpore. præterea mouetur,atq; mouet alia primo.

EXPOSITIO.

Quandoquidem ex principiis contexunt animam,qui de ea,vt ipſe ſcribit, commentātur:qualiacunq;,& quantacunq; quilibet poſuiſſet principia, ex talibus atq; tot ipſi aiam conſtituerunt.Corporea quidem rerum principia naturales ipſi poſuere.Corpore vero carere Pythagorei vna cum Platone voluere. At Empedocles,atq; Anaxagoras ex his vtriſq; miſcent.Conſequenter autem his animas aſsignant:dum vnuſquiſq; ſuum principium, aut principia in animam refert. Quippe cum non rerum ſolum cognoſcendarum, ſed mouendarum quoq; vim habeat.Non ſine ratione enim inquit ipſos exiſtimaſſe eā primorum mouendorum cauſam facultatem habentem.Nanque effectus omnino eſt, qui mouetur.Quod autem per ſeipſum mouet:& nō quia moueatur ab altero: ex natura ea eſt,quæ in cauſa motus exiſtit.Qui vero ignem principium poſuere:& ceu corpus maxime tenue animæ aſcribunt:quoddam magis conueniens ei tribuunt:q̄ ii qui putāt, aliud

quoddam corpus esse. Sine corpore nanq; secũdum rei veritatem anima est. Quapropter conuenientius ipsi est quod magis tenue: ceu magis sine corpore: q̃ quod crassum. & ceu id quod facile moueri posse videtur: atq; alia quoq; mouet, aiæ ꝓpinquius id visum est.

TTIGESIMA PARTICVLA.

DEMOCRITVS autem & ornatius dixit, declarans propter quid horũ utrũque. Animam quidem enim esse idem, & intellectum: quemadmodum dicebamus: & ex primis, atq; indiuisibilibus corporibus. Mouendi autem uim habere propter partium paruitatem, & figuram. Ex figuris autem facillime moueri posse sphærica dicit: huiusmodi autem esse intellectum, atq; ignem.

EXPOSITIO.

Ornatius sane dixit: quippe qui & causas admouerit, iuxta cõmunes quidem causas, animas intelligentes ponens: iuxta proprias autem positiones ipsam inter indiuisibilia corpora collocans: & in idem præterea animam cum intellectu ducens: & ipsis principiis mouendi vim assignans. Inter indiuisibilia autem rotundam inueniens figuram: quæ facile moueri potest: in hac animam collocauit.

TRIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

ANAXAGORAS autem uidetur quidem diuersam dicere animam, & mentẽ: quemadmodum diximus & antea. Vtitur autem ambabus tanquam una natura. præterquam quod principium mẽtem ponit maxime omnium. Solum itaq; inquit ipsam ex iis quæ sunt simplicem esse, & immixtam, & puram. Assignat autem ambo eidem principio: ipsumq; cognoscere, & ipsum mouere. Dicẽs, mentẽ mouere totũ.

EXPOSITIO.

Quoniam, quemadmodum iam dixit, solum eius quod honeste, atq; recte fit, mẽtem in causa esse vult: vtitur q; ambobus tanquam vna natura. Quoniam ad omnia animalia affert & mentem. Tamen mentem principium maxime omnium facit: quando manifeste, & ante omnia immixtam: ceu ab omnibus seiunctam ipsam celebrat: & cognoscendi, atq; mouendi vim ei assignat.

TRIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

VIDETVR autem & Thales, ex iis quæ hi commemorant, mouendi aliquid uim habens animam existimare. Siquidem lapidem dicebat animam habere, quia ferrum mouet. Diogenes uero, quemadmodum & alii quidam, aerem hunc arbitratus omnium maxime tenue esse, & principium, & propter id cognoscere, atq; mouere animam. Quatenus quidem primum est, & ex hoc reliqua cognoscere: quatenus uero maxime tenue, mouendi uim habere. Et Heraclitus præterea principium esse inquit animam: siquidem exhalationem ex qua reliqua constituit. Nanq; maxime sine corpore, & fluẽs semper. Quod uero mouetur ab eo, quod mouetur cognosci, in motuq; esse, ea omnia quæ sunt, & ille opinabatur, & permulti.

EXPOSITIO.

Ex iis quæ hi commemorant dixit, quoniam nullum eius volumen circunferebatur. Tantumq; de Thale memoriæ prodidit: neq; id sine quadam veneratione fecit: quod magneti lapidi animam concesserit: quippe cum ferri mouendi vim haberet. Quo ex illius sententia mouendi vim animam habere confirmaret. Haud tamen aquam animam esse, ei ascripsit: licet aquam elementum posuerit. Quoniam corporum aquam elementum esse dicebat. Hincq; verisimile est ipsum animam incoream posuisse. At perspicua sunt, quæ de Diogene scripta fuere. Q; autem ad Heraclitum spectat, ei Aristoteles similis videtur, qui ratiocinatione colligat. Quippe cum haud ille manifeste dicat, ignem, aut exhalationem

tionem ſiccam animam eſſe. Sed cum ignis præter tenuitatem illam partium, & id quoq; obtineat, vt facile moueri poſsit: & quia cum alia mouet, mouetur: propter hãc quoq; cauſam animæ conuenire uidetur. Tanquam illa per totum viuens progrediatur corpus: & quia moueatur mouendi, intelligendiq; præterea, cognoſcendiue vim habeat. Nanq; cũ in perpetua mutatione res Heraclitus poſuerit: & cum quod cognoſcere debet tactu cognoſcat: conſequi volebat, vt ſemper in motu apud ipſum cognoſcens eſſent.

PROXIME autẽ his, & Alcmeo uidetur exiſtimaſſe de anima. Ait enim ipſam immortalem eſſe: quia ſimilis ſit immortalibus. Id autem ineſſe ei, tanquam ei quæ ſemper moueatur. Moueri autem & diuina cuncta continue ſemper. Lunam. Solẽ. ſtellas. & cœlum totum.

Alcmeo qui Crotoniates fuit, ab aliis quidem tanquam Pythagoreus habitus fuit. Ab Ariſtotele autem in iis libris, qui poſt naturalia tractant, ceu duos illos ordines, aut ipſe Pythagoreis tradiderit: aut ab illis acceperit: commemoratione dignus iudicatus fuit. Viſus autem eſt, præſtantiſsima in philoſophia excogitaſſe: vt ex iis quæ nunc dicuntur, coniectura aſſequi poſſumus. Immobilem nanq; animam dicit, ceu immortalibus ſimilem. Et apud Platonem quoq; ambigue dicitur immortalibus ſimilis: quia immortalitatis parce & anima noſtra quoq; particeps ſit. Ineſt autem ei immortalitas, quia ſemper mobilis exiſtit. Hac eadem ſane ratione in Phædro, tanquam ſemper mobilis, quia eſt per ſe mobilis, demonſtratur immortalis. Non eo tamen motu, qui corporibus conueniat: ſed eo quo & cœleſtes animæ vtuntur: per quem et quæ earum corpora apparent, perpetuo mouẽtur.

EX IIS autem qui magis tetri, & aquam nonnulli dixerunt: quemadmodũ Hippo. Perſuaſi autem fuiſſe uidentur ex ſemine: quia omnium humidum. Nanq; redarguit eos, qui ſanguinem dicunt animam. quoniam ſemen, non ſanguis. Id autem eſſe primam animam. Alii uero ſanguinem, quẽadmodum Critias: ipſum ſentire animæ maxime proprium exiſtimantes. Id autem ineſſe propter ſanguinis naturam.

Ponebat quidem et Thales aquam eſſe elementum: ſed corprum: et haud animã omnino corpus arbitrabatur. Hippo autem, vt veriſimile eſt, ſic exiſtimauit: quem et Deũ reperiri, inficiatum ſcribunt. Quare et in iis quæ naturalia dicuntur: ipſum inter naturales cõnumerandum nequaquam cenſuit: et hic quoq; tetrum appellat: non ſolum tanquã eum qui craſſius elementũ ipſam eſſe dicat: nanq; ex hoc eum ſe eripere poſſe cenſuit: cũ cauſam opinionis expoſuerit: ſed in primis propter impietatem. Critias vero qui animã ſanguinem eſſe ſtatuit: ſiue ex triginta illis vnus fuerit: ſiue ſophiſta quiſpiam noſtra nihil refert. In hanc autem ſententiam ferebatur: quia partes illas, quæ ſine ſanguine noſtro in corpore ſunt, vt oſſa, ſenſu carere videbat.

OMNIA nanq; elementa iudicem nacta ſunt, præter terram. Eam autem nemo aſciuit. Niſi quiſpiam eam ex omnibus elementis eſſe dixerit: aut omnia.

Eam nemo aſciuit: qui ſcilicet iudicarit vnum aliquod elementum eſſe principium: animæq; conuenire. Nemo autem ſolam terram: quia ex craſſioribus partibus conſtat: & immobilis eſt.

TRIGESIMATERTIA PARTICVLA.

DEFINIVNT aũt omnes animã tribus, ut ita dicam, motu, ſenſu, incorporeo.

EXPOSITIO.

Primo quidem, quoniam ex iis quæ animato inſunt, ad ea quæ animæ adſunt, adducebatur: ſolam ei adiunxit motum, & ſenſum. Neq; enim ad animatum ſpectabat, quod tenues haberes partes, aut ſine corpore eſſet. Deinde vero ex iis qui de ipſa loquuntur: prætereaq; quia facile moueri poſſet. & quia per totum corpus pertranſit: incorporeo quoq; eam ab omnibus definiri dicit. Haud tamen incorporeum illud proprio accipiens: ſed in-

corporeum intelligens corpus illud, quod pertenues habeat parteis.

HORVM autem unumquodq; adduci in principia. Quapropter & qui ex ipſo cognoſcere definiunt ipſam, aut elementũ, aut ex elementis faciunt. Loquentes conuenienter inter ſe, præter unum. Inquiunt enim cognoſci ſimile ſimili. Quãdoquidem enim anima omnia cognoſcit, conſtituunt eam ex omnibus principiis.

TRIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

QVICVNQVE quidem igitur unam aliquam dicunt cauſam, & elementum unum, & animam unam ponunt. exempli gratia, ignem, aut aerem. Qui uero plura dicunt principia, & animam plura dicunt. Anaxagoras autem ſolus, impaſsibilem inquit eſſe mentem: & commune nihil cum ullo aliorum habere.

EXPOSITIO.

Mouendi ſentiendiq; vis, & incorporeum eſſe, non aliter animæ inſunt: atque ad illam cognationem ſpectat: qua in principia vergit. Quod quidem igitur ipſum incorporeum, ac mouendi vim habens principiis conueniat, nunc tanquam ex ſe motum, prætermiſit. Quod nanq; corporatum eſt, & quod omnino corporeo motu mouetur: cum diuiſibile ſit, atq; diuiſibilem habeat actionem: & propter hanc cauſam eo, quod complectatur, indigeat: effectibus, non autem cauſæ conuenit. Quod autem mouẽdi facultatem habet: atq; incorporeum eſt, ceu primas illorum cauſas, & ipſe quoq; ſtatuit. Qua autem ratione & qui ſentiendi, aut ſimpliciter cognoſcendi vim ei aſcribunt: propter conuenientiam ſcilicet, quam cum principiis habet, & id ei tribuant: expoſitione nũc dignum iudicauit. Quia nempe arbitrantur ſimile ſimili cognoſci. Ab hac autem cauſa ſolum Anaxagoram excipit: non quin & ipſe cognoſcendi vim principi illi facultati conuenire ſtatuerit: mentem nanq; & ipſe ſtatuit: ſed quod manifeſte illud infert: ex quo haud ſecundum ſimilitudinem cognitionem fieri ipſum arbitratum dicere poſsimus. Nanq; cum immixta ab aliis, nihilq; cum iis commune mens habeat: & quod illa participant huiuſmodi erit. Id nanq; illud omni paſsione carere indicat. Licet omnia cognoſcat.

HVIVSMODI autem cum ſit, quo pacto cognoſcit, & propter quam cauſam, neq; ille dixit, neq; ex iis, quæ dicta ſunt, dilucidum eſt.

TRIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

QVICVNQVE uero contrarietates faciunt in principiis, & animam ex cõtrariis conſtituunt. Qui uero alterum cõtrariorum, aut calidum, aut frigidum, aut aliquid huiuſmodi aliud, & animam eodem modo unum aliquod horum eſſe ponũt. Quapropter & nominibus conueniunt. Alii quidem calidum dicentes: quoniam propter id & ipſum uiuere, nominatum eſt. Alii uero frigidum propter reſpirationem, & refrigerationem, uocari animam. Quæ itaq; tradita ſunt de anima, & propter quas cauſas dicunt ſic, hæc ſunt.

EXPOSITIO.

Propter quas ſane cauſas is quod primi principii immixtum, atq; paſsione carens, eorum reſpectu, quæ ab ipſo fiunt, voluerit, perſpicue apparet. Verum quia ei impingit Ariſtoteles, ceu cognitionis cauſam non dixerit: ſed ſolum immixtum principium enũtiarit: videri alicui poſſet, conuenientiam principii, cum iis quæ ab ipſo deducta, ac ceu coordinata ſunt, non probare. Licet neq; illud Anaxagoras approbet, quod omnino ſine cognatione exiſtat. Opus nanque eſt, vt cognoſcens ſeipſum ſiſtat iuxta eius formam, quod cognoſci debet. Hoc autem illud non erat, vt nullam haberet cum eo affinitatem. Oportebat itaq; & in principio antecellere non ſolum congruentem illam, cum iis quæ ab eo deducuntur cognitionem: ſed & eam quæ præſtantiori fulgeat idea: & quod caput eſt, anticipatio

patio quædam ſit: quæ eorum cauſa ſit: quæ inde ortum habent. Quæ ſane anticipatio non eodem ordine: ſed ex ſimilitudine ſibi ſubiecta, illa & adducet, & iudicabit. Quapropter & iis, qui elementaria principia in anima collocarunt, Ariſtoteles applaudit: quippe qui ad eam quæ moueatur, principia ab iis quæ moueatur inſeparabilia traduxerint. Patet præterea quod & qui vnum ex contrariis animam ponunt: vtriuſque cognoſcendi vim habere opinati ſunt: cum ex altero & alterum cognoſcat. Siquidem vna, atq; eadem contrariorum eſt ſcientia.

TRIGESIMASEXTA PARTICVLA.

INVESTIGANDVM autem primo quidem de motu. Forſan enim non ſolum falſum eſt ſubſtantiam eius talem eſſe, qualem aſſerunt, qui dicũt eſſe animam, quod mouet ſe, aut poteſt mouere. Sed unum quoddam ex impoſsibilibus ineſſe ei motum.

EXPOSITIO.

Ariſtotelis nunc mens eſt traditas examinare opiniones: & explorare ſiquid recte dictum ſit: ſiquidque haud ex ſolito vocabulorum vſu traditum fuerit, illud corrigere. Ne cum nos his antiquorum opinionibus exceperit: & ceu verisſime ſenſerint, propter illuſtre eorum nomen, ad eos accedentes decipiamur. Confeſtim itaq; quia Plato motus nomine vtitur: & de animata quoque vita, ceu conuoluta, at non omnino ſeparata, neq; pure indiuiſibili permanente: & hunc motum appellat, propter ſubingreſſum ex eo quod omnino indiuiſibile eſt: & ſubſtantiam animæ ipſum quod moueri poteſt, ſtatuit: quippe cum illa iuxta huiuſmodi vitam perficiatur: quæ indiuiſibilem quidem ſubſtantiam ſubingreditur: ſed haud omnino conſiſtit. Ita vt ex eo, q; nobilis ſubingreſſum: ex eo vero q; per ſe, permanſionem, atque ſtatum in eo, quod indiuiſibile demonſtret: & eam quæ ſimul in ſeipſa manet: atque a ſeipſa recedit. Ariſtoteles vero qui ſolum diuiſibilem, atque cum continuitate numeratum ſolet motum appellare, ex vocabuli vſu, qui apud vulgus frequens eſt: non modo ab animata ſubſtantia ipſum remouet: ſed ne vlla quidem ratione ſecundum ſe animam moueri, concedit.

QVOD quidem igitur non neceſſarium mouens, & ipſum moueri, antea dictum fuit.

TRIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

DVPLICITER autem cum moueatur omne, aut enim ſecundum alterum, aut ſecundum ſe. Secundum alterum autem dicimus, quæcunq; mouentur, quia in eo quod mouetur ſint, ut nautæ. Neq; enim eodem modo mouentur, cum naui. Hæc quidem enim ſecundum ſe mouetur: illi uero quia in eo ſunt quod mouetur. Patet autem in particulis. Proprius quidem enim eſt motus, pedum itio. Is autem & domi num. Non ineſt autem nautis tunc.

TRIGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

DVPLICITER autem cum dicatur ipſum moueri, nunc inueſtigamus de anima, ſi ſecundum ſeipſam mouetur, & motum participat. Quatuor autem exiſtentibus motibus, latione, alteratione, interitu, accretione, aut uno horum moueretur, aut pluribus, aut omnibus. Sin autem mouetur non ſecundum accidens natura ineſſet motus ei. Sin autem hoc, & locus. Omnes enim qui dicti ſunt motus in loco.

TRIGESIMANONA PARTICVLA.

SIN autem est substantia animæ mouere seipsam, non secundum accidēs ipsum mouere ei inerit, quemadmodum albo, aut tricubito. Mouentur enim & hæc. Sed secundum accidens, cui nanq; insunt, illud mouetur corpus. Quapropter & non est locus ipsorum. Animæ autem erit: siquidem natura motus particeps est.

EXPOSITIO.

In octauo nanq; naturalis auditionis, in quo demonstrata sunt omnia prima mouentia secundum se immobilia: quod maxime primum secundum accidens quoque immobile esse, demonstratum fuit. Quod nunc quoque nobis Aristoteles in mentem reuocat, ex homine eo, qui in naui, quæ mouetur, quiescit. Qui quadam ratione mouetur: cū ibi ex alio in alium deferatur locum. Verum non eodem modo, quo nauis. Quoniam ipsa quidem secundum se: qui vero in ipsa quiescit: neq; secundum seipsum totum: neq; secūdum particulas: sed quia in eo quod mouetur est. Secundum accidens quidem igitur Aristoteles animam iis motibus moueri concedit, quibus corpus in quo est mouetur: non tamen secundum se. Quatuor autem sunt motus, dum substantialis non connumeratur mutatio: sed illi tantum, qui in tribus generibus positi sunt. Ex quibus qui secūdum quantitatem fit, vnus licet existat: attamen quia nomen commune non habet, tāquam duo enumerati fuere, quemadmodum & ipsis quoq; prædicamentis. Q. igitur nullo motu ex iis qui corporei sunt, moueatur anima, ex loco declaratum est. Quod enim quocunq; ipsorum mouetur, aut corpus simplex est, aut compositū, vt ipsum animal. Hæc autem sunt in loco. & id indicat, quod dicti motus in loco sunt: quippe qui ei insint, quod in loco est: hoc est, ei quod alibi proprias habet partes. Ita vt cum diuisibiles motus illi sint, eius quoque sint actus, quod diuisibile existat. Anima vero non est in loco, cum tota vbiq; toti adsit corpori. Vt & extrema eius vita indicat, quæ tangendi vim habet: quæ tota in vnaquaq; nostra reperitur parte. Eadem, itaque quoque est, quæ sensilia diuersis particulis occurrentia percipere valet: quæque eorum omnium similitudinem, atque diuersitatem iudicat: non secundum suiipsius particulas: sed secundum seipsam totam. Quoniam simile
Dubitatio. esset: atque si id quidem ego: tu vero illud sentires. At quanam ratione non mutatur, aut ex imperitia, aut malitia: cum in virtutem, aut sciendi habitum transit. Qualitates nanque
Resposum. ipsi habitus sunt. Sed quemadmodum in septimo naturalis auditionis dictum fuit: mutationes & hic post affectiones fiunt: quæ quidem affectiones, non animæ, sed animalis sunt. Collecta nanque habitus præsentia in anima existit: mutatio vero illa pertransiens, quæ præsentiam præcedit, in composito reperitur. Et manifestius quoque hæc a nobis in iis, quæ ibi scripta fuere, declarata sunt. Quoniam autem anima in loco non est: neque eorum motibus moueri poterit, quæ sunt in loco. Nisi secundum accidens id ei eueniat. Verum si quidem natura sua motus particeps esset. hoc est: si non iuxta id in quo est, moueretur: sed secundum seipsam: in loco quoq; esset.

QVADRAGESIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero si natura mouetur, etiam ui moueri posset: & si ui, & natura. Eodemq; modo sese habet, & circa quietem. Ad quod enim mouetur natura: & quiescit in eo, natura. Cōsimiliterq; & ad quod mouetur ui: & quiescit in eo ui.

EXPOSITIO.

Anima scilicet eorum animalium, quæ in generatione versantur: de qua sermo est. Et positio ea fuit, quod moueret, quia moueretur. Neque enim vniuersaliter positū fuit: omne quod natura mouetur, & vi quoq; moueri. Quod falsum esset, propter cœlestia corpora. Sed speciatim de huiusmodi anima dictū fuit. Quæ huiusmodi motus mouet: qui in toto reperiuntur animali: quibus & ipsum quoque violentum subest. Interdum enim

cum

cum ex ſeipſis totis ſecundum naturam moueantur:& interdum quieſcant: & vt vi quoque moueantur,apta, atque nata ſunt. Et anima itaque,ſi quia moueatur,moueat: aliquando moueretur, licet ipſa non moueret. Quapropter vi mouebitur. Nunquid neque anima vnquam mouetur: licet ſecundum vitam moueatur. Neque quod ſecundum appetitum mouetur: licet aliquando moueatur:neceſſe vi quoque moueri. Neque enim aliunde vnquam incitatur:ſed a ſeipſo ſemper,atque ſua ſponte appetit. De iis vero quæ aliunde mouentur:vt & de corporeis ipſis motibus:ſi id fiat: verum eſt pronuntiatum.Siquid enim horum natura mouetur,& vi:& contra ſi vi,& natura.Neq; enim vi cogi potuiſſet,niſi aptum eſſet.Quod autem aptum eſt, aliquem ſecundum naturam motum habere poſſet.Et id quoq; quieſcere natura,atq; vi recte iudicatum fuit. Et ad quem locum fertur natura:& in eo quoq; ſecundum naturam manet. In hoc enim cum ab alio moueatur ad proprium:cum non ſemper ſcilicet proprium teneat:aptum quoque eſt ad non proprium ab aliquo adduci præter naturam,& vi.

QVALES autem uiolenti animæ motus erunt,& quietes: neq; fingere uolentibus facile reddere.

Quoniam tota ex ſe eligens rationalis eſt vita: præeligenti autem aduerſatur violentum.Quapropter & in tyrannicis imperiis declaratur quod animæ voluntarium eſt: ſiue ipſa reſiſtat:ſiue non:atq; adeo quadam ratione imperio,atq; vi illi concedat.

PRAETEREA uero ſiquidem ſurſum mouebitur,ignis erit. Sin autem deorſum terra.Horum nanq; corporum motus hi.Eademq; ratio,& de mediis.

Vide quemadmodum vbiq; corporeos motus ab anima remouet.

QVADRAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero,quoniam uidetur mouere corpus,his æquum eſt mouere motibus,quibus & ipſa mouetur.Sin autem hoc,& conuertentibus uerum dicere,quod quo corpus mouetur,eodem & ipſa.Corpus autem mouetur latione.

EXPOSITIO.

Semper quidem quod mouet,prope formam eius quod mouetur,manet.vt & in tertio naturalis auditionis dictum fuit.Formam autem ſemper aliquam ipſum mouens intuebitur:ſiue hoc,ſiue tale,ſiue tantum ea ſit. Quæ quidem erit principium, & cauſa motus cum moueat. Sed agendo id quidem omnino ſemper fiet. Patiendo autem aliquando, cum moueat,quia moueatur. Pater nanque,quia ipſe quoque homo eſt,hominem generat:& tanquam homo agens,atque ita quoque affectus. Sol vero hominem generat: qui licet iuxta humanam formam agat: attamen homo non eſt. Manus quoque calamum localiter mouet:ita tamen,vt ipſa quoque ſimul localem motum agat, atque patiatur. Anima vero quæ manus mouendæ vim habet ſolum localiter agit. Nam ſi, quia pateretur ageret,conueniens quoque eſſet:vt vtranque ſibi aſciſceret formam,actionem ſcilicet,atque paſſionem.Neque enim leuitate,ſed caliditate ignis calefacit: manuſque calamum mouet,quia ſecundum locum mouetur.At neque arans aratur, inquiunt: neque verberans verberatur:quæ cum moueantur mouent:neque cœlum,noſtra hæc ita alterat,vt ipſum quoque alterationem patiatur. Quandoquidem,dicam, licet hæc habeant, quia localiter moueant,atque moueantur:quod ſcilicet localem motum agant,atque patiantur:at neque arandi,neque percutiendi, neque alterandi motus iis, quæ moverentur iccirco concedebatur, quia paterentur: ſed quia agerent ſolum. Antea nanque forma eius quod perficiendum erat in ipſo mouente præaccepta fuit: verum agendo, non autem patiendo. Neque animam itaque quicpiam prohibere poterit, quia cum viuaciter moueatur: corporeos quoque motus agat. Qua itaque ratione firmum quod ab Ariſtotele dictum fuit, cenſebitur: eodem ſcilicet mouens, ſi moueatur, moueri motu:quo ipſum quoque moueat. Siquidem neque in corporibus id appa-

Obiectio.

Reſponſum.

Dubitatio.

Reſponſum. reat:neque in ipſa quod adhuc maius eſt,anima.Quoniam qui dicit formam antea acceptam fuiſſe:quia agat in mouente:non autem quia patiatur:concedit non ſemper ipſum mouens iccirco mouere,quia moueatur.Sequeretur nanq; vt iuxta eandem motus formam:ne aliqua ratione aliquid immobile exiſtens moueat.Hac itaq; ratione,& quod cõuertitur quoq; verum eſt.

QVARE & anima mutaretur iuxta corpus ea.& ipſa aut tota,aut ſecũdum particulas recedens.

Hæc eſt,quemadmodum corpus localiter & ipſa,aut tota,aut ſecundum particulas recedens.Quandoquidem latio motus ille eſt:qui ab anima primo animalibus datur.

SIN autem hoc contingit:& egreſſam ingredi rurſum contingeret.Huicq; conſequens eſſet reſurgere mortua animalium.

Si enim quibus motibus ipſa mouetur,& corpus quoque mouet:& conuertendo,quibus mouet,mouetur:non habebit alium motum præter corporeos.Hi autẽ locales ſunt, qui ab anima corpori in primis largiuntur.Et animæ itaq; viuaces motus locales erunt: ita vt ex locali motu ſolo intus exiſtente viuant:ex ſolo vero eius egreſſu moriantur.Cui conſequens eſt,vt reſurgant mortua animalia.Quia cum ſecũdum locum anima moueri queat:& ingredi,atq; egredi quoq; valebit.

QVADRAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

MOTV uero ſecundum accidens licet ab altero moueatur.Impelli nanq; ui animal poſſet.

EXPOSITIO.

Cum ſecundum ſeipſam immobilem animam eſſe voluerit: quippe cum eos tantum motus appellet,qui cum corpore fiunt:& ſecundum accidens in eo corpore eſſe cõcedat, quod moueatur:& a ſeipſa,& ab alio quoq; eam ita moueri concedit.Nanq; ab ea mouetur corpus,ab aliquo vero alio moueri poſſet vi.

NON oportet autem cui ipſum a ſeipſo moueri in ſubſtantia, id ab alio moueri præterquam niſi ſecundum accidens.

Et quod ſecundum accidens a ſeipſo,atq; ab altero mouetur: patet quod non quatenus a ſeipſo,ea ratione & ab altero mouetur.Et adhuc manifeſtius exiſtit, quod natura, atq; ſecundum ſeipſum:quod particula illa,in ſubſtantia ſignificat. Quod ſcilicet a ſeipſo mouetur,quatenus a ſeipſo mouetur:haud ab alio mouetur, præterquã ſi ſecundum accidens.Siquidem enim altero motu a ſeipſo,& altero ab alio moueatur: quemadmodum planetarum ſphæræ:eo quidem qui ad orientẽ vergit a ſeipſis:illo autem qui ad occidentem tendit ab ea quæ non vagatur:omnium confeſſione ſecundum accidens quod mouetur a ſeipſo,atq; ab altero mouetur.At ſi eodẽ motu & a ſeipſo, & ab altero aliquid moueretur: vt ſi eũ qui ſua ſponte ad aliquem locum proficiſcatur,aliquis compellat:nõ ſecundum ſe a ſeipſo,& ab alio mouetur.Neq; enim quatenus a ſeipſo extrinſecus: neq; quatenus extrinſecus a ſeipſo.Verum ſecundum accidens tantum idem eſt motus: quia in eo quod mouetur,reperiuntur ambo.

QVEMADMODVM neq; quod ſecũdum ſe bonum,aut per ſe. cum id quidem propter aliud ſit:illud uero alterius cauſa.

Ei quod ſecũdum ſe bonum,quod propter aliud opponit:ei vero quod p ſe, quod alterius cauſa.Exẽpli gratia bona valetudo ſecundũ ſeipſam bona:cũ pfectio viuẽtis corporis ſit.Quod vero ſalubre exiſtit,propter bonã ipſam valetudinẽ bonũ eſt.Et ipſa quidem virtus propter ſeipſam bona. Quãdoquidem ipſa cuius cauſa,atq; finis eſt.Diuitiæ vero alterius

terius causa, vt ita dicam, bonæ sunt. Atque ea omnia huiusmodi sunt, quæ instrumentaria dicuntur bona. Non est itaq; quod secundum se, quatenus tale, propter aliud. Neq; quod per se, quatenus per se, alius causa. Neq; oppositæ eadem ratione sese habent. Sed licet idem per se, & per aliud sit eligendum: haud tamen iuxta eandem rationem.

QVADRAGESIMATERTIA PARTICVLA.

ANIMAM autem in primis dicere aliquis posset a sensibilibus moueri, siquidem mouetur.

EXPOSITIO.

Quandoquidem contra, solum corporeum appellat motum: iuxta quem a sensibilibus ipsis non anima, sed sensorium mouetur: cum disiungitur: aut coniungitur: aut omnino alteratur. Id quod & Aristoteles quoq; indicans, siquidem mouetur, dixit.

ATQVI & si mouet ipsa seipsam: & ipsa moueri posset.

Eodem nanq; motu qui alterandi vim habet. Quandoquidem solus is animæ corporeus motus esse videtur, & secundum quod a sensibilibus fit, ea ratione, & ab ea ipsa quoque fieri diceretur. Quoniam non præsentibus, neq; agentibus sensibilibus, non fieret.

QVARE si omnis motus extensio est eius quod mouetur, quatenus mouetur: & anima recederet a substantia. nisi secundum accidens ipsam mouet. Sed est motus substantiæ ipsius secundum seipsam.

QVADRAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

NONNVLLI uero & mouere inquiunt animam corpus in quo est, ut ipsa mouetur, ut Democritus. Qui consimili fere ratione loquitur cum Philippo comico magistro. Inquit enim Dædalum, quæ moueretur fecisse ligneam Venerem, cum infunderet argentum liquidum. Eodemq; modo & Democritus loquitur. Moueri nanq; inquit indiuisibiles sphæras: quia aptæ sunt, nunquam manere, simulq; trahere, atq; mouere corpus omne. Nos autem interrogabimus, utrum & quiescere faciet id ipsum. Quo autem pacto faciet id, difficile, aut & impossibile dicere.

EXPOSITIO.

In mutatione nanq; omnis motus collocatus est. Omne autem quod mutatur ab eo omnino recedit, in quo prius erat. Quare secundum quod genus fiat motus, secundum id recedit quod mouetur. vt secundum quantum, aut secundum quale, aut nempe secundum substantiam. Si itaq; & animata substantia non secundum accidens, sed secundum seipsam mouetur: recedet secundum substantiam, ita vt intereat, aut fiat. Huiusmodi nanque substantiales mutationes existunt. Secundum accidens autem substantia mouetur: aut quia in altero quod secundum se moueatur sit: aut quia non secundum substantiam, sed secundum passionem: aut iuxta aliud aliquod, quod contingat, mutetur genus. Propter corpus itaq; in quo est, secundum accidens moueri anima posset. Haud tamen secundum passionem: aut secundum quantum, aut secundum vbi. Neq; enim quantum anima est, neque in loco reperitur. Et mutatio illa quæ secundum passionem in habitibus, atque virtutibus fit non in ipsa anima sedem habet, sed in animali. Transitum vero illum, qui iuxta eius actiones ab alia in aliam progreditur: cum collectus sit, & prope terminos semper fiat: nequaquam motum Aristoteles appellat. Sed eum tantum motum dicit, qui vim pertranseundi habet: atque non sine continuitate fit. Quandoquidem neque ipsa corpora, cum ex ipso non moueri, aut recontrario progrediuntur, moueri dicuntur. Ne ipsius motus, motus sit. Plato vero & animæ transitiones illas secundum illam actionem motus vocat. Huiusmodi autem ipsum considerare, atque consulere est.

Vocat præterea & ſubingreſſum illius, qui ſecundum eius ſubſtantiam ſit ab intelligibili, atq; indiuiſibili illa ſubſtantia, motum, ceu recedentem. Quod ipſum ſane & Ariſtoteles quoq; dignum iudicat termino, atq; forma. Sed terminum, atq; formam ſubſtantiam appellare conſueuit. Erit ita q; anima formalis ſubſtantiæ digreſſus: cum iuxta ipſum motum ſuum habeat eſſe, atque perficiatur. Verum non huiuſmodi, vt aut fiat, aut intereat. Alio ita q; modo cum anima moueri dicatur, ſecundum ſubſtantiam ſcilicet, atq; rationes: recte corporei ab ea remouentur motus. At quando ad diſtinctionem diuerſorum motus ſignificatorum manifeſte eius ſermo de eo quod per ſe mobile ei ſpectat: & ſe iam corporeos ab ea motus remouere, indicauit: & nunc quoq; ſcriptione proſequitur, quæ ex Democriti ſententia dicuntur: atq; ea, quibus Timæus dicere, eundem animæ, atq; corpori localem aſcribi motum: quippe cum & alia quoq; ratione ille motus in anima exponi poſſit. Nonnullos enim ita aſſerere inquit: ceu & alii quoq; ſint, qui haud ita. Perſpicua autē ſunt, quæ de Democrito dicuntur. præterquam quod liquidum illud argentum, quod vi uum dicunt argentum, ſignificare, volunt. Interrogat autem Ariſtoteles eum, qui motu animatorum atomorum mouet corpus, vtrum & quieſcere quoq; faciet corpus, eorum motus. Quod ceu difficile poſitu ſit, atq; adeo ceu impoſſibile reiiciens, non etiam ponebat atomorum egreſſu, aut immobilitate corpus ipſum quieſcere. Egreſſus nanq; ille vitæ priuationem, non autem quietem animalis inferret. Immobilitatem vero atomorum, neq; Democritus concederet: qui ſemper mobilia eſſe vult. Neq; pote eſt, vt ponatur animatorum atomorum in corpore immobilitas: quia neq; alio quopiam motu animal, atq; eorum mouetur.

OMNINO autem haud ſic uidetur mouere anima animal: ſed ex electione aliqua, & intellectione.

Quod localiter ſcilicet moueatur, iuxta Democriticas poſitiones. Sed ex electiõe aliqua & intellectione. Electionem quidem mentem, loco appetitionis intelligit. Intellectionem autem vocat, & phantaſiam. Quo & in aliis quoq; animalibus motus cauſas indicet: vt & manifeſtius in tertio libro dicturus eſt. Simul præterea & quodam modo innuit, quoſnã Plato animatos motus appellarit. Appetitiones nanq;, atq; intellectiones, ceu agẽtes cum continuitate corporum, motum: & vitæ quædam ſint conuoluentes.

QVADRAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

EODEM autem modo & Timæus phyſica ratione oſtendit animam mouere corpus. Quia enim ipſa mouetur, & corpus mouet, quia complexa eſt cũ eo. Ipſam nanq; conſtantem ex elemẽtis, & diuiſam iuxta harmonicos numeros: quo ſenſum atq; innatam harmoniam habeat: & uniuerſum feratur concordibus lationibus, rectitudinem in circulum deflexit: & cum diuiſiſſet ex uno circulo duos circulos geminos coniunctos: rurſus unum diuiſit in ſeptem circulos: ceu ſint cœli lationes animæ motus.

EXPOSITIO.

Cum ex mathematicis obſcure conſueuerint Pythagoræi, quæ ad excelſa illa, atque ad animam, & ad naturalia pertinent, conſiderare: & Plato quoq; Pythagoræum hominem Timæum agens, vt ſimplicibus corporibus quinq; aſcribit ſolidas, recti lineas figuras: ita & ſubſtantiam animæ vniuerſi ex rectis, atq; in circulum deflexis lineis indicat. Quo ſimul medietatem eius reſpectu indiuiſibilis, atq; diuiſibilis illius ſubſtantiæ: quæ ad corpora vergit: demonſtret. Quemadmodum linea quoq; media eſt inter puncta, atque ſolida. Simulq; & ſubingreſſum menti propinquiorem declaret: præterea q; progreſſum illum, qui nullam patitur conuerſionem, quiq; ab ea ipſa progreditur. Id quod rectitudo ſignificat. At & conuerſionem quoq; animæ in ſeipſam ex flexione illa in circulum manifeſtare voluit. Tanquam ſane ex diuiſione vnius rectitudinis in duas, & eius rurſus, quæ inte-

rior,in ſeptem,comprehẽſionem illam declaret:quæ in cauſa cœleſtium ſphærarũ iuxta conuenientem medietatem exiſtit.Non enim ceu mens,omnino abſq; vlla diuiſione eſt: ſed ceu anima iuxta reuolutionẽ.Cuius circulares lineæ animatæ vitæ inditia ſunt: quèadmodum harum linearum motus.Licet enim mens cœlum moueat: at id non ſine anima facit:quæ per propriam reuolutam mentem,tanquam mediam,producit indiuiſibilẽ mentis mouendi vim habentem actionem, in continuam, & diuiſibilem cœli actionem. Quem ſolum philoſophus is appellat motum:& Timæo aduerſatur:ceu diuiſibilem, & diſtantiam,& actionem animæ aſſignet.At ne frequentem vocabulorum vſum ſequentes,& ſic Platonica illa accipiẽtes,aut magnitudinem aliquam animam eſſe exiſtimemus, aut corporeo moueri:patere dicimus,quod complexio illa eius cum corpore,non ſecundum locum interpretanda eſt:ſed ſecundum præſentiam per totum illud, atq; ſecũdum ſubſtantiam.Conſtitutio autem illa ex elementis,perfectionem indicat ex ſubſtãtia,& eodem,atq; altero:& omnino ex proprietatibus conſtituẽtibus ea quæ ſunt:quatenus ſunt. Cum proprio quodam modo & hæc quoq; in anima deprehẽſa ſit. Ex omnibus quidem enim communibus ea omnia conſtant,quæ ſunt.Sed proprie quælibet iuxta eum ordinem,quem ſortita ſunt.Mens quidem enim ex indiuiſibilibus conſtat.Corporeæ vero vitæ ex iis,quæ circa corpora diuiſa ſunt.Anima autem ex mediis.Rurſum & diuiſio quoque ea,quæ ſecundum harmonicos numeros fit,permanentiam omnium rationum in ipſa indicat:& illius permanentiæ modum:qui in diuiſionem adducitur:& in id,quod indiuiſibile colligitur:& propter id,ſecundum harmoniam numerorum qui diuiduntur, fieri dicitur.Harmonia enim ex concentu collectionis indicandæ vim habet.earum rationum,quæ iuxta diuerſas proprietates permanent. Numeri nanq; eam obtinent vim, vt proprietates ſignificare queant. Rationibus autem ſuiipſius anima & mouet cœlum concinna latione:& cognoſcit eam harmoniam, quæ in ſuperioribus exiſtit: & eam quæ in inferioribus. Quoniam & cum præſtantioribus non ſine continuitate coniunguntur: & inferiorum quoq; cauſæ ſunt. Quippe cum cœleſtes lationes animæ motus ſint.Quandoquidem & circulares illi motus ſuſpicionem hanc præbent:tanquam ſphæricis lationibus ſimiles.Quod argumentis quoq; confirmat,tum incorpoream animã eſſe demonſtrans:tum quod actionem habet nequaquam cum continuitate diuiſam. Hæc enim corporibus conuenit:tanquam iis,quæ ex interuallo perficiantur. Animæ autem & vniuerſi præcipue nequaquam conuenire poteſt.

QVADRAGESIMASEXTA PARTICVLA.

PRIMO quidem igitur non recte,dicere animam magnitudinem eſſe. Ipſius nãq; vniuerſi profecto huiuſmodi eſſe uult:qualis eſt,quæ uocatur mẽs. Neq; enim ſane cuiuſmodi quæ ſentiẽdi,aut appetendi uim habet.Harum enim motus nequaquam eſt circulatio.

EXPOSITIO.

Etiam omnem animam incorpoream eſſe demonſtrauit,quia motus actiones corporum propriæ,atq; conuenientes ſunt. Animæ autem nullus conuenit:qui diuiſibilis,atq; continuus ſit.Cum ea in loco non reperiatur:vt eius præſentia per totum corpus indicat: & ipſa quæ tota in quacunq; exiſtit parte.Quod perſpicuum in ſenſu vim tangendi habẽte exiſtit.Et cum debeat mortalium anima violento quoq; aliquo motu moueri: ſiquidẽ omnino mouetur.Quod autem violentum eſt erga id,quod in animæ ſpecie ſua ſpõte, atq; impulſu proprio fit,oppoſito ſeſe habet modo:ita,vt viuax eius præſentia permutata in locali motu,natura,ſit.Mortuo nanq; viuaciter animam adeſſe,impoſſibile eſt.Localiter autem poſſibile eſſet,ſi ſecundum locum moueretur.Neceſſe autem erat ipſam ita moueri:quo & ipſa haud ſecus moueatur,atq; corpus:quod ab ipſa mouetur.Siquidem mouebat,quia particulariter mouebatur.Localis autem erat motu ,qui ab ea corpori largitus fuerat.Atq; id iccirco eueniebat:quia alteratio quæ ſentiendi vim habet: quæ animæ in primis eſſe videtur:non huius,ſed ſenſorii potius exiſtit.Atq; anima quidem vita ſecũ-

dum ſubſtantiam eſt: verum receſſus quoq; a ſubſtantiali motu, ſecundum ſubſtantiam exiſtit. Contrarium autem accidit, cum vita corpus firme, donec ei adſit, contineat. Ex his itaq; omnem quoq; animam incorpoream eſſe demonſtrauit. Ex iis vero quæ propoſita fuere, ſingillatim rationalem, quam mentem vocat: vt ipſe indicat: cum eam diſtinguat ab ea, quæ ſentiendi, atq; appetendi vim habet. Quæ ne ſecundum Pythagoræos quidem circulus erit: quippe quæ haud in ſeipſam conuertatur. Quod earum animarum proprium eſt, quæ rationem participant: atq; ideo rationales appellantur.

QVADRAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

INTELLECTVS uero unus, & continuus, quemadmodum & intellectio. Intellectio uero cogitationes. Hæc autem quia deinceps unum, ut numerus: ſed nõ ut magnitudo. Quapropter neq; intellectus ita continuus: ſed aut impartibilis: aut nõ ceu magnitudo quæpiam continuus.

EXPOSITIO.

Platoni noſter Ariſtoteles adhæret: qui ex actionibus ſubſtantiam confirmat. Quod in iis præſertim fieri licet, quæ ſine corpore ſunt: quorum neq; figura, neq; color vllus exiſtit. Nam ex his interdum in ſubſtantiam ipſam adducimur. Actio autem intellectus, intellectio eſt. Quæ vna quidem eſt: quia omne id, quod quacunq; ratione eſt: vnum quoque dici poteſt. At non iuxta diuiſibilem diſtantiam dicitur vna. Cum in ea, neq; totum, neque pars quælibet omnis ſimul ſit. Verum licet paruum quid accipias, hic, & hic, aut aliud, atq; aliud, ſuiipſius particulas exiſtentes illud habeat. Intellectio vero haud huiuſmodi eſt. Sed aut ita vna, vt impartibilis: quemadmodum illa exiſtit: quæ intellectus ab anima ſeiuncti eſt. Quæ ea omnia, quæ ſunt, vna colligit, atque tollit: quæq; pertranſiri non poteſt. & quemadmodum noſtra formalium terminorum cognitio, non iuxta omnia ſimul eſt: ſed iuxta quamlibet formam. Quæ poſt particularium proprietatum notitiam, in contemplationem totius abſq; vlla diuiſione: quatenus ei pote eſt: ſe colligit. Qua itaq; ratione rationalis cognitio propoſitionum, atq; ſyllogiſmorum eſt: cũ ſe exponat in particulares propoſitionum terminos: & ſingillatim quod ſubiicitur, & quod dicitur, cognoſcat: & rurſum componat: & tanquam vnum, vtrunq; collectim, inſpiciat: & ſic quæ ſequuntur: & poſtremo ſyllogiſmum omnem in vnum colligat: non iuxta corpoream, atq; diuiſibilem mutationem pertranſiens: ipſa enim neq; ſecundum partem quãcunq;, neq; ſecundum totum ſimul omne exiſtit: ita & noſtra cognitio quæ ratiõis particeps eſt, prope terminos ſemper progreditur: & propoſitionum partes conſiderat: atq; totam propoſitionem ſimul comprehendit: totumq; colligit ſyllogiſmum: & præterea, quod maius eſt, ita ex rationibus in formam adducitur, & pertranſit: vt non ſecundum magnitudinis, aut continuitatis interuallum id fiat: ſed potius quemadmodum qui numerant: ex vnitate ad aliam perueniat vnitatem. Ita vt impartibilis iuxta quãcunq; actionem ſit. Quandoquidẽ quælibet quoq; cogitatio impartibilis eſt, dum ſimul cognoſcitur. vt exempli gratia animal, & rurſum rationis particeps, & mortale rurſum, & quod ex omnibus ceu vnum. Intellectus nanq; inquit, vnus, atq; continuus eſt. Quoniam intellectus ſeiunctus ab anima vnus tanquam impartibilis. Rationis autem particeps noſtra ſubſtantia propter conuolutionem ita vna, vt quæ in continuitatem extenditur. Haud tamen huiuſmodi qualis quæ magnitudinis: ſed vt quæ amittit, quod pure formarum indiuiſibile. Quẽadmodum & intellectio. Quoniam quemadmodum ſeſe habet actio, ita & ſubſtantia. Intellectio vero cogitationes exiſtens: quæ quia ordine ſe ſequuntur: iunguntur: vt & numerus qui ex diuiſis conſtat: at nequaquam vt magnitudo: neq; ipſa cum dimenſione eſſe poterit. Neq; intellectus ita cõtinuus, vt magnitudo, & interualla. Sed aut eſt impartibilis: aut non ceu magnitudo, continuus. Quandoquidem intellectus, & forma materia carens, atq; ſubſtantia rationis particeps exiſtit. Sed is quidem omnino impartibilis eſt. Anima vero quadam ratione in diſtãtia collocata eſt, tum propter conuolutionem, tum propter remiſſionem. Verum nequaquam ceu ea, quæ magnitudinis continuitatem habeat: vt corpora ipſa habent. Vt enim

eis

eis cedit formis, quæ ſine materia ſunt: ſic ſupra eam dimenſionem attollitur: quæ cũ corpore eſt. Ex quibus ſubſtantiam eam, quæ media ſit inter eam, quæ indiuiſibilis, atq; eam, quæ circa corpora diuiſa eſt, indicat. Ex iiſq; verbis, an non tanquam magnitudo continuus: vt & ex eo, aut impartibilis: intellectum eũ intelligit, qui ſine materia ſit: atq; ipſam animam ſuperet. Quoniam cuius anima particeps eſt, medius eſt. Neque enim abſq; vlla proportione eius anima particeps exiſteret.

QVA enim ratione & intelliget, cum magnitudo ſit, utrum uniuerſaliter: aut in quacunq; particularum eius. Particularum autem aut ſecundum magnitudinem, aut ſecundum punctum. Si oportet & id particulam nominare. Siquidem igitur ſecundum punctum.

Purus rationalis animæ actus, qualis quidem ſemper eſt: qui animæ vniuerſi exiſtit: aliquando autem & qui noſtræ: cum neq; ſenſu, neq; imaginatione vtitur: quia neq; ad corpus, neq; ad corpoream aliquam formam tendit: ſed ad eas, quæ a corporibus ſeiũctæ ſunt: neque tanquam inſtrumento vtitur corpore: quod vel vlla ratione ſimul agat: cum abſq; vlla dimenſione iis ſe accommodet cognoſcibilibus: quæ non cum continuitate magnitudinis coniuncta ſunt. Quapropter neq; etiam intellectio iſta continua eſt: ſed prope terminos ſemper conſiſtit. Multoq; magis, neq; ipſum intelligẽs magnitudo erit. Id nanq; quod intelligitur vnum abſq; vlla dimenſione eſt. Ipſum vero intelligens, ſi magnitudo ſit: aut ſecundum ſeipſum totum videbit, quod cognoſci poteſt: aut iuxta aliquid eorum, quæ eius. Et ſi ſecundum totum, aut ipſo quidem toto, omne: partibus vero ſuiipſius, extremis ve magis particulares proprietates: aut toto & vnumquẽq; terminum comprehendet eorum, quæ cognoſci debent. Sin autem iuxta aliquid eorum, quæ ſuiipſius, aut iuxta puncta, aut iuxta minores magnitudines. Atq; ita vt vnaquæq; particularum, atq; extremorum totum cognoſcat: aut vnaquæq; quidem magis particularem proprietatem: totũ autem quatenus totum, omne cognoſcat: aut & iuxta aliquid eorũ, quæ ſuiipſius, & iuxta totum, omne. Quod & ceu conuenientius, primum ponit. Nãq; cum magnitudo vim intelligendi habeat: cognoſcendi quoq; vim habebit, & ipſius totius, & vniuſcuiuſq; eorũ, quæ eius, actio. Nequaquam autem alia vnumquodq; eorum, quæ eius: alia autẽ ipſum totum cognoſcere poterit. Quod haud diſſimile eſſet, atq; ſi id ego: tu vero illud ſentires. Neq; ipſum totum id omne videbit, quod cognoſci poteſt: niſi ſecũdum ſeipſum & illud omne: & ea ex quibus illud omne conſtat, cognoſcat. Conuenientius itaq; eſt, vt eiuſdem & totum: & eorum, quæ eius vnumquodq; aut extremorum, ſi ſecundum punctum contemplationem faciat: aut particularum, ſi iuxta magnitudinem, alia alias cognoſcat. At cũ generatim particulas nõ ſolum magnitudines, ſed ſigna quoq; appellarit: addidit: ſi oportet ſigna quoq;, punctave, particulas dicere. Deinde infert abſurda illa, quæ poſitionẽ hanc ſequuntur: quo ad eos pertinet, qui iuxta vnumquodq; punctum idem intelligere velint: ſed ita, vt alias aliud: quia non ſine motu, intelligat.

HAEC autem infinita: dilucidum, quemadmodum nunquam pertranſibit. Sin autem ſecundum magnitudinem, ſæpe, aut infinities cognoſcet idem. Videtur autem & ſemel contingere.

Neq; circulus itaq; erit: neq; totum, vt totum cognoſcetur vnquam. Nanq; ſi totum cognoſcetur: & puncta omnia, quæ in ipſo ſunt: nota erunt. Ex quibus poſtea totius cõtemplatio colligitur. Impoſſibile autem eſt, puncta illa omnia propter infinitatem nouiſſe. Infert præterea & abſurdum: quod iis accidit: qui non ſecundum punctum: ſed ſecundum particulas diuidunt. Diuidere nanq; neceſſe eſt: quandoquidem & magnitudinẽ, & quod mouetur poſitum fuit nos intelligere. Quid itaq; abſurdi continget? Quod perſæpe, atq; adeo infinities idem intelliget. Perſæpe quidem ſi determinatæ ſint magnitudines, in quas diuiſio fiat. Infinities autem ſi indeterminatæ. Quia ſemper ſecũda, aut tertia, verbi cauſa,

eius dimidium assumat: quæ ipsam præcessit. Necesse itaq; si toto cognitio eius quod propositum est fieri debeat, persæpe, aut infinities. At quia id nunquam pertranseat, impossibile existit. Illud autem persæpe, absurdum quoque est. Videtur enim & semel contingere. Nam vbi aliquid cognouerimus, recta ad aliud, percurrimus.

SIN autem satis est, tangere quacunq; ratione particulas: quid opus est circulo moueri: aut & omnino magnitudinem habere.

QVADRAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

SIN autem necessarium est intelligere toto circulo tangentem: quinam est particulis tactus.

EXPOSITIO.

Ratio hæc eam omnem cognitionē refellit: quæ ex particulis, aut extremis sit. Si enim actio hæc cognoscendi vim habet, aut quod propositum est, vt cognoscatur: aut quācunq; particulam: aut extremum: quid opus est circulo moueri? Sin autem totum confestim ex tactu comprehendit: quid opus est, vt cognoscens ipsum magnitudinem habeat. Siquidem & vnaquæq; quoq; particula eam habeat vim vt totū cognoscere queat. Patet enim quemadmodum in impartibili, & iuxta tempus indiuisibile cuiuscunq; cognitio fit, Ita vt neque cum motu fiat. Omnis nanq; motus in tempore, atq; partibili fit. Neque enim magis particulares proprietates alias alia particula, aut extremitate comprehendit: toto vero ipso, omnes. Impartibiliter quidem enim cōtrahi oportet, atq; in tempore impartibili, quod cognosci debet. Magnitudo autem omnis diuisibilis est. Atq; licet alias alii proprietati eius quod cognosci debet, cognoscens ipsum sese accommodet: attamen omne collectim, atq; impartibiliter tollit: vnumq; & idem esse necesse est: quod omnes proprietates percurrit: & quod rursum oēs in vnum contrahit. Siquidem qui nouit ipsum omne: & illas quoq; magis particulares nouit: ex quibus & ipsum omne cognoscit. Confutata itaq; profecto, & positio quoq; ea est: quæ quidem tota magnitudine ipsum omne: particulis autē, aut extremis magis particulares proprietates cognosci vult. Reliqua vero est contemplatio: quæ toti ipsi concedit & ipsius omnis, & magis particularium quoq; cognitionem. Quæ enim solis partibus vtrunq; tribuit: ne confutatione quidem digna est: quippe quæ perspicue impossibilis est: quæ ne ipsum quidem intelligens intelligere ponit. Quandoquidem & intelligētis quoq; particulas, haud intelligendi vim obtinere, impossibile est. Quis nanq; est inquit particulis tactus, si ipsum quidem totum intelligat: eius autē partes nequaquā. Neq; enim ipsius intelligentis particulæ: quatenus intelligentis sunt: calefaciendi vim habebunt: sed & ipsæ quoq; intelligere poterunt.

PRAETEREA uero qua ratione intelliget diuisibile indiuisibili: & indiuisibile diuisibili.

Omnis cognitio, licet rei diuisibilis quoq; sit: illud tamen in indiuisibile cōtrahit. Quo simul totum, tanquam totum contempletur. Quæ nanq; per partes pertransit: atque alias aliam tangit: illius semper est: quam semper tangat. Et totius itaq; quoq; est: cum tanquā totum illud tractet. Non autem quia partibus agat, partium. Quoniam simile esset, ac si id quidem ego: illud autem tu sentires. Sed ceu vnius totius est: quod in vno, atq; indiuisibili cognoscente cum toto hæreat. Vnde & sensus, licet extrema sit partibilium cognitio: attamen iuxta formam eius, quod cognosci debet, nititur. Omnis autem forma impartibilis est: tanquam ea, quæ illud impartibiliter complectitur: quod per ipsam perficitur. At non quemadmodum punctum lineæ extremum est. Id quidem enim arcte, & quia ab ipso partibili excidit, atq; deteriori quodam modo impartibile est. Puncti itaq; notitia, eius solius est notitia: lineæ autem nequaquam. Quia lineæ quoddam extremum existit. Cognitio vero illa quæ iuxta eius formam habetur: & lineæ, & extremorum est. Intellectus itaque si magnitudo sit: licet extrema habeat impartibilia: ex eorum sententia loquendo, qui ei lineæ magnitudinem ascribunt: attamen neq; diuisibilia, neq; indiuisibilia cognoscet. Totū quidem

Forma qūo impartibilis

Punctū qūo.

quidem enim cognoſcens, ac iuxta id, quod ſuiipſius omne, omne id quod cognoſci poteſt, comprehendet. At quod diuiſibile eſt, nequaquam ab impartibili cognoſci valet: cum ſuiipſius punctum ſit. Quoniam punctum non extenditur eodem modo, quo magnitudo: ita vt illam quoq; tangat. Verum neq; quod impartibile eius, quod cognoſci debet, a diuiſibili ſuiipſius cognoſcetur: tanquam ab eo, quod ei non quadret. Si enim ea magnitudine, quæ iuxta formam conſiſtit, quiſpiam quod cognoſcendi vim habet, definiret: iam hac ratione illud ſine corpore eſſe, fateretur. Forma nanq; terminus eſt: verum non id quod terminatur. Quemadmodum autem ex motu diſtinguimus ipſum mouens ab inſtrumento, quod viuaciter mouetur. Neq; enim ceu corpus: ſed vt viuens, atq; animatum mouetur, quod volat: aut ambulat. Ipſum vero mouens anima eſt: quæ aliam habet vim mouendi retinentem actionem: neq; eandem cum eo, quod mouetur. Quapropter & tanquã inſtrumenti actus anima ſtatuitur: & tanquam ea, quæ viuente corpore vtatur: quæ ſeiũcta quoq; eſt, non ſolum a corpore: ſed & a vita etiam eſt, quæ ipſi corpori inſeparabiliter data eſt: ex qua viuaciter perfectum eſt, quod mouetur. Sic & quod cognoſcendi vim habet: quodq; per corpus agit, dupliciter cenſemus intueri. Altero quidem modo, iuxta vitã eam, quæ corpori data eſt: quæq; ſimul cum corpore fit. Quæ ſane ratio haud pure agendi vim habet: ſed non ſine corporis paſſione, ab eo quod ſentiri poteſt, aut diſgregatur, aut congregatur. Altero vero modo in formam ſpectat, atq; agit tantum: quatenus in ipſa anima vtente, cognoſcẽdi vis adeſt. Quæ quidem anima vtens, nequaquam magnitudo eſt: nulla nanq; forma magnitudo exiſtit: ſed id quod forma abſoluitur, atq; perficitur. At ſeparabilis quoq; ea, quadam ratione a magnitudine eſt: dum non patiendo, ſed agendo, cognoſcit. Ipſum vero intelligens adhuc multo magis, quod ſeparabile eſt, indicat. Siquidẽ, quemadmodum demonſtrabit, nequaquam ſimilis eſt, eius quod ſentiendi, atque eius quod intelligendi vim habet impaſſibilitas. Cum mens neque tanquam inſtrumento corpore ipſo vtatur: tuncque in primis, cum ſeparabiles formas cognoſcit. Vbi neque corporea vtitur cognitione, neq; ſenſu, aut imaginatione. Atq; hæc ea ſunt, quæ nũc de mente, intellectuve demonſtrantur. Mentem autem, vt dicebamus, appellat, vitam animæ, rationis participem: quam etiam diſtinxit ab ea quæ ſentiendi, atq; appetendi vim habet. Quæ itaq; nunc demonſtrantur, non ſolum mentem incorpoream eſſe demonſtrãt: verum etiam neq; corpore ipſo, tanquam inſtrumento, ſuis in intellectionibus vti. Quod nanq; impartibile: aut prope terminos incedens, qua ratione vtetur eo, quod non ſine diuiſibili continuitate proficiſcitur? niſi forma, quæ cognoſcitur in diuiſibili collocata ſit. Tunc enim ipſum quoq; inſtrumentum auxilium fert, propter ipſius diuiſibilis comprehenſionem. Quãdoquidem & forma quoq; quæ in corpore eſt, cognoſcitur. At cum ſeparabiles formas intellectus cognoſcit: neq; tanquam inſtrumento ipſo vtetur corpore. Atq; adeo huiuſmodi intellectum imaginatio conſequitur: non tanquam ea, quæ ſimul agat: ſed tanquam conſecutio quædam conſequitur. Quemadmodum vmbra quoq; ſolidum illud conſequitur: quod in lumine exiſtit, aut quemadmodum oculorum conuerſio validam animæ contemplationem comitatur. Quæcunq; ſane igitur collecta ſunt inconuenientia: quia magnitudinem aliquam, quiſpiam intellectum eſſe dicat: eadem contingent & illis: qui intellectum ponunt, corpore, tanquam inſtrumẽto vti, in ſeparabilium formarum intellectione. Ariſtoteles vero, vbi eos, qui intellectum magnitudinem eſſe dicunt, confutauit: deinceps confirmat, eandem, quoq;, ex eo, quod apparet, Timæi eſſe poſitionem, ſcribens.

NECESSARIVM autem intellectum eſſe circulum hũc. Intellectius quidem enim motus, intellectio. Circuli autem, circulatio. Si itaq; intellectio circulatio, & intellectus eſſet circulus. Cuius huiuſmodi circulatio intellectio.

Et neq; tanquam actum eius: neq; tanquam inſtrumento vtẽtem: neq; adhuc magis, vt omnino ſeparabilem. Ac ſiquidem ex illius ſententia, circuli circulatio eſt intellectio: nõ cuiuſcunq;: ſed huius: quem diuiſum, atq; deflexum circũduci, inquit. Qua itaq; ratione

colligitur circulum hunc intellectum esse? Quãdoquidem quorum actiones eædem: eorundem & substantiæ quoq; eædem. Dicitur autem circuli circulatio, intellectio. At & intellectus quoq; actio intellectio existit: vt omnium confessione constat. Quorum autem vna est actio, ipsa quoq; eadem sunt. Intellectus itaq;, isq; circulus eadem erunt. Qua vero ratione demonstratiue hæc ex mathematicis scripserit Timæus, iam a nobis explicatum fuit.

SEMPER autem sane aliquid intelliget. Opus nanq; est, siquidem perpetua circulatio. Agentium nanq; intellectionum sunt extrema. Omnes enim alterius gratia. Contemplantes autem rationibus eodem modo determinantur. Ratio autẽ omnis, aut definitio, aut demonstratio. Demonstrationes autem & a principio: & habẽt quadam ratione finem syllogismum, aut conclusionem. Sin autem non perficiuntur: at neq; flectum rursum ad principium. Assumentes autem semper medium, & extremum, recte progrediũtur. Circulatio autem rursum in principium flectit. Definitiones uero omnes finitæ.

Oportet enim quandoquidem perpetua est circulatio: perpetuam quoq; intellectionẽ esse: cum eadem cum circulatione sit. Et ita quoq; perpetuam esse conuenit: vt & circulatio est. Quæ non prope terminum vnum stans perpetua est: sed quia in mutatione collocata. At non in ea mutatione, quæ prope terminos: sed in ea quæ cum cõtinuitate fit. Quæ neq; in statu, neq; in fine vnquam est. Huiusmodi itaq; si intellectio fuerit: semper alicuius vnius erit. Quoniam in transitu illo, qui ab alio ad aliud fit: statu necesse est excipi: qui quidem status in eo positus est: quod antea intellectum fuerat. Circulatio vero statu non excipitur. Erit igitur & eiusdem semper intellectio: & non in statu: sed semper in ipso fieri. Quippe quæ idem semper pertranseat: & nunquam ad finem accedat. Interrogabat itaq;, quid semper intelliget? Quod nanq; semper, breuiter in memoriam reuocauit: quia circulatio perpetua sit. Neq; enim in actione collocatum est, quod intelligitur, neq; in contemplatione. Quandoquidem vtraq;, tam scilicet, quæ agit: q̃ quæ contemplatur, cognitio, finita est. Altera quidem a fine eorum quæ agi, atq; tractari debent, exordium sumens: atq; ibi desinens, vnde actionis postea capitur principium. Altera vero determinando quidem confestim agit: atq; prope vnum permanet terminum in illa totius comprehensione. At cum demonstratiue a propositionibus incipiat: & in conclusionem desinat: propter hanc quoq; causam, finem sibi syllogismum, atq; conclusionem statuit. Cõclusionem quidem tanquam in ipsam desinens: syllogismum vero, ceu vna cum conclusione, propositiones quoq; colligens. Demonstratum nanq; fuit in demonstratiuis libris, quemadmodũ neq; ad extrema versus, neq; ad principia infinitus est progressus. & quemadmodum cum extrema determinata sint: & media quoq; finita existunt. Nunc vero expositione quoq; concedens finita non esse: attamen huiusmodi infinitatem ab ea diuersam ostendit, quæ iuxta circulationem fiat. Siquidem hæc flectendo: illa recta progrediendo consistit. Eodẽ præterea modo, tum contemplatio quæ diuidendi, tum quæ resoluendi potestatem retinet, determinata, ac finita demonstrabitur.

PRAETEREA si eadem circulatio persæpe, opus erit persæpe intelligere idẽ. Præterea uero & intellectio similis est quieti cuidam, & statui potius, q̃ motui. Eodem autem modo & syllogismus.

Semper quidem idem præstantior illa nostra mẽs mouit: verum haud persæpe idem. Neq; enim rursum, atq; rursum: neq; omnino cum extensione: neq; nunc, atq; iterũ nũc. Sed prope vnum nunc stans, quod omnem temporis infinitatem impartibiliter comprehendit. Ita vt haud persæpe idem intelligat: sed semel, iuxta illud perpetuum semel. Nostra vero intellectio, quæ pertranseundi vim habet: non ab eodem in idem pertransit: sed ab altero ad alterum: atq; per media rursum ad idem. Quod si intellectio sit circulatio, & persæ-

pe: &

pe:& nequaquam perpetua erit intellectio:& a seipsa in seipsam haud per alia media pertransibit:& nihil forsan sequetur absurdi,esse idem ipsum nunc vere, & nunc illud quod in temporis extensione positum est.Quod terminatum quidem est in iis quæ ortui subiecta sunt:infinitum autem in ipsis cœlestibus. Quandoquidem naturalium rerum esse haud perpetuum est:ita vt in vno nunc permaneant. Propter quam itaque causam & diuinarum animarum intellectio ita vna est:vt semper quidem omnium sit, atque pertransiri non possit:& non tanquam perpetua:quæ in vno nunc permaneat. Quoniam ipsum perpetuum præstantius existit,q̄ quod secundum animam consideratur. At ipsa quidem nunc atque nunc non sine infinita quadam continuitate permanet:atque ea ratione intellectui illi cedit:qui supra animam est. Quemadmodum & in coniunctione quoque ea, quæ cum intelligibilibus existit. Altera quidem enim cum coniunctione quadam indiuisibili consistit:altera vero quasi cum quadam tactione. & ita vt in illa multitudine intellectionum secundum speciem tantum distinctio fiat.Nanque propter impartibilem quandam contractionem,& vnaquæq; id vere est, quod aliæ sunt: & propter id cuiuscunque generis.In diuinis autem animis,& mutua earum cognitionum contractione:cū ea quæ, eorum,quæ cognoscuntur,habetur cognitio,haud pure impartibilis sit:aliter sese res habet:cum iam ea quoque ad diuisionem tendat.Si igitur nunc,atque nunc eadem est: propter quam causam absurdum persæpe idem intelligere? Quoniam, dicam,non solum subiicitur idem:sed dum mutatur.Siquidem intellectio sit circulatio.Non est itaque simul tota:sed qualis quæ apud nos:dum haud adhuc totum cognoscimus: attamen præcidimus quod ad ipsum tendit.Quia antea substantiam noscimus:deinde animatum: & deinde quod sentiendi vim habet:atque hac ratione animal totum.Absurdum autem illud,ita rursum,atque rursum.Cognitio nanque quæ semel perfecta est,nihil eo indiget.Et ita dixi:quoniam infinities quoque indigebit. Quandoquidem in diuinis quidem animis, ne semel quidem eget.Intellectio nanque in illis manifestius cuidam quieti, atque statui, similis est,q̄ motui.Siquidem & in nobis,qui ex aliis alia colligimus: id quod syllogismus facit:attamen quod stat,potius apparet,q̄ motus,propter ingressum scilicet eum,qui prope terminos fit.Neq; enim in transitu:sed in statu prope vnumquemq; terminum,semper intellectio collocata est.

Interrogatio.

Responsum

Dubitatio.

Responsum

QVADRAGESIMANONA PARTICVLA.

ATQVI neq; beatum,quod non facile,sed uiolentum.

EXPOSITIO.

Perspicua vtraque ex propositionibus est.Nanque in eo,quod secundum naturam ipsum facile positum est:in eo autem,quod facile,beatitas.Quapropter & in eo quod secundum naturam:& non in violento,incorruptio,atque beatitas collocata est. Ipsum autem non corrumpi,vel corruptibilibus quoque adest:donec sese secundum naturam habeat. Semper itaq; secūdum naturam existit,quod incorruptibile.Antea vero id sumptum fuit propter id,quod confestim infertur.

SIN autem est motus eius non substantia,præter naturam moueretur.

Violentum nanque quod præter naturam:quod autem violentū non beatum.Quod autem haud secundum naturam cœli animæ insit motus: antea quidem iuxta communem quandam rationem in omni anima demonstrauit: deinde vero & in ipsa quoque id singillatim agit.Si nempe mouetur,inquiens,præter naturam mouetur.Id quidem igitur dilucidum.At propter quam causam,si non substantia eius sit motus, dixit, præter naturam moueretur.Neq; enim cœli substantia motus est:neque tamen præter naturam mouetur.Nunquid,quoniam vt in tertio dicturus est:intellectus sua ex substantia est actio: neq; tantum ille qui animis ipsis præstantior est:sed nostra anima quoque.Cum omnem eam eminentiam,quæ extra tendit,contrahat:& inseparabiliter,atq; impartibiliter:quatenus ei fas est,viuat:& propter hanc quoq; causam actionem,suam in substantiam reducat.Multo itaque maiori quodam modo:& haud aliquando,sed semper, diuina vniuersi

Dubitatio.

Responsum

anima ſua, ex ſubſtantia, erit actio. Et ſi eius motus actio eſt: ſubſtantia quoque eius erit motus. Sin igitur haud id ita ſeſe habet: aut non mouebitur: aut præter naturam mouebitur.

LABORIOSVM autem & id mixtum eſſe corpori: ita, ut non poſsit diſſolui. & præterea fugiendum. Siquidem melius eſt menti, haud cum corpore eſſe: quemadmodum ſolet dici: ac multis quoq; uidetur.

Ex iis quæ antea dicta ſunt: cum neq; corpus, neq; magnitudinem omnino, quod intelligibile animæ eſt: hoc eſt, vitam eam omnem, quæ rationis particeps ſit: demonſtrarit: (conueniunt enim & animæ noſtræ, ſecundo loco tamen, quæ de vniuerſi anima, antea demonſtrata fuere:) nunc quod ſeparabilis a corporibus ſua ex natura, omnis rationis particeps anima ſit, nobis in memoriam reuocat. Verum de ipſa vniuerſi anima præcipue ſermonem habens: vbi & omnia quoque abſurda maiorem habent vim. Quodam itaque modo, quod inſeparabile ipſius animæ rationis participis: quam mentem appellat: demõſtrat. Quoniam melius eſt ei nequaquam cum corpore eſſe. Quod non modo Plato confeſſus eſt: ſed ita quoque permultis eſſe videtur. Siquidem præſtantior ea philoſophia exiſtit, quæ contemplandi vim habet, q̃ quæ agendi. & in ea quæ contemplandi vim habet: quæ in iis verſatur, quæ a materia ſeparabilia ſunt: quæq; nequaquam corpore vtitur. & ea omnino nobilior, quæ in ſeipſa complectitur, q̃ quæ extra fertur. Cæterum ei, quæ a corporibus inſeparabilis exiſtit, nequaquam id melius eſt. Proprium nanq; bonum vnicuique bonum eſt. Ei itaque vitæ, quæ inſeparabilis eſt a corporibus, vt non ſine corpore ſit, melius eſt. Ac niſi ipſum cum corpore eſſe, melius eſſet: ſeparabilis a corporibus eſſet. Vita igitur, quæ cum corpore eſt: quam mixtionem appellat: tãquam ea, quæ haud præcipue animæ ſecundum naturam ſeparabili adſit: laborioſa eſt. Neque enim ei, tanquam ſeparabili ineſt: ſed potius ceu ei, quæ quadam ratione a ſeipſa recedit. At non ſine labore diſceſsio a proprio, atque conuenienti fit. Quapropter nequaquam præcipue eligenda. Sed in noſtris quidem tolerari poſſet: quia diſſolui queunt. Ad aliquod nanque tempus vſque commixtio durat. In ipſa vero vniuerſi anima, ea fugienda omnino eſſet: quia nunquam diſſolui poteſt. Intenſum ergo illud laborioſum eſt in vniuerſi anima: quia perpetuum eſt. Ex quibus videtur Ariſtoteles Platonicis verbis inſtare, mixtioni ſcilicet, atque complexioni. Videri nanque poſſet, nutum, atque impetum in corpus, & vſum quoque, tanquam inſtrumenti, ei aſsignare. Hacque ratione ſemper quod melius, atque bonum exiſtit in ſeiunctione poſitum eſſet. Neque igitur ita Platonis verba intelligenda ſunt: neque ita ſeſe res habere arbitrandum: vt ſcilicet nutu, aut impetu in corpus: aut eo tanquam vtentem mixtam accipiamus. Sed quia maneat in ſeipſa ad ſeipſam conuerſa: corpuſque ſuiipſius faciat: eximendoq; ipſum moueat: atque ceu id ſuperans, quod appeti debet. Ita, vt noſtræ animæ, quæ ſeparabilis exiſtat, quæ aliquando, atque ſecũdo loco, exemplum habeamus, ipſum ſemper, atque primo.

QVINQVAGESIMA PARTICVLA.

IMMANIFESTA præterea, & ipſius circulariter ferri cœlum cauſa. Neq; enim animæ ſubſtantia cauſa, propter quam circulariter feratur. Sed ſecundum accidens ſic mouetur, neq; corpus cauſa.

EXPOSITIO.

Confutata huiuſmodi poſitione: quod ſcilicet, quia circulariter anima moueatur: cauſa ſit circulationis ipſius cœli: immanifeſta redditur huius rei cauſa. Neque enim animæ ſubſtantia, cauſa eſt, vt circulariter feratur. Quemadmodum qui motum ſubſtantiam eſſe arbitrantur: & ſua ex ſubſtantia circulariter ferri volunt: atq; hac ratione mouere. Neq; enim circulariter: atq; adeo ne moueri quidem animam dandum eſt. Quia igitur moueatur, nulla erit cauſa. Neque enim ſecundum ſeipſam, ſed ſecundum accidens mouetur.

Cum

Cum nequaquam corpus in cauſa ſit: aut ſui ipſius iuxta eam motus: aut animæ ſecundum accidens.

SED anima potius ei.

Corpori ſcilicet. Illud vero potius additum fuit: quoniam licet natura motus principium ſit: attamen potius anima exiſtit. Magis nanq; proprium mouens ipſum eſt, q̃ principium illud iuxta quod mouetur. Natura vero huiuſmodi principium, vt id ſecundum quod moueatur: non autem ceu id, a quo ipſius motus origo ducatur. Nunquid autem & illud, quod Iamblico videtur, demonſtratur: cœleſte ſcilicet corpus ex ſeipſo viuere: non autem aduentitie, quemadmodum noſtra viuunt corpora. Quippe quod ſua in ſubſtantia inſitam habeat vitam: atque vitam eam, quæ mouendi vim habeat. Ita, vt & a ſeipſo quoque ad motum excitetur: ſed magis profecto proprie ab ipſa anima. Quapropter potius anima corpori cauſa motus eſt: q̃ ipſum ſibiipſi. Adiectio autem illius particulæ, potius, eam quoque vim habere poteſt, vt demonſtret: quod licet & aliæ adhuc magis propriæ ſint motus cauſæ: attamen anima potius cauſa erit, q̃ corpus ſibiipſi: atque adhuc antea intellectus ille cuius anima particeps eſt: atque adhuc antea is, quem nulla participat. Hæc quidem igitur recte ſeſe habent. Illud vero quonam pacto vere dicitur: immanifeſtam ſcilicet eſſe, vel ex Platonis ſententia cauſam, propter quam cœlum circulariter feratur. Quoniam demonſtratum fuit, quod neque circulariter, neque ulla omnino ratione, anima mouetur. Corporeus nanque, atque naturalis in ea motus confutatus fuit: quem ne Plato quidem ad animam referendum vult. Quare ſi ex Platonis ſententia animati motus propoſitum interpretemur: cum vita ſit, quæ a mente, atque intellectu clam, atque parumper recedit: atque illum indiuiſibilis terminum relinquit: haud tamen adhuc diuiditur: aut a ſeipſa recedit: ſed in ſeipſam ſecundo loco conuerſa eſt: quod ſane ille per circulationem mathematice ſignificauit: perſpicua eſt cauſa circulationis ipſius cœli. Proxima nanque cauſa eſt: cum continuus, atque diuiſibilis ſit cœleſtis motus: verum ſemper in ſine: & ab eodem in idem: atque ipſe quoque idem ſemper fiat. Vita itaque, quæ antea adducta fuit, propter ſubingreſſum ex indiuiſibili, diuiſionem facit: verum haud patitur: propter illam vero conuerſionem ſecundo loco in ſeipſa continua ſemper eſt: & ab eodem in idem, atque eundem ſemper perficit motum. At, quod perſæpe quoque diximus, ex vulgi atque multitudinis conſuetudine vocabula Ariſtoteles interpretatur: atq; hac ratione refellit: & immanifeſtam eſſe cauſam inquit.

ATQVI neq; quia melius dicitur. Et certe oportebat Deum propter id circulariter facere ferri animam: quoniam melius ipſi moueri, q̃ manere. Moueri autem ita, aut aliter.

Cum eo omni, quod præcipue, atque ſecundum ſe eſt: & bonum quoque exiſtit. Priuatio nanque cum malum ſit: tanquam id, quod non ſit, præcipue eſt: atque ita neq; bonum exiſtit. Et quemadmodum rurſum eſt, ita & bonum quoque eſt: quia veſtigiis quibuſdam conſequitur bonum. Recte itaque noſter Ariſtoteles cenſet: quod qui res ipſas contempletur: & bonum, quod quibuſcunque conueniat: conſiderare debeat. Ita vt alterius quoque probatio ex altero inducatur. Si itaque motus animæ non conuenit: neque bonum, quod motui conueniens eſt: cum anima quadrabit. Et qui bonum animæ aptũ vidit: ipſam quoq; ab huiuſmodi motu ſeiunctam nouit. Belle autem iudicat & Deum in primis boni cauſam ſuſtinere: & in id aciem ſuam dirigere: quod inter omnia præſtantiſſimum ſit, bonum. Pulchreq; illud teſtimonio non ſine Platone confirmat: qui haud dicit: quod melius ipſius motus in anima: quam ipſe interpretatur. Cuius nanq; Plato & formam determinat: & perfectionem: ſubſtantiam ei quoq; aſſignat: quæ media exiſtit inter indiuiſibilem ſubſtãtiam, atq; eam, quæ circa corpora diuiſam: quæ & tota quædam eſt. Vnde etiam patet, quod ſimplicitas quædam eſt: quæ huiuſmodi ſubſtantiæ complectendæ, atq; ſeruandæ vim habet. In qua ipſa, quod bonum, atq; melius eſt, continetur.

Priuatio mala lum.

QVINQVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

QVONIAM autem eſt huiuſmodi conſideratio aliis ſermonibus cõuenientior, eam quidem dimittamus nunc.

EXPOSITIO.

Non de motu intelligit:ita vt nos ad naturalem auditionem dimittat: quemadmodum Alexandro,atq; Plutarcho videtur.Neq; enim ei de motu præcipuus ſermo erat.Sed vtrũ anima moueatur: & vtrum id ei melius. & quod oportet deum propter bonum facere. Conſideratione itaq; circa bonum ſuperſedet:quippe cum aliis ſit ſermonibus conuenientior:iis ſcilicet,qui res naturales tranſgrediuntur.In quibus & bonum illud, quod in ſimplicitate collocatum a primo illo bono deductum, expoſitum fuit.

ILLVD autem abſurdum cõtingit,& huic ſermoni,& plurimis ex iis,qui de anima.Colligant enim,& ponunt in corpus animam,nihil præterea determinãtes propter quam cauſam,& quo pacto ſeſe habente corpore.

QVINQVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

ATQVI uideretur id neceſſarium eſſe,propter ſocietatem enim, id quidem facit,illud autem patitur. & id quidem mouetur, illud autem mouet. Horum autem nullum ineſt mutuo quibuſcunq;.

EXPOSITIO.

Cum iam animã haud corpus eſſe collegerit: quia corporis propria actio motus eſt: anima vero nequaquam mouetur:qua ratione in corpore ſit inueſtigãdum cenſet: ita vt non ſolum cuiuſmodi ipſa ſit:ſed cuiuſmodi quoque corpus: quod ei ſubiiciendum eſſe oporteat,intelligamus.Colligatam nanq; ipſam cum corpore eſſe,perſpicuum eſt. Quo cum igitur,atq; quanam ratione ſe habente,videndum eſt.Neq; enim cum quocunque. Deinde cum illud tanquam perſpicuum ſumpſerit,quod ſcilicet anima agat: corpus autem patiatur:& ea quidem moueat:id autem moueatur: iure & eam quoque id eſſe vult, quod vtatur:illud vero ipſum eſſe inſtrumentum. Neq; quodcunq; forte fortuna oblatum fuerit ipſi animæ inſtrumentum eſſe aſſerit:ſed quod ad vitam aptum ſit:& diuerſarum vitarum reſpectu diuerſum.Neq; enim quæcunq; a quibuſcunq; patiuntur.

QVINQVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

HI AVTEM ſolum nituntur dicere quale quid anima. De recipiente uero corpore nihil præterea determinant.

EXPOSITIO.

Exempli gratia,quod vim habeat mouendorum viuaciter corporum. & hæc quidem nutriendo:illa vero præterea quoq; cognoſcendo:alia autem & ſecundum locum concitando:at & alia quoq; ratione vtendo. De recipienti autem corpore nihil præterea determinant.Neq; enim diſtinguunt inſtrumenta:quæ ad diuerſas vitas apta ſint.

TANQVAM contingat iuxta Pythagoricas fabulas:quamcunque animam in quodcunq; ingredi corpus.

Recte ſane mouit:atq; ita Ariſtoteles loqtur:quod quaſi fabuloſe, eo Pythagoræi ſunt velamine vſi.Nanque animam rationis participem in vehicula ratione carentia adiudicari dicebant:vitam eam quæ perturbationibus obnoxia eſſet:atq; ſine ratione exiſteret:amplificare,ac fere tragice nobis prodere volentes.

VIDETVR enim unumquodq; propriam habere ſpeciem,atq; formam.Proxime uero dicũt,ac ſiquis diceret:fabrilem in tibias ingredi.Oportet enim artem quidem uti inſtrumentis. Animam uero corpore.

Quinquageſima

QVINQVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

ET ALIA præterea quædam opinio tradita est de anima: persuasibilis quidem multis: & nulla minor earum quæ dictæ sunt. Quæ tamen rationes, tanquam normas dedit: & sermonibus quoq; qui communiter dicuntur. Harmoniam nãq; quandam ipsam nonnulli asserunt.

EXPOSITIO.

Etenim viuere iam opus est corpus, quod viuaciter ab anima moueri debet: atq; viuere ita, vt determinetur ex forma animæ mouentis. Id q; illud est, quod in iis discernendam censet in corpore vitam ab anima. Quippe cum anima iuxta id, quod vtitur stet: quæque corpus tanquam instrumentum, ac tanquam id, quod viuaciter mouetur, effingit. Nam vis quæ instrumenti effingendi vim habet, ei similis ducitur, quæ semper vtitur. Quemadmodum enim fabrilis ars tibiis vti non posset: ita neque anima quæ rationis particeps existit, illis vteretur instrumentis, quæ ex vita ratione carente formata essent. Quoniam extrinsecus aduenientes, non autem innatus, atque insitus is esset vsus. Mihique videtur ex hoc præcepto censere, respectu cuiusdam similitudinis ad id, quod vtitur, determinandum esse instrumentum: sed respectu cuiusdam similitudinis iam egressæ. Quod nanque animatum est, animæ egrediendo, atque ad opus veniendo simile est. Ita, vt haud ex ipsa mouente anima formam adipiscatur: sed ex ea, quæ inde subingreditur. Quia haud adhuc mouendi vim habeat: sed id quod mouetur determinare possit: & secundum similitudinem quandam subingrediatur. Qua etiam quod mouetur mouenti simile redditur. Quippe cum id passum sit, quod mouens ipsum motu agit. Verum id quod mouetur, tanquam huiusmodi, ei quod solum mouet, nequaquam simile reddi oportet: & præsertim tanquam ei, quod ita moueat: vt sensu, aut ratione vtendo. Post hæc igitur, quod neque harmonia corporis particularum anima sit, philosophus demonstrat: neque huiusmodi, vt eius quod viuaciter mouetur, effingendi vim habeat: neque adhuc magis tanquam mouens. Opus nanque est, omnino concinne paratum esse corpus, quod vitam recipere debeat: atque apte, concinneque inquam paratum esse ad vitam eam, quæ adesse debet. Quo accommodatum postea ad eam recipiendam, atque participandam. Differre autem omnino oportet, quod ad participationem aptum est, ab eo, cuius particeps esse debet: & quod tanquam materia formæ substernitur. Et quod formam respicit: aliud quidem respicit, tanquam eam, quæ instrumenti determinandi vim habeat: aliud autem tanquam eam, quæ vtatur. Exempli gratia, talis lignorum compositio apta quidem est, ad formam nauis. Haud tamen eadem cum figura existit: neque adhuc magis cum vi ipsa, quæ gubernare valet. Neque igitur corporatorum elementorum compositio, aut qualitatum temperatio, aut mutuus ille compositorum, mixtorumve consensus, atque ratio, ipsa erit animata uita. Sed ceu materia subiecta est uitæ illi, quæ instrumenti determinandi uim habet. Ob quam ergo causam ueri similis permultis ea uisa fuit opinio, quæ animam harmoniam esse constituit. Quandoquidem proximæ materiei quæ perfectam iam receperit aptitudinem, collectim, atque simul innascens forma, non secus, ac si eadem cum ipsa sit, opinionem permultis præbet. Hoc itaque pacto figura nauis, nihil differre uidetur ab huiusmodi lignorum harmonia. Ac quando non distinguit vulgus uitam, quæ tanquam instrumento utatur, a uita ea, quæ instrumentum, tanquam instrumentum effingit: ideo & Alexandro germano fere Aristotelis interpreti, id quoque euenit. Qui nequaquam iudicat, tanquam instrumento anima ipsa uti. Neque enim unum quoddam fieri uult ex eo, quod utitur, atque ex ipso instrumento. Vnde neque ei uim mouendi concedere ualet: ita ut eam, eius quod mouetur, tanquam eius quod mouetur formam statuat: atque ex hoc tantum ipsam corporis actum interpretetur. Cum Aristoteles & illud instrumentarium præterea addiderit: ac ceu ipsa sit, quæ utatur, atq; moueat, cõfirmarit, & propter hanc causam, naturam superare dixerit. Qm̃ natura, vt moueatur, atq; patiatur tãtum principium est: anima uero mouendi quoq; uim habeat.

Dubitatio.

Responsum.

Digressio cõtra Alexandrum.

Quo igitur pacto vnum animal eſt, cum ex anima, atq; corpore ſit: niſi ex eo, quod vtitur, atq; ex inſtrumento vnum quoddam fiat. Nunquid id haud verum ſimpliciter eſt: verum quadam determinatione indiget. Quando enim diſpoſitio illa, quæ inſtrumenti effingendi vim habet, diſiuncta ab eo, quod vtitur, fuerit: nequaquam vnum fit: vt in artibus res ſe habet. Quando vero illud contingit, & innate inſtrumentum cum eo, quod vtitur, iunctum fuerit: vnum quoddam perficitur: haud tanquam ex materia, atq; ex inſtrumentaria forma: iam enim inſtrumentum ſubiectum eſt: ſed tanquam ex inſtrumento, atq; ex eo, quod vtitur, propter ſubſtantialem illam coaleſcentiam. Sermones autem qui communiter dicuntur, Ariſtoteles eos appellat, qui licet non ſine modeſtia, attamen apud multos habentur. Atq; eos forſan innuit, qui in Phædone exiſtunt. Forſan vero & eos intelligit, qui ab ipſo Ariſtotele, in Dialogo, cui nomen eſt Eudemus, harmoniam refellentes, ſcripti fuere.

NANQVE harmonia, temperatio, atq; compoſitio quædam contrariorum eſt: & corpus componitur ex contrariis.

Non ſolum concedit, concinnatum eſſe corpus animalium: ſed & id quoq; ratione colligit: cum componi quidem viuens corpus, atq; moderate ex cõtrariis temperari, ceu perſpicuum ſumpſerit. Omne autem quod ex contrariis moderate temperatum, aut miſtũ, concinnatum eſt. Et inde patet, quod colligitur. Concinnum igitur viuens eſſe corpus, veriſimum eſt. Verum illud nequaquam verum, quod ſcilicet anima eius harmonia ſit: vt confeſtim inferens, demonſtrat.

QVINQVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

ATQVI harmonia quidem, ratio quædam eſt, eorum quæ miſta ſunt, aut compoſitio. Animam uero, neutrum horum eſſe, pote eſt. Præterea uero ipſum mouere, non eſt harmoniæ. Animæ uero id tribuunt omnes, in primis, ut ita dicam.

QVINQVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

CONVENIT autem magis de ualetudine dicere harmoniam, & omnino de corporeis uirtutibus, q̃ de anima.

EXPOSITIO.

Quid quidem igitur compoſitio, & quid ratio ſit, ipſemet parumper deſcendens diluci dabit. Cumq; id nunc tantum acceperit, quod reſpectus quidam mutuus eorum quæ miſta ſunt, compoſitio, atq; ratio ſit: ex eo inde quod propoſitum eſt, animam ſubſtantiam, non autem reſpectum eſſe demonſtrat. Ex hac itaq; ratione, non ſolum vitam, quæ tanquam inſtrumento, ipſo vtitur corpore, nequaquam eſſe harmoniam, nobis expoſitum fuit: ed & ea quoq; vita, quæ inſtrumenti formandi vim habet. Omnis nanq; vita ſubſtantia eſt: quandoquidem & ipſum quoq; animal ſubſtantia exiſtit: & quoniam vita ipſa contrariorum recipiendorum vim habet. Quod vero deinceps ſequitur, de ea, quæ vtitur, dictum fuit. Illa nanq; quæ mouet, non ſolum eſt ſubſtantia: ſed & principalis ſubſtantia. Harmonia vero iſta, quæ in reſpectu collocata eſt, neq; ſubſtantia, & multo minus principalis eſt ſubſtantia. Hoc nanq; tempore dimittatur illa Pythagoræorum: licet mathematica ſit harmonia: quæ ſubſtantia habita fuit. Nanq; Ariſtoteles ex bona valetudine, & omnino ex corporis virtutibus, harum inquam comparatione, eos confutat: qui animam corporis harmoniam eſſe, arbitrabantur. Eſt quidem enim, neq; bona valetudo, aut robur, aut pulchritudo, aut quas communius corporis virtutes vocant: cum corporis perfectiones ſint: ipſa harmonia. Sed illud omnino verum exiſtit: quod hæ in harmonia, atq; proportione collocatæ ſunt: illa quidem qualitatum: altera vero ſimilium particularum: at illa diſſimilium. Neq; ipſæ proportiones, commoderationesve dicendæ ſunt: ſed perfectiones, quæ his adnaſcuntur ita appellandæ. Attamen his quoq; potius harmoniæ nomen conuenire videretur, q̃ ipſi animæ. Quoniam bona valetudo, atq; rebus, viresve, licet viuẽtium corporum exiſtant: haud tamen animam ſequuntur: ſed corporis formam comitan

tur: atque ex eius temperatione emergunt. Vita vero, poſtremaq; in primis illa ex anima ortum habet.

MANIFESTIVS autem ſiquis aſsignare niſus fuerit paſsiones, & opera animæ harmonia quapiam. Difficile nanq; quadrare.

Ex ipſis actionibus hæc argumentatio ſumitur. Quorum nanq; actiones ſunt diuerſæ: & ipſæ quoq; res exiſtunt diuerſæ. Animæ quidem igitur actiones, quæ paſsibiles dicuntur: quas etiam paſsiones appellat: quæcunq; & corporis communes, vt ira, manſuetudo, cupiditas, odium, ſenſus, imaginatio: & quæ paſsionibus carent: quas opera vocat: quales contemplandi vim habentes ſcientiæ ſunt, & ſeparabilium intellectiones: difficile eſt, atq; adeo impoſsibile, quæcunq; corporea ſit harmonia, vt ei huiuſmodi actiones accommodentur. Quod nanq; viuax ſit, hæ omnes indicãt: & id, quod eſt, iuxta animal formam adipiſci: at non iuxta corporis conſtitutionem: licet cõpoſiti ſint. Diuerſa vero quædam ſubſtantia præter corpora vita eſt. Harmonia autem corporatam quandam diſpoſitionem refert, tum particularum, tum qualitatum corporatarum. Quæ licet viuentium corporum ſit: attamen vita non eſt.

QVINQVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero ſi dicamus harmoniam in duo intuẽtes: maxime proprie quidem magnitudinum, in habentibus motum, ac ſitum, compoſitionem eorum. Cum ita conueniant: ut nihil eiuſdem generis recipiant. Inde uero & eorũ quæ mixta ſunt rationem. Neutro quidem igitur modo, æquum.

EXPOSITIO.

Situs quidem ipſe continuarum, ac permanentium particularum mutua coordinatio eſt. Quapropter neq; numeri particulæ, quia continuæ non ſunt: neq; temporis, quia nõ permaneant: neq; orationis, propter iſtas ambas cauſas, ſitum habere dicuntur. Compoſitio vero plurimarum rerum eſt: quæ ſitum inter ſeſe habent: ita vt nihil eiuſdem generis medium incidat. Harmonia nanq;, ac compoſitio plura requirit, quæ poſita ſint, & ea inter ſeſe colligat. Quapropter tangi oportet, & exacte tangi, quæ proprie componi dicũtur. Ita, vt nihil quod eiuſdem generis ſit: aut inter vtrumq; ſi ſimilia ſint: aut inter vtrumuis: ſi diuerſorum generum exiſtant: medium cadere poſsit. Exempli gratia ſi ligna ſint, non lignum. Sin autem lignum, & lapis, neq; lignum, neq; lapis. Humidum nanq; aliquid, vt aerem, aut aquam, nequaquam admiratione dignum eſt, intercidere. Compoſitio autem hæc maxime proprie dicitur: quoniam vna cum ſitu, habet quod mutuum eſt. In eo quidem enim, quod eſt, maxime proprie quidem magnitudinum in habentibus motum, & ſitum: compoſitionem eorum non harmoniam in compoſitione maxime proprie dici, interpretari debemus: ſed in habentibus motum, & ſitum, compoſitionem maxime proprie habere. Naturales vero philoſophus magnitudines indicans, motum & ſitum eas habere dixit. Mathematicæ nanq; ſitum quidem habent: motum autem nequaquam. Inde autem & rationem eorum, quæ mixta ſunt, ex compoſitione inquam, quæ proprie dicta fuit: & mixtionem, atq; temperationem, quæ ſecundum rationem fit: compoſitionem communi quodam modo vocamus. Neque enim vinum miſcetur cum vino, ſed vinum cum aqua: ita vt ambo mutuo confundantur: neutrum q; purum, atq; ſyncerum permaneat. Haud tamen ita vt omnino pereant: aut dum alterum ab altero admodum ſuperatur: vt ſi vini cyathus in mare infundatur: aut ambo in diuerſam quãdam naturam ab aliquo alio mutentur: vt ſi ab igne, & aquam, & vinum in aerem redigantur. Quamobrem ſi mixtio eſſe debeat ex quadam commoderatione omnino erit: ea q; eorum, quæ miſcentur inter ſeſe, exiſtet. Ne dum alterum admodum excellit: alterum in ſuam naturam conuertat. Neque enim amplius erit mixtio. Quemadmodum in ea compoſitione contingit, quæ iuxta appoſitionem fit. Poteſt enim cum quoq; quod valde excellat, conuenire. Quando quæ ita compoſita ſunt, haud mutuo inter ſeſe patiuntur. Neutro quidem igitur modo æquum,

Situs quid?

Compoſitio quid?

neq; eam ſcilicet harmoniam,quæ iuxta appoſitionem fit,neq; eam,quæ iuxta mixtionẽ ipſam animam eſſe. Quoniam neutrum ex his,quod viuax ſit,indicat.

COMPOSITIO uero corporis partium,quamperitiſsima. Multæ nanq; compoſitiones partium ſunt,ac multipliciter.

Hoc eſt,perfacilis,vt confutetur. Quod ei euenit,quia magis perſpicuam habet abſurditatem. Mixtio nanq; in compoſitis corporibus ex ipſorum elementis omnibus fit. Licet non iuxta eãdem rationem in omnibus fiat. Quæ nanq; partes ſequitur, neq; ex eorum ſubiectis exiſtit. Sed aliquando quidem oſſium ad oſſa,aut ad carnes: aliquando autẽ neruorum,aut arteriarum,aut & diſſimilium partium,erga alias diſſimiles partes exiſtit: vt manus erga humerum. Neq; eadem omnino eſt compoſitio. Neq; enim eadem eſt oſſis, atq; carnis,& oſſis ad os,& carnis ad neruum. Multæ igitur in vno quoq; animali erũt animæ: cum multæ,atq; diuerſæ ſint cõpoſitæ partes: multisq; modis ipſæ cõpoſitiones fiãt.

CVIVSNAM igitur,aut quonam pacto exiſtimare oportet mentem compoſitionem eſſe,nunquid & ipſum ſenſibile,aut quod appetendi uim habet.

Duo abſurda poſitioni huic contingere inquit. Quorum alterum quia haud recte aſſignare queamus,horum aut illorum compoſitionem mentem eſſe: aut aliam quampiam animæ poteſtatem. Alterum vero,quia omnino philoſophus declarat, omnem modum ex corporis compoſitione prodeuntem,viuaces effingere ſubſtantias. Id quod particula illa,quonam pacto,manifeſtat.

QVINQVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

EODEM præterea modo abſurdum,& rationem mixtionis eſſe animam. Neq; enim eandem habet rationem mixtio elementorum,iuxta quam caro,& iuxta quam os. Continget itaq; multas animas habere,& iuxta omne corpus. Siquidem omnia ex elementis mixtis. Mixtionis autem ratio,harmonia,atq; anima.

EXPOSITIO.

Eodem modo eo,quatenus & plures ſint mixtionum rationes,& plures quoq; propter hanc cauſam in vnoquoq; animæ. Quia vero omnia ex iiſdem ſint elementis haud amplius eodem modo. Ibi quidem enim,quia haud ex iiſdem ſint partibus abſurdum erit. cõtinget igitur multas habere animas,& ſecũdum totum corpus. In vnaquaq; enim inſtrumentariarum partium,venæ,arteriæ,nerui,oſſa,carnes,membranæq; reperiuntur: quæ diuerſis mixtæ ſunt rationibus: ita,vt multæ quoq; ſint animæ dicendæ. Neq; in ipſo tantum toto,ſed & in vnaquaq; diſſimilium particularũ,iſta animarũ multitudo reperiatur.

QVINQVAGESIMANONA PARTICVLA.

PETERE autem id ſaltem aliquis ab Empedocle poſſet. Vnumquodque enim eorum in ratione aliqua eſſe inquit. Vtrum igitur ratio eſt anima: aut potius cum alterum quid ſit,innaſcitur membris. Præterea uero utrum amicitia forte fortuna euenientis cauſa mixtionis,aut eius,quæ ſecũdum rationem. & hæc utrum ratio eſt,aut præter rationem alterum quid.

SEXAGESIMA PARTICVLA.

HAEC quidem igitur habens huiuſmodi dubitationes. Sin autem eſt alterum anima a mixtione,quid ſane unquam una cum ipſo carni eſſe deſtruitur, & id aliis particulis animalis. Præterea uero,ſiquidem haud unaquæq; particularum animam habet: ſi non eſt anima ratio mixtionis: quidnam eſt,quod corrumpitur, anima deficiente.

Sexageſima

SEXAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur neq; harmoniam pote ſit, eſſe aimã, neq; circulariter circunferri, patet ex iis, quæ dicta ſunt. Secũdum accidens autem moueri, quemadmodum diximus, licet, & mouere ſeipſam. Vt moueri quidem in quo eſt: id autem moueri ab anima. Alia autem ratione, nequaquam pote eſt, ipſam ſecũdũ locũ moueri.

EXPOSITIO.

Empedocli quoq; notam noſter Ariſtoteles inurit: tanquam ei, qui non manifeſte diſtinxerit formam illam vitæ innaſcentem, ex ratione mixtionis elementorum ei ſubſtrata: neq; ipſam amicitiam explicarit: vtrum ſcilicet ſolius ſecundum rationem mixtionis, cauſa ſit, aut & cuiuſcunq;. Licet enim omnis mixtio ſecundum quandam rationem fiat: attamen & quod præter naturam exiſtit in ipſa multum reperitur: & quod ſecundum naturam ſe habet in quadam latitudine poſitum eſt. Ita, vt quamuis ipſam mixtionis rationẽ, amicitiæ ſubſtantiam ſtatuat, aut ipſius rationis cauſam: attamen alteram præter hanc ponat. Deinde vero iis dubitationem philoſophus proponit: qui animam harmoniam eſſe non concedunt: & vnam hanc. Quo ſcilicet pacto & vna ſublata mixtione, ea inquam, iuxta quam hæc caruncula ſit: & aliarum quoq; particularum mixtiones tollãtur: ex quibus ipſis particulis eſſe, tanquam animalis largiatur: ita, vt & anima ex neceſsitate recedat: cum id, quod recipiendi vim habet, nequaquam aptum redditum ſit. Hanc itaq; dubitationem adducit, aduerſus eos, qui haud vnam mixtionis arbitrantur eſſe rationem: ſed plures iuxta vnamquãq;. & adducit nos ad id, vt & plures ſimul rationes ponamus: quæ iuxta vnãquanq; ſimilarium partium differant: & vna quoq; ſit: quæ ex his totius animalis omnibus perficiatur: ita vt cum principaliores eius particulæ corrumpatur: & totum quoq; corrumpatur. Quod vero deinceps ſequitur, id ipſum confirmare vult, animam ſcilicet mixtionis eſſe rationem: quia quælibet particula animam habeat: & quia deficiente anima ipſa corrumpuntur inſtrumenta: tanquam rationes amittentia. Habet quidem igitur quælibet particularum animam: verum vnam, atq; eandem, quæ vnicuiq; adeſt. Et ſpectat quidem mixtionis ratio ad animæ præſentiam. Aptam nanq; eam naturam eſſe oportet, quæ recipere debeat. Verum ratio illa, nequaquam anima eſt. Quoniam autem ab anima, & in materia quoq; aptitudo eſt: cum illius ſpecies, atq; imago quædam ſit: iuxta quã mixtionis quoq; ratio procedit: iure itaq; anima deficiente, & ſpecies illa, & mixtionis ratio corrũpitur. Rationes igitur illæ, quæ hanc immobilem eſſe oſtendunt: & corpore quoq; carere, atq; impartibilem eſſe, confirmant. Rationes autem illæ quæ harmoniã confutare valent: nequaquam permittunt, tanquam aliquod accidentium: quod ſine corpore ſit, ipſam putare. Sed ceu ſubſtantiam: atq; adeo ceu principalem quandam ſubſtãtiam. Nam vim mouendi habere ponunt: & tanquam vnum vbiq; in corpore exiſtentem colunt: & tanq; eam, quæ ipſius complectendi vim habeat: atq; in cauſa ſit illius aptitudinis ad vitam.

SEXAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

AEQVIVS autem dubitaret aliquis de ea, ceu quæ moueatur, in ea, quæ huiuſmodi intuens. Dicimus enim animam dolore, lætari, confidere, timere. Præterea uero iraſci, & ſentire, & cogitare. Hæc autem omnia, motus eſſe uidentur. Vnde arbitrari aliquis potuiſſet, ipſam moueri.

SEXAGESIMATERTIA PARTICVLA.

ID AVTEM non eſt neceſſarium.

EXPOSITIO.

Quandoquidem incorporea anima eſt: & ceu ſubſtantia incorporea, diſtinguit ex iis philoſophus, quæ propoſita ſunt: animam eam, quæ viuentis corporis effingendi facultatem obtinet: ex qua viuens eſt: atq; viuaciter mouetur: & eam, quæ tanquam mouens, atq; inſtrumento viuente ponitur vtens. Atq; hinc eam duplicem conſpicere fas eſt. Nam altera ex eo tantum perficitur: quod corporum mouendorum vim habet: quæ aliã quoq;

præter corporum vſum haud habet actionem. Altera vero ceu ex ſeipſa agit: & tunc omnino a corpore ſeparatur. Aequa itaq; hæc de ea, ceu quæ moueatur dubitatio in eam intuetur animam: quæ corporis viuentis determinandi poteſtatem ſecum ducit. Nanq; hæc cum actus tanquam eius, quod viuaciter moueatur, ſit: eius quoq; paſſiones, quod ex ipſa determinatur, recipere videri poſſet. Rurſum vero nobis in memoriam reuocandum, quod alius quidem illius corporis motus eſt: quod naturaliter tantũ mouetur: vt ſurſum ignis latio: alius vero eius, quod tanquam animatum: vt accretio, & ambulatio, & volatio: ac quoniam horum motuum vterq; diuiſibilis eſt: propter hanc quoq; cauſam ſubſtantiæ diuiſibilis exiſtit. Huiuſmodi autem eſt, quæ forma affecta eſt: nõ autem formalis eſt. Quapropter quemadmodum in ſexto eius tractationis, quæ poſt naturalia traditur, naturalem formam immobilem eſſe demonſtrat: cum tamen eius, quod mouetur, determinãdi vim habeat: eodem quoq; modo hic, & eam animam, quæ quod viuaciter mouetur, effingendi facultatem habet. At cum duplices exiſtant viuentis actiones: ex quibus alteræ quod corporeum potius eſt, indicant: alteræ vero quod viuax: accretionis quidem, atque ambulationis, quod corporis formam obtinet in cauſa eſt: ſenſuum vero, atq; voluptatũ, atq; aliarum huiuſmodi rerum, quod viuax. Vnde & priores illæ omnium conceſſione dicuntur motus: poſteriores autem hæ motus eſſe videntur. Pati nanq; & ipſum quoq; inſtrumentum aliquid oportet, corpus exiſtens. Motus vero corporis paſſio eſt. Verũ quandoquidem viuens corpus eſt: non ſimpliciter patitur: ſed non ſine viuaci actione. Quæ vero quod viuax potius indicant: actiones quoq; potius, q̃ motus, dicẽdæ ſunt. Quare & moueri quoq; dixit: & rurſum ex poſitione.

SI ENIM & quam maxime ipſum dolere, aut lætari, aut cogitare motus ſunt: & unumquodq; moueri horum.

Quandoquidem humanum animal rationis particeps eſt: & ea quoq; anima, quæ inſtrumenti determinandi vim habet, cogitandi facultatem obtinebit. neq; vita tantum mouendi vim retinens, huiuſmodi erit. Neq; ipſum dolere, aut lætari ſolum: ſed & ipſum cogitare motus erit, aut moueri. Vtrunq; enim de iis dictum fuit. Alterum quidem ſi ipſam actionem non ſine paſſione, vt ipſum lætari, & cogitare intelligamus: alterum vero ſi participationem illã, quæ ſecundũ actionẽ fit. Quẽadmodũ enim ab albedine ipſum albedine affectũ eſſe: ita & a motu ipſum moueri: & omnino ipſum agere ab actione, diuerſum eſt.

Moueri qd?
Motus qd?

IPSVM autem moueri, eſt ab anima.

Quæ quidem antea dicta fuere, vitam eam indicabant: quæ inſtrumenti, quod viuens corpus, erat, tanquam huiuſmodi effingendi vim habebat. Quod ex actionibus ei conuenientibus fiebat: quæ quidem actiones vna cum corporeis motibus colligatæ erãt: & propter hanc quoq; cauſam motus quidam eſſe videbantur: & quadam quoq; ratione erant. Hinc aũt ad eam aſcendit vitam, quæ ipſo utitur inſtrumento. Quia oẽ quod mouetur ab aliquo mouetur. Ipſum uero iucunde, aut cogitabunde moueri ab anima eſſe, haud ab ea dicendum eſt, iuxta quam mouetur: ſed ab ea, quæ determinat: atq; ex eius actione. Ipſum nanq; mouere illius proprium eſt: & haud cum ipſo moueri implexum. Sed tanquã cauſa, quæ efficiendi uim habeat, adeſt. Diſtincta autem fuit huiuſmodi uita ab ea quæ antea: quatenus ipſum a quo, ab eo diſtinctum ſecundum quod. & quatenus quod pure agit ab eo diſtinctũ, quod cõplexe cum corporeis motibus. Quæ ſane cũ & deinceps oppoſuerit: perſpicue diuerſitatẽ illius animæ, proponit, iuxta quam motus fiunt: & eius a qua.

EXEMPLI gratia, ipſum iraſci, aut timere: quia cor ſic moueatur. Ipſum autem cogitare, aut huiuſmodi. Forſan autem alterum quid. Horum autem contingunt, alia quidem ſecundum lationem, quibuſdam motis. Alia uero ſecundum alterationem. Qualia uero, & quonam pacto, alius eſt ſermo.

Animalis nanq; hæc ſunt. Quando uiuaces actiones non ſine corporeo motu fiũt, aut

lationis,

lationis, aut alterationis. Vt in ira, ſaliente corde euenit. At in timore, refrigerationem indicat. In ipſo vero cogitare, ariditatem interdum quandam ſignificat.

SEXAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

ILLVD autem dicere, iraſci animam, ſimile ac ſi aliquis diceret, animam texere, aut ædificare. Melius nanq; forſan, haud dicere animam miſereri, aut diſcere, aut cogitare: ſed hominem anima.

EXPOSITIO.

Quandoquidem ipſum iraſci, & diſcere, & cogitare, quantum ad animal pertinet, moueri quodam pacto ſunt: ideo haud ad animã, ſed ad animal ſpectare, dicenda ſunt. Quẽadmodum neq; ipſum texere, aut ambulare. Nanq; hæc quoq; ad vtrunq; attinent. Licet hæc quoq; magis ipſam corporis formam repræſentent, q̃ ipſum iraſci. Sed hominem anima, ſcilicet hæc agere dicendum eſt: atq; anima ea, quæ inſtrumenti determinãdi vim habet. Ita, vt ex ea iraſcatur, atq; cogitet, & oĩno viuaciter moueatur. Anima vero ea quæ mouendi vim habeat, ita, vt ab ea moueatur. Videtur autem anima, dixiſſe, haud ea, quæ inſtrumenti formandi vim habeat: ſed ea, quæ mouendi: quam potius quoque animam appellat. Alteram nanq; aut animæ ſimulachrum nominat, aut non ſine anima. Quod & hæc inferens, indicat.

ID AVTEM, haud tanquam in illa motu exiſtente: ſed aliquando quidem uſq; ad eam: aliquando autem ab ea. ut ſenſus quidem ab his. Recordatio autem ab illa, ad motus qui in ſenſoriis, aut manſiones.

SEXAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

MENS uero uidetur adeſſe, cum ſubſtantia quædam ſit, & non corrumpi.

EXPOSITIO.

Ex his manifeſtius diſtinguit animam mouendi habentem a vita ea, quæ inſtrumenti effingendi facultatem habet. Hæc enim licet haud ipſa moueatur: attamen in ea, quadam ratione motus reperitur: quia ex ea, quod mouetur, determinatur. In ipſa vero anima mouente, nequaquam: quippe cum prope impartibilem quandam actionem permaneat: & non diuiſibilem. Siue ipſum moueat inſtrumentum: ſiue cum animal extrinſecus motũ fuerit, actionem quandam proiicit: quæ id quod mouerit, iudicare ualet: cum tamen ipſa prope eius formam ſit. Aliquando quidem enim inquit, vſq; ad eam motus. Haud tamen quia, & in illa quoq; motus exiſtat. Id nanq; negauit. Sed quia ſcilicet cũ in ſenſorio a ſenſibili fiat motus in puram eius iudicandi vim habentem ceſſat actionem. Recordatio vero ab illa, ad motus, qui in ſenſoriis ſunt, vel manſiones. Quando quæ a ſeipſa mouet ex recordatione excitata mouet, aut quieſcere facit ipſum animali. Quod ſenſorium appellauit. Ac ſi ſane diuerſum ipſum a quo, & ipſum ad quod: diuerſa quoque ea anima eſt, in quam deſinit ſenſus: & a qua incipit recordatio propter ipſum viuens corpus. Neq; enim ceu corporis ſimpliciter ſenſus ipſe eſt: ſed ceu viuentis. Neq; tanquam corporis exiſtit ille ſenſorii motus, aut manſio. Vna vero cum corpore & ea quoq; vita comprehenſa fuit: quæ ipſius corporis effingendi vim habet. Neq; ab ipſo viuente ad hanc relatio fit: neque ab hac ad ipſum animal. Neq; enim propriam vltra corpus habet actionem: neq; iudicandi vim habentem puram: neq; incipiendi vim habentem: quippe cum ea ſit: quæ quod incipit determinare valet: & vim eam iudicandi non ſine perturbatione propter corpus habeat. Oportet autem & ſenſum prope puram perſiſtere actionem: atq; iuxta terminũ eũ: qui formam rei, quæ ſentiri poſſit nanciſcatur. Hæc quidem igitur vita, quæ eius animæ mouentis effingendæ vim habet: cuius reſpectu, quod mouetur, ceu viuaciter mouetur: non ſolum hominibus: ſed omnibus quoq; animalibus conuenit. Humana uero anima, quam mentem appellat, actionis mouẽdæ facultatem habet. Adeſſe quidem igitur ipſam corpori ſcilicet inquit: ſed aliquando, & tanquam ſeparabilem. Quod aliunde quoq; accedentem dixit: & ſubſtantiam quandam eſſe enunciat. Non quia aliæ quoque animæ ſub-

ſtantiæ non ſint: omnis nanq; vita ſubſtantia eſt: ſed hanc tanquam ſine materia eſſe duxit: ac ex ſeipſa permanere. Illa vero particula quædam adiuncta fuit: quo eam indicet demiſſionem eius: qua vtitur erga has: quæ ſemper in ſeipſis permanent. Ita enim ex ſe, ſine corpore, atq; ſine materia eſt: vt aliquãdo etiam corpori adſit: & ad materiam accedat: neq; tamen iccirco corrumpatur.

MAXIME enim corrumperetur ab hebetudine, quæ in ſenectute. Nunc autem, quemadmodum in ſenſoriis euenit. Si enim acciperet ſenex oculum talem: intueretur quemadmodum iuuenis. Quare ſenectus: haud quia anima paſſa ſit aliquid: ſed in quo. quemadmodum in ebrietatibus, & ægritudinibus.

SEXAGESIMASEXTA PARTICVLA.

ET IPSVM ſane intelligere, & ipſum ſpeculari tabeſcit: cum aliud aliquid intus corrumpatur. Ipſum autem impaſsibile eſt.

EXPOSITIO.

Quod quidem ex priuatione interitus fiat: ipſe in primo naturalis auditionis docet. Forma vero nequaquam illam priuationem recipere poteſt: cuius ea eſt priuatio. Nihil nãq; ſuum oppoſitum recipere valet: neq; quod innate formam participat. Quemadmodum neq; ignis frigiditatẽ: quia cõtrarii innate particeps eſt. Quia oẽ quod corrũpitur: eam ob cauſam corrũpitur: quia id tolerat: quod aduẽtitie recipitur. Id nanq; contrariorũ recipiendorũ facultatẽ habere, eſt. Aia igitur, quæ ex ſeipſa ſubſiſtit: neq; in eo, quod aduentitie viuit, ſuũ habet eſſe: oino incorruptibilis eſt. Quapropter ei, qd' ſeparabile ipſius animæ eſt, noſter Ariſtoteles innixus: quod rationis particeps eſt: & in tertio libro, & in his quoq;, incorruptibile eſſe, clariſsima voce indicat. Vita itaq; ea, quæ inſtrumenti effingendi facultatem habet: & quæ tota in vſu ipſius inſtrumenti perficitur: nequaquam ſine eo permanere, ac ſubſiſtere poterit. Ita, vt ſi corruptibile illud ſit: corruptibilem quoq; huiuſmodi vitã enuntiare liceat. Niſi illud iam dicere velis: quod incorruptibilis alicuius vehiculi, aut effingendi, aut mouendi vim habeat. Quæ vero & ſeparabiles habet actiones: quam mentem appellare Ariſtoteles conſueuit: vt nauta a naui: non quatenus nauta: ſed quatenus homo ſeparatur: ita & huiuſmodi anima ſeiuncta ab inſtrumento ſubſiſtet. Sunt autem animæ rationem participantis ſeparabiles actiones: quæ ad eam ipſam conuerti poſſunt: quæque præſtantiorum contemplandorum vim obtinent: quæq; eius proprium percipere valent: quibuſq; omnem formam cognoſcere datum eſt: & quæ in id, quod impartibile multas contrahunt proprietates. Ariſtoteles autem hoc in loco, quaſi certis indiciis, atq; notis confirmat quod ſeparabile ipſius actionis rationem participantis: ex eo, quod ipſa oppoſito, alioq; modo, atq; corpus ipſum vigeat. Viget enim ratio hæc, cum iam corpus vt viuens ſeneſcat: quod ei profecto in ſenectute euenit. Tunc enim cum iam hebeſcat corpus: & viuaces facultates, quæ ipſo vtuntur, imbecillius agant: propter inſtrumenti ſcilicet debilitatem: vt quæ ſentiendi, atq; appetendi vim obtinent: validior rationis particeps efficitur vis: quippe quæ neq; vna cum corpore fiat: neq; corrumpatur. Eo nanq; vigente haud ſimul vigebat: neq; ſeneſcente, vna tebeſcebat. At quod ſimul fit, atq; corrumpitur, ſimul quoq; creſcere, atq; ſimul perire neceſſe eſt. Vnde illud quoq; colligitur, quod illud quod ſimul neq; creſcit, neq; perit, atq; delabitur: neq; ſimul fit, neq; ſimul corrumpitur. Haud tamen econtrario, ſiquid actiones, aut ſimul vigentes, aut ſimul pereuntes cum inſtrumento habeat: iam omnino ſimul cum eo corpore naſcitur, aut corrumpitur. Interdum nanq; non quia ipſum aliquid patiatur: ſed quia inſtrumentum: ipſa quoq; actio, quæ per id fit, creſcit, aut hebes fit. Quod & ipſe volens, indicat. Quoniam nequaquam ſi vnquam ipſum contemplari, in ægritudinibus, aut ebrietatibus tabeſcat: iam & mentem pari neceſſarium eſt. Neq; enim ſenſus, qui ſecundum actum exiſtit, tabeſcit: quia anima, quæ ſentiẽdi vim habet, quicpiam patiatur: ſed quia inſtrumentum, quod ei ſubiectum eſt patitur. Si itaque ſumeret ſenex oculum intueretur quemadmodum iuuenis. Hoc itaq; pacto & ipſum intelligere in affectionibus præter naturam impeditur: cum aliud aliquid intus corrumpatur.

tur. Ipſum vero impaſsibile eſt, intelligens ſcilicet. Ob quam itaq; cauſam, ſenſus quidem in ſenectute iuxta actiones impeditur: intellectio autem minime. Quandoquidem vt & ip ſe progrediens dicet: ſenſus quidem vtitur corpore, tanquam inſtrumento. Quapropter & a vehementioribus ſenſibilibus hebetatur: ita vt minora poſtea comprehendere non valeat. Contemplatio vero, quæ rationis particeps eſt, corpore non vtitur. Licet propter coordinationem, quam cum ipſo ſeruat, conſequens habeat: atque quadam ratione ſimul affectum: vt & corpus in lumine exiſtens, vmbram habet. Contra vero ex maiorum contemplatione, erga eam, quæ minorum ſit, hæc confirmatur. At ſi non vtitur, quo omnino pacto, cum aliud aliquid intus corrumpatur, aut ſpiritus ſcilicet, aut temperatio, tabeſcit ipſum intelligere? Propter reſpectum ſcilicet, ad ipſum: & coordinationem illam, atque in quibuſdam actionibus vſum: licet non in iis, quæ contemplandi vim habent. Quemadmodum & gubernator a ventis, & fluctibus impeditur, non ſolum quatenus ad ſolum nauis pertinet uſum: ſed & quatenus ad eas ſpectat actiones: quæ a naui ſeparabiles exiſtunt: cum propter perturbationem, ne illas quidem exercere queat. Hac eademque ratione, ſiquis acum diſiungat a manu: cum ea ad ſuendum manus utatur: non autem ad aliquid effingendum: cum nullo ad id indigeat inſtrumento. Verum ſi magnitudinem ſecundum naturam, atque conuenientem acus habeat grauitatem, nihil ad huius uſum, neque ad aliquid effingendum, manus impeditur. Quod ſi ea grauitatem multam aſſumpſerit: non ſolum facultati illi, quæ conſuere ualet: ſed & ei, quæ effingere, impedimentum affertur. Hoc igitur modo, & anima quæ rationis particeps exiſtit, in agentibus quidem cognitionibus corpore utitur: non autem in iis, quæ contemplandi uim habent. Quæ cum illud ingraueſcit: atque præter naturam afficitur, iam perturbata impeditur: donec cum eo conſtituatur: atque omnino extra uergat. At in ſenectute nequaquam: quia non perturbatur in iniuriis, atq; detrimentis corporis: quæ ſecundum naturam exiſtunt.

Dubitatio.

Reſponſum

Dubitatio.

Reſponſum

IPSVM uero cogitare, & amare, aut odiſſe, non ſunt eius paſsiones. Sed huius habentis illud, quatenus illud habet. Quapropter & cum id corrumpatur, neq; recordatur, neq; amat. Neq; enim illius erant, ſed communis, quod periit. Intellectus uero forſan diuinius quid, atq; impaſsibile eſt.

Quandoquidem cogitationem, quæ cognitio quædam rationis particeps eſt: in paſsionibus eius, quod commune eſt, collocauit: nunc autem mentem impaſsibilem ponit, atque adeſſe uult: rationiſq; particeps cognitio, & ipſa quoque mens eſt: determinat: quemadmodum ipſe cogitationem appellat vitam eam: quæ animalis rationem participantis effingendi vim habet: atq; ipſum cogitare actio huiuſce animalis non ſine paſsione eſt: cuius & ipſum quoque amare, atq; odiſſe eſt. Mentem autem appellat ipſam animam rationem participantem: quæ aut vtitur compoſito, tanquam inſtrumento: qualis agens, ſeu practica mens eſt: aut ceu ſecundum ſeipſam agit, vt quæ contemplandi vim habet. Eademq; vtrunque agens, ceu impaſsibilis, atque diuini aliquid habens, celebratur. Tum quia in corpora principatum obtinent: tum quia eam habet vim, vt in ſeipſam conuertatur: tumq; quia nuſquam aliquando vergat: tumq; quia cum iis coniungatur, quæ præſtantiora, atq; meliora ſunt.

QVOD quidem igitur haud pote eſt moueri animam, manifeſtum ex his. Sin autem omnino non mouetur, patet, quod neq; a ſeipſa.

Quoniam diuiſibiles, atq; continuos, atq; vt ita dicam, hos ſolos ei viſum eſt, eſſe motus dicendos: a quibus anima rationis particeps maxime ſeiuncta eſt.

SEXAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

MVLTO autem magis, q̃ ea, quæ dicta ſunt, ratione caret, dicere numerum eſſe animam mouentem ſeipſum. Inſunt nanq; iis impoſsibilia.

EXPOSITIO.

Quod quidem animæ definitio, quæ a Xenocrate allata fuit, corrigatur: ne ex vſitato vocabulorum vſu, rem accipiamus, patet. At noſtro ſane Ariſtoteli ratio quædam propoſita eſt: quæ cum ipſa conuenit re. Nanque animatam ſubſtantiam diuiſionem omnem ſuperare, ſibi demonſtrandum ſumit. Neque eam tantum diuiſionem ſuperare, quæ cum continuitate eſt. Id nanque iam demonſtratum fuit: cum eam corporeis motibus immobilem philoſophus demonſtrauit: & prope terminos ſemper progredi: neque partibus partes, aut totum cognoſcere. Ex quibus non modo corpus ipſam non eſſe: ſed neq; aliam præterea vllam habere magnitudinem præ ſe ferebat. Verum quando, qui vſitate dicitur numerus: quique ex vnitatibus tantum conſtat, vt mathematicus: quique ex corporibus indiuiſibilibus: aut actu ſolum, aut & poteſtate, & actu: quemadmodum qui Democritum ſequebantur, ponebant: aut omnino ſitu inter ſe ſeiunctus, diuiſibilis eſt: ipſumque in diuiſione contemplamur: & quæ ipſum perficiunt, atque complent in partes, atque eas anguſtas, redacta poſſidet: ex iis, quæ aduerſus Xenocratem Ariſtoteles ſcribit, neque partibilem animam eſſe demonſtrat: neque ceu numerus: neque ceu vnitates, aut puncta ſunt: ex quibus ceu indiuiſibilibus numerus conſtituitur. Numerus nanque, qui ex corporibus quibuſdam compoſitus ſit, iam omnium conceſſu, animæ non conuenit. Quandoquidem nullam habet magnitudinem. Xenocrates itaque qui & ipſe quoque formas numeri vocabulo honeſtauit: & omnem formam impartibilem eſſe nouit: quod vero mouetur partibile: & omnino poſt formas, animæ medietatem ex ambobus extremis indicare voluit: cum numerum ipſam, qui moueatur, dixerit: haud ita locutus eſt, vt eam ſimpliciter formam eſſe intellexerit: ſed totum id, formam quæ in diuiſionem ſubingreſſa eſſet: ita, vt neq; perfecte diuiſa ſit: neque omnino forma permanſerit. Quia remittat quadam ratione, atque diſſoluat impartibilem illam coniunctionem: dum media facta fuit. Propter hanc q; cauſam haud numerum illum ſimpliciter moueri dixit: ſed ſeipſum mouentem. Quod ob id fecit, quo ſcilicet & quod medietatis proprium eſt, indicet: quæ remiſſa quidem ſit, atque paululum deſcenderit: id quod motus ſignificat: verum nequaquam adeo, vt ab eo, quod antea erat, diuulſa ſit. Ariſtoteles vero, qui numerum partibilem eſſe multitudinem interpretatur: & motum eum, qui non ſine continuitate progreditur: neceſſario vtrunque ab anima remouet: cum propter ſuam illam medietatem omnem ſuperet partitionem.

PRIMA quidem, quæ ex ipſo moueri contingunt: propria uero ex eo, quod dicat ipſam numerum.

Dupliciter inſtat: tum quia numerum omnino animam dicit: tum quia numero, qui ex vnitatibus, aut punctis compoſitus ſit, motus connecti non queat.

QVO enim pacto oportet cognoſcere unitatem, quæ moueatur, & a quonam: & quonam pacto eam, quæ impartibilis, atq; indifferens ſit. Si nanque habet uim mouendi, & mobilis quoq; eſt, differre oportet.

Diuiſibile nanque eſt, quod diuiſibiliter agit. Indiuiſibilis autem ipſa vnitas. Et a quonam, & quonam pacto. Neque enim a ſeipſa. Quandoquidem diuerſa eſt proprietas, quæ mouendi vim habet, ab eo, quod mouetur. Mathematica vero vnitas neque harum alteram indicat, neque ambas. Haberet enim & erga ſeipſam diſcrimen: nanque ſimul mouendi vim obtineret: atque mobilis eſſet. Simplex autem anguſte omnis vnitas eſt. Neque ab altera. Aut enim intrinſecus, & animata erit. Nulla autem vnitas viuaciter agit. Aut extrinſecus: & aut impulſione, aut tractione. Quod autem impartibile, neutrum valet. Illud vero ſecundum quonam pacto, quia a quonam conſtitutum. Quod eam habet vim, vt indicet id, quod ſcilicet neque tanquam animatum: neq; ita, vt aliunde moueatur.

Sexageſima

SEXAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

PRAETEREA uero, quoniam inquiunt, motam lineam, planum facere: punctum autem lineam: & unitatum motus lineæ erunt. Punctum nanq; unitas est, situ habens. Numerus igitur animæ iam alicubi est, & situm habet.

EXPOSITIO.

Hæc quoq; ratio ad idem spectat: quæ nequaquam concedit numero vnitatis, motum conuenire. Quod si quidem conuenit, ei potius conueniet, qui ex punctis constat: cum ex quorundam sententia puncti fluxus linea sit. At quando nonnulli punctum definiunt, vnitatem situm habentem: moueri ille quoq; numerus posset, qui ex vnitatibus constat: si illæ situm adsumant. Adsumunt autem in participatione illa animæ cum corpore: siquidem huiusmodi numerus anima est. Iam enim alicubi est: situmq; in animato corpore habet. Verum absurdum his quoq; concessis est: lineam esse animæ motum. Linea nanque puncti fluxio est.

PRAETEREA uero a numero quidem, si adimat aliquis numerum, aut unitatem, relinquitur alius numerus. Plantæ uero, & ex animalibus multa, cum diuidantur uiuunt: & uidentur eandem animam habere specie.

Hæc sane ratio per se refellit numerum esse animam: & non amplius vt id, quod mouetur. Numerus nanque & diuiditur in diuersos specie numeros, & in diuisione minuitur. Anima vero, vel in ipsius animati partitione indiuisibilis permanet. Ac licet interdum quidem numero multiplex reddatur: attamen forma inuariabilis existit. Vt in plantis liquido apparet: in quibus qui abscisi sunt ramuli, eandem habent animam. Quæ haud sane vna numero diuersis adest: neq; in tota reperitur planta: cũ multæ earundem, consimiliumve formarum insint, alia quidem in alia particula. Quod nanq; vnum est, vna quoq; viuum redditur anima. Vnde itaq; illa in ramulo anima adest? extrinsecusne dicam? Vnde omnino animatis accedit? siue tunc fiat: siue antea quoq; extiterit? ita vt confestim inciso adsit ramulo: ceu iam perfectam accipiendi habeat aptitudinem. At propter naturalis vitæ tenuitatem, haud multa opus est naturæ opera: quæ illam subiecti aptitudinem præparet. Hac eademq; ratione & animalia quædam ex putrefactione fiunt: quæ contenta sunt sola effectione ex totis. Quoniam quæ perfectiora sunt, & magis particulares efficientes requirunt causas. At quonam pacto sane vel animalibus quibusdam diuisis, vtraque partium viuit? Alteram quidem enim partium viuere, in qua scilicet illæ remanent particulæ, quæ principatum obtinent, nequaquam admiratione dignum est: cum eadem in hac remaneat anima. Alteram vero partem quonam pacto viuere, dicendum est? Neq; enim ea, a qua semel seiuncta est: neq; altera anima effici animal valet: cum particulas illas, quibus ipsam recipiet animam, quæq; magis propriæ sunt, non adsumpserit. Quapropter neque diu permanet: sed quodam pacto, ac quadamtenus. Neq; enim vitæ imaginem illam solum afferre satis est. Quandoquidem quo moueatur, atq; sentiat, perfecta opus est præsentia, tam animæ illius, quæ mouendi, q̃ quæ iudicandi facultatem habeat. Nunquid igitur vel separatis quoq; partibus eandem nihil prohibet animam adesse: donec ambæ eandem ad illam indiuisibilem animæ vitam, seruent aptitudinem?

Dubitatio. Responsum Dubitatio. Responsum

SEXAGESIMANONA PARTICVLA.

VIDERETVR autẽ nihil differre, unitates dicere, aut corpuscula parua. Nanque ex Democriti sphærulis, si fiant pũcta, sola autem maneat quantitas, erit aliquid in ea. Alterum quidem mouens: Alterum uero quod mouetur. Quemadmodum in magnitudine. Neq; enim quia magnitudine differat, aut paruitate id euenit, quod dictum fuit: sed quia quantum.

EXPOSITIO.

Quod quidem nunc inducitur abſurdum aduerſus eos, qui tanquam ex vnitatibus animam numerum eſſe ſtatuunt, eſt: quod ex neceſsitate, alias quidem ex vnitatibus vim mouendi habere: alias vero moueri, eis dicendum eſt. Quoniam ſi vnaquæq; ſufficiens eſt, vt ipſa ſeipſam moueat, quid opus eſt multitudine? At non vnaquæque vnitas anima eſt. Sin autem numerus exiſtit, aliæ quidem vnitates mouendi vim habebunt: aliæ autem mouebuntur. Quod ſi ita ſeſe res habebit, diuerſæ ſecundum ſpeciem inter ſe erunt vnitates: punctumque differet a puncto. Vnitates nanque, quæ ſitum iam in corpore habent, puncta exiſtunt. At Ariſtoteles commune id abſurdum faciens & aduerſus Democriti de anima opinionem: ceu & ei quoque contingat: antea diuerſitatem opinionum Democriti, atque Xenocratis, ex eo, quod multitudinem quandam ipſam eſſe dicant: nobis in memoriam adducit. Quo, quemadmodum dictum fuit, ambobus vna id obiiciatur abſurdum. Licet enim ex corpuſculis quibuſdam numerum Democritus conſtituat: attamen ex indiuiſibilibus propter denſitatem, & ex indifferentibus ſecundum ſpeciem, ſubiectamq; naturam. Numerus itaque anima ex vtri uſque ſententia eſt: tametſi ex indiuiſibilibus, atq; indifferentibus. Nulla nanque differentia erit, quo ad id, quod eſt numerum eſſe: quod corpuſcula quidem pondus habeant: id quod ipſe magnitudinem appellauit: vnitates vero impartibiles exiſtant: quas etiam paruas ob hanc cauſam dixit. Illud nanque ſatis ſuperq; eſt: quod quantum ſecundum multitudinem vterq; dicat: quo alia quidem ex his mouendi vim haberet: alia vero huiuſmodi eſſe, vt moueantur, ipſis ex neceſsitate fatendum ſit. Cum itaq; dicat, ſolum autem manet ipſum quantum, & deinceps, ſed quia quantum, determinatum intelligit quantum.

QVAPROPTER neceſſarium eſſe aliquid quod moueat unitates. Sin autem in animali, ipſum mouens anima, & in numero. Quare non quod mouet, & quod mouetur anima: ſed mouens ſolum.

SEPTVAGESIMA PARTICVLA.

CONTINGIT autem ſane quodam pacto unitatem hanc eſſe. Oportet enim & adeſſe eius diſcrimen ad alias. Puncti autem, quod ex unitate, quodnam eſſe poterit diſcrimen, præterquam ſitus?

EXPOSITIO.

Aliud aliquid ſcilicet eſſe oportet præter eas, quæ mouentur. Quãdo & quælibet vnitas, & quælibet ex Democriti ſphærulis, anima erit. Inquit autem non contingere vnitatem eſſe eam, quæ mouet. Diſcrimen nanque aliquod ſeruaret cum iis, quæ mouentur. Nulli autem vnitati erga vnitatem adeſt differentia. Quemadmodum neq; ſphærulis illis inter ſe: ex quibus ſecundum Democritum anima conſtituitur. Quod itaq; ſecundum ſubſtãtiam poterit eſſe diſcrimen, præterquam ſitus? Vnitates vero ex quibus anima, numerus efficiebatur, puncta nunc vocat: tanquam ea, quæ ſitum præterea ſumpſerint. Propter præſentiam ſcilicet eius in corpore. Puncta vero non ſpecie: ſed ſolo ſitu: quia hoc, aut illo modo collocata ſint, differunt.

SIQVIDEM igitur ſunt diuerſæ, quæ in corpore unitates, aut puncta: in ipſo erunt unitates. obtinebit nanq; locũ puncti. At quid prohibebit in ipſo eſſe, ſi duas, & infinitas? Quorum nanq; locus indiuiſibilis, & ipſa.

SEPTVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

SIN autem puncta, quæ in corpore ſunt, numerus animæ: uel ſi numerus, qui ex punctis quæ in corpore, anima eſt: propter quid non omnia animam habent corpora. Puncta nanq; in omnibus uidentur eſſe, & infinita. Præterea uero, quonam pacto poteſt ſeparari animas, & diſſolui a corporibus: ſiquidem non diuiduntur lineæ in puncta?

Expoſitio.

EXPOSITIO.

Quandoquidem omnis magnitudo puncta habere videtur: & licet non actu, at potestate, & propter id, & ipsum quoq; corpus: interrogat, vtrum diuersæ animæ vnitates sint a corporeis punctis: cum situm assumpserint, aut eædem. Siquidem igitur diuersæ, corporis puncti sedem obtinebit ipsum animæ punctum. Nam cum impartibile sit, in impartibili collocabitur. Et primo non iuxta suiipsius magnitudinem, neque iuxta continuitatem corpus erit animatum: sed iuxta sola puncta. Neq; enim componitur continuum ex punctis. At id nunc ipse absurdum non posuit: quoniam haud proprie instat aduersus positionem animatorum punctorum, præter corporata puncta: sed aduersus eam, quæ animam omnino numerum ex punctis esse statuit. Alterum q; infert. Quid prohibet, si duo in eodem sunt puncta: quin & plura sint? Ita, vt omnia animata in vno sint corporato. Idq; communiori quodam vocabulo, locum vocauit: tanquam id, quod eorum recipiendorum vim habeat. Hoc autem pacto continget, corporeum tantum punctum animatum esse. Quod si non diuersa, sed eadem sint animata puncta, cum iis, quæ corporis existunt: ita vt puncta in corpore existentia, animæ numerus sint: aut vt melius loquamur: numerum punctorum in corpore, dicamus esse animam: omnia iam corpora erunt animata. Siquidem in omnibus puncta reperiuntur. Illa vero particula, & infinita, adiecta fuit: & aliud quoddam indicat absurdum, quod positionem hanc sequitur. Neque enim actu, sed potestate in corpore ista reperiuntur: siquidem puncta sunt. Infinita nanque, quæ potestate. Quapropter ne numerus quidem dicendus est: quæ ex eis componitur multitudo. Numerus nanque omnis finitus est. At vltra id, q animam potestate, non autem actu, in animatis ipsis fingat: & aliud quoque infert absurdum. Inseparabilem scilicet a corpore hac ratione animam fore: ceu neque verum id sit: neque ipsis placeat, qui hæc dicunt. Siquidem non diuiduntur ipsæ lineæ in puncta. Hoc enim solo modo separarentur animæ, si ipsa quidem corpora in superficies, hæ vero in lineas, lineæq; in puncta diuidantur. Erunt enim nequaquam adhuc cum continuitate. Fieri autem huiusmodi diuisiones minime possunt. Quoniam non partes, sed extrema sunt, puncta linearum, lineæ superficierum, & superficies corporum.

SEPTVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

CONTINGIT autem, quemadmodum dicebamus: partim quidem idem dicere, cum iis, qui corpus quoddam tenue ipsam ponunt: partim uero quemadmodum Democritus moueri inquit, ab anima, proprium absurdum. Siquidem enim est anima in omni eo, quod sentit: necessarium in ipso duo esse corpora: si corpus ali quod anima. iis uero qui numerum dicunt in uno puncto, multa puncta. aut omne corpus animam habere. Nisi differens aliquis numerus adsit: & alius aliquis existentibus in corpore punctis.

SEPTVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

CONTINGITQVE moueri animal, a numero: quemadmodum & Democritum dicebamus id mouere. Quid enim differt sphæras dicere paruas, aut unitates magnas, aut omnino unitates, quæ ferantur? Vtroq; enim modo necessarium mouere ipsum animal: quia moueantur ipsæ.

SEPTVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

CONNECTENTIBVS sane in idem, motum, & numerum, hæcq; contingunt, & multa alia huiusmodi. Non enim solum definitionem animæ impossibile, huiusmodi esse: uerum & accidēs. Patet autem, siquis aggrederetur ex ratione hac, passiones, atq; opera animæ assignare, ut ratiocinationes, sensus, uoluptates, dolores, quæq; alia huiusmodi. Quemadmodum enim diximus, ne uaticinari quidem facile ex his.

EXPOSITIO.

Prosequitur sane dicens, quemadmodum iis, qui animam numerum seipsum mouentem dicunt, accidunt impossibilia. Primoq; quæ ex ipso moueri contingũt absurda: propria vero ex eo, q; numerum ipsam dicant. Verum quoniam moueri ii tantum ipsam iure arbitrari possunt, qui corpus existimant: ideo quo ad absurda pertinet, eorum cum his societatem, atq; coniunctionem, qui numerum ipsam seipsum mouentem voluere, tradit: sed haud amplius ex ipso moueri: nam id iam dictum fuit: at ex aliis aggressionibus. Illis nanq; qui ipsam corpus vnum quoddam continuum inquiunt: ignem exempli gratia, aut aerem, aut aliquid omnino tenue: id accidit absurdi, vt duo in eodem corpora fingant: tum quod moueat: tum quod moueatur. Per totum nanq; viuens anima pertransit: iis vero qui ex vnitatibus numerum ipsam esse aiunt: illud euenit, vt duo puncta, aut & multa in eodem collocent. Omnia nanq; aiæ puncta, in corporeo vno erunt puncto. Alia nanq; sunt animata puncta, præter ea, quæ corporis. Ne omne postea corpus animatum esse fateri cogamur. Cum iis vero, qui corporum multitudinem ipsam dicunt: iuxta proprium ipsis conueniens absurdum: præterq; eos, qui ipsam mouent: ii quoq; societatem habent, qui numerum ex vnitatibus dicunt. Dictum autem iam fuit, quod iis contingat absurdũ: quod illud est, vt alias quidem ex animatis particulis mouentes dicant: alias autem quæ moueantur: cum tamen absq; vllo discrimine sint. Accidere autem, inquit, & alia quoque absurda iis, qui in idem connectunt numerum, atque motum. Quæ vel confestim infert. Quoniam non solum substantiam animæ huiusmodi esse, impossibile est: at neq; ei contingere possunt quæ dicta sunt. Id autem est, esse numerum. Neq; enim quemadmodum motum animæ adesse dicebamus, & eius quoque perturbationibus secundum accidens: quia scilicet corpus moueretur: ita & numerum quoq; ei adesse, dicere possumus. Qualẽ enim aliquis numerum ratiocinationibus, aut aliis animæ viribus, aut passionibus concederet. Quacunq; enim ratione difficile cõuenire: vt & de harmonia quoq; dixit. Si ex vnitatibus scilicet ipsum numerum intelligamus. Quoniam medietati animæ, quam ex numero seipsum mouente Xenocrates indicare voluit, secundum ea ad generationem progredienti, hæ adsunt perturbationes.

SEPTVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

TRIBVS uero modis traditis, secundum quos definiũt animam. Alii quidem quod maxime mouendi uim habet, enuntiarũt: quia moueat seipsum. Alii uero corpus, quod maxime tenue: aut quod magis incorporeum aliis. Hæc autem quascũq; dubitationes, atq; subcõtrarietates habent, pertransiuimus fere.

EXPOSITIO.

Haud idem est, substantiam quampiam, aut actionem, aut omnino quãcunq; considerare proprietatem, & modum, quo illa sit. Mouendi nanq; vim animam habere: magisq; incorpoream esse, q̃ oia corpora, quæ apparent: & vim quoq; cognoscendi obtinere eam, quæ animalium existit: ita, vt tum ad sensibilia sola pertineat: tum & ad intelligibilia, inuẽti sunt, qui assensi sint. Haud tamen omnes traditis illis acquiescũt modis. Neq; enim quia seipsam moueat, mouet. Neq; quia corpus maxime tenue sit: ideo ipsa quoq; magis incorporea. Neq; quia ex elementis cõstituta sit, res cognoscit. Cum immobilis omnino sit, atq; pure incorporea: neq; materiei, sed formarum principio nitatur. Elemẽtaq; cum materia sint. Q; quidem igitur & immobilis, quantum ad corporeos omnes motus pertinet, sit: & quod incorporea, cum quæ instrumenti, ceu instrumenti effingendi vim habet vita: tum quæ vtitur, atq; mouere valet ipsum instrumentũ: multoq; magis, ea, quæ intelligens est, iam ab Aristotele determinatum fuit: ex iis scilicet sermonibus, quibus opposita confutata fuerat. Confutat autem quod reliquum est, eos, qui ex elementis ipsam esse dicũt. Qui ob id eam huiusmodi posuere: quo & ipsa vbiq; elementa, & quæ ex ipsis constant, ex quadã similitudine, cognoscerent. Neq; enim ea ratione vult Aristoteles animam cognoscere: sed quandam esse cognationem, atq; conuenientiam ipsi cognoscenti, cum eo, quod cognosci

debet. Siquidem cognitio, quæ actu existit: prope illud permanet: quod cognoscendi vim habet. Formalis autem, quæ huiusmodi est, ac nequaquam materialis. Siquidem & cum compositum sit, quod cognosci debet, vt & ipsum sensibile: non prope ipsam materiã, neq; prope vtrunq;: sed prope solam huius formam ipsa stetit cognitio: ceu ea, quæ actio, non autem passio sit. Verum ea, quæ instrumento vtitur adiutore: non sine passione fit: cũ nõ in ipsa cognitione: sed in ipso corpore, collocata sit passio. Vel tunc enim iudicium illud, quod in formam desinit: actio impassibilis est: quæ adhuc ex cõuenieti actione eius, quod cognoscit, fit. Est enim aliqua forma, quæ extrinsecus alicui secundum actum aduenit. Quemadmodum lumen aeri: Quod haud ei ex mutatione, conuersione ve quapiã adest. Vt & illa eius indicat præsentia, atq; absentia: quæ nullum secum tempus trahit. Vnde & actus quoq; perspicui esse dicitur. Et ita adest, vt & vita corpori: & omnino forma materiæ: verum extrinsecus, atq; aliunde aduenit. Actio vero quæ cognoscendi vim habet, intus existit, Eaq; haud compositi est: quemadmodum quæ calefaciendi vim habet ignis. Actio nanq; quæ in formam desinit: & quæ impartibilis est, & tota in ipso nunc collocata: non diuisibilis, sed indiuisibilis est substantiæ. Vnde & quod vim principii obtinet, totum, atq; purum est: & quod prope formæ actionem existit. Quod vero cum ratione, atq; intellectione reperitur, multo magis principii vim seruat. Tũcq; præsertim, cum corpore, neq; tanquam instrumento vtatur. Quid itaque affinitatis est eius quod cognoscendi vim habet, cum eo, quod cognosci debet? Formalis, vt iam dictum fuit. Atq; ea viuax, iudicãdiq; vim habens existit. Quæ vero formalis est, indiuisibilem quandam participationem omnium, cum omnibus indicat. Ac iunctæ quidem inter se sunt extremæ formæ: quæ scilicet mouere incipiũt: & quæ eorum quæ mouentur determinandorũ vim habent: quæq; cognoscendi facultatem retinent: quæq; ceu cognoscendo inter se absolutæ sunt. At coniunctio ea, quæ pure indiuisibilis est, formis adiuncta est. Substãtiis autem rationem participantibus affinitas ea, quæ secundum rationes. Neq; enim ipsæ rationes inter se seiũctæ sunt. Quando haud in partitione suum habent esse: sed in communicantia quadam, quæ remissa est, ac fere clam ex indiuisibili illa coniunctione recessit. Diuersæ autem sunt huius remissionis mensuræ. Alia quidem enim iuxta rationes proximas intelligentibus formis cum cognoscant: paruam habent diminutionem: atq; cognationem quandam conuenientem. Alia vero contra magis absunt. Atq; illa quidem formarum contemplandarum vim habent: tanquã ea, quæ sua ex substantia ipsis iuncta sunt: neq; omnino extra fiuũt: sed in seipsa, atq; in præstantiora feruntur. Extrema autem illa, quæ tota in ea, quæ extrinsecus sunt, tendunt: neq; præstantiorum, neq; suiipsorum percipiendorum vim obtinẽt: sed res tantum extrinsecus positas, comprehendere valent. Quibus ipsis, vel media propinqua sunt: non tanquam eadem: sed tanquam media ipsis extremis. Quemadmodum & econtrario, cum media primorum illorum contemplandorum vim habeãt: affinitas, atq; conuenientia est, vt secundis, cum primis. Haud igitur mutuam eius, quod cognoscendi vim habet, atq; eius quod cognosci debet Aristoteles conuenientiam tollit: sed non necessario eam conuenientiam ibi collocatam vult, vt idem sint. Neq; enim animam ipsam in idẽ progredi vult cum seiunctis illis causis, vt cum amicitia, aut discordia: neq; cum inferioribus istis quatuor elementis. Qua ergo ratione hæc cognoscet, quæ non sine materia sunt? Dubitatio.
Quoniam hæc quoq; ex naturalibus determinantur rationibus: quibus etiam animata ratio proxima, atq; affinis est. Sin autem & omne, quod recipiendi vim habet, sese conuenienter habere debet cum forma illa, quæ innascatur: & ipsa quoq; forma erga receptionem: ipsi quoq; materiei erit conuenientia cum formis, atq; rationibus: licet iuxta obscurã quãdam significationem: & ipsis quoq; formis, atq; rationibus cum materia: sed iuxta excellentiam quandam definiendi vim habentem, atq; iuxta huiusmodi principium, quod complecti, continereq; potest, atq; vnum efficere. Conueniens aũt coniunctio est, iis quæ cõsunguntur: atq; comprehensio iis, quæ comprehendũtur. Non ipsæ itaq; res, quæ cognoscuntur in substantia animæ sunt: sed conuenientiæ illæ formales, quæ ipsarum rerũ affines. Verum potius formales in ipsa sunt mente: & rationis participes in anima: & diuersæ in diuersis. In mente quidem enim, vel secundorum illorum adest cognitio ex formis, Responsum

quæ in ipſa exiſtunt. In anima vero iuxta rationes eas, quæ cõuenienter erga vnũquodq; eorum, quæ cognoſci poſſunt, proferuntur. Cæterum hæc, vel ipſa philoſophi verba, dũ explicando progredimur: conſiderabimus.

RELINQVITVR autem inueſtigare, quonam pacto dicitur, ex elementis ipſam eſſe. Dicũt quidem enim, quo ſentiat ea, quæ ſunt: & unumquodq; cognoſcat.

SEPTVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

NECESSARIVM autem contingere multa, & impoſsibilia rationi. Ponunt nanq; cognoſcere ſimili ſimile: tanquam ſi animam res collocaſſent. Non ſunt autem ſolæ hæ: multæ immo, & diuerſæ: atq; adeo forſan infinitæ numero, quæ ex his.

SEPTVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

EX QVIBVS quidem igitur eſt unaquæq; harum, cognoſcere animam, atque ſentire. Sed uniuerſum quonam cognoſcet, aut ſentiet. ut quid Deus, aut homo, aut caro, aut os.

EXPOSITIO.

Neq; enim Ariſtoteles vult, res ipſas in anima reperiri: in corporibuſq; in primis, poſitionis abſurditas eluceſcit. Quoniam non ſolum quatuor illa elementa in ipſa neceſſe eſt collocare: ſed & compoſita omnia. Neq; enim ex elementis ſolis: ſed & iuxta rationem cõpoſitionis cognoſcitur. Oportet itaq; & vniuſcuiuſq; rationem ineſſe: ſi & vniuerſum, hoc eſt, compoſitum ipſum cognoſci debeat. Deum autem vel ipſum ex Empedoclis ſentẽtia, ex elementis conſtare inquit: cum ſphærus ille ſit. Atq; Empedoclis teſtimonium adducit, qui in oſsibus rationem compoſitionis aſsignauit. Amabilis autem, hoc eſt, concinna dicta fuit terra, ceu talus, ex Pythagorica inſtitutione. Talum enim, quia duodecim habet latera, octoq; angulos, & ſex plana, ita vt harmonicam quandam efficiat proportionem: harmoniam appellabant. Choana autem a poeta, vaſa illa dicuntur, in quibus eorum, quæ miſcentur, temperatio fit. Nanq; inquit, Pone in choanis viginti, omneſq; impleant. Quæ etiam ampla, hoc eſt, lata, quia capiendi poteſtatem habeant, appellat. Miſcet autem ad oſſium generationem, quatuor ignis partes: forſan propter ſiccum, album q; colorem, plurimum ignem ipſa participare inquiens. Duas vero terræ parteis, atq; vnam aeris, & vnam aquæ. Quas ſane ambas, fluentem ſplendorem vocat. Fluẽtem quidem propter humiditatem, ex ipſo fluere, atq; labi ducto vocabulo. Splendorem vero, ceu perſpicuum.

EODEM autem modo, & bonum, & non bonum. Eademq; ratione, & in aliis.

Abſurdum quidem eſt, corpora quædam in anima reperiri dicere: abſurdius vero illud, vt & infinita dicas. Quoniam ipſa poſtea compoſita ſecundum ſpeciem quoq; humana intelligentia comprehendi non poſſent. Ac illud quoq; multo magis abſurdum, quod eſt, in formali, aut rationis participe ſubſtantia, priuationes collocare. Priuatio nanq; in eo ſubſiſtere poteſt: quod aduentitiæ formarum recipiendarum vim habet. Non autem in iis, quæ innate ipſarum participes ſint. & multo magis neq; in ſubſtantia illa poſſunt ſubſiſtere: quæ ex rationibus perficitur. Formæ nanq; quæ generabilium iſtorum determinandorum vim habent, non ſunt, ſed faciunt ipſam priuationem. Hæ quidem tanquam ſubſiſtentes. Quæ vero cognoſcendi vim habent, cognoſcendo. Quia præcipue quidem ipſum bonum cognoſcant. Vbi vero generabile fuerit ipſum bonum. Noueruntq; aliquando ipſum remiſſum: & ipſæ ex remiſsione illa cognitionis ipſius boni, cognoſcunt malũ. Quemadmodum viſus quoq; tenebras nouit: non ex prima illa notione, quemadmodũ lumen: ſed ex eo, quod lumen non contempletur. Vnde ſi quiſpiam, ea quæ quacunq; ratione cognoſci queunt, in anima collocarit: non ſolum ipſum bonum: ſed & ipſum quoq; non bonum in ea reperietur. Eademq; ratione & in aliis: quia aliarum quoq; formarum priuationes in anima exiſtent.

SEPTVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

PRAETEREA uero cum multis modis dicatur quod eſt. Significat enim id quidem, hoc aliquid. Illud uero quantum, aut quale, aut & aliquod aliud ex diuiſis generibus. Vtrum ex omnibus erit anima, aut non. Sed non uidentur communia omnium eſſe elementa. Nunquid igitur, quæcunq; ſubſtantiarum ex his ſolis? Quo igitur pacto cognoſcit & aliorum unumquodq;? An dicent uniuſcuiuſq; generis eſſe elementa, & principia propria, ex quibus anima conſtet? Erit itaq; & quantum, & quale, & ſubſtantia. At impoſsibile ex quanti elementis ſubſtantiam eſſe, & nō quantum. Dicentibus ſane ex omnibus, hæc, atq; huiuſmodi alia contingunt.

EXPOSITIO.

Elementa vniuſcuiuſq; generis philoſophus eſſe dicit: quæ communiter omnibus illis, quæ ſub illo ſunt genere, inſunt: neq; præterea alii alicui. Vt ſubſtantiæ ex ſe ſtare, & haud in ſubiecto reperiri. Quia aliorum cōtinendorum vim habeat: & quia cum ſuiipſius ſit, illis ſubiiciatur: omninoq; nihil accidentibus indigeat, quo ſit. Quapropter & eadem, & vna numero contrariorum recipiendorum facultatem habet. Quantitatis autem eſt menſura, atq; tantum eſſe: quodq; æqualitatis, atque inæqualitatis recipiendæ vim obtinet: quodq; ad finem, vel infinitatem ſpectat. Qualitatis vero formandæ vim retinet, ipſum tale, ipſum ſimile, & diſsimile. At communia ipſis decem generibus ſunt, quæcunq; rerum elementa. Quæ tamen haud vniuoce de omnibus dicuntur. Quare non uidentur, nunc dixit, eſſe communia: ſed vt ea, quæ ab vno originem habent, & ad vnum tendunt. Quapropter ſiquidem ipſa, quæ cognoſci poſſunt in ipſo cognoſcente exiſtunt: opus eſt multis modis ipſa communia ineſſe, & decem modis: quot modis ipſa quoq; communia inſunt. Sin autem ex cognatione rationum erga ipſa, id fiat: ſatis ſuperque eſt vel vna ipſius ciuſdem ratio: quo ipſum idem vbiq; locorum cognoſcat. Neq; enim illius vnius ſolius vna eſt ſcientia: quod vniuoce dicitur: ſed & eius, quod ab vno originem ducit, aut ad vnū tendit. Vt & manifeſte hæc in iis, quæ poſt naturalia dicuntur, determinata fuere. Quemadmodum & eius, quod ſalubre vna eſt facultas medendi: cum tamen multis dicatur modis. Rurſum ſiquidem ipſa eorum quæ cognoſcuntur elementa, quiſpiam animæ ineſſe dicat: anima non ſolum ſubſtantia erit: ſed & quale, & quantum, & alia quoq; genera. Rationis autem particeps conuenientia, quæ ad hæc omnia ſpectat, nihil prohibetur, quin ſubſtantiæ ſit.

SEPTVAGESIMANONA PARTICVLA.

ABSVRDVM præterea & dicere quidem impaſsibile eſſe ſimile a ſimili. Sentire autem ſimile ſimile: & cognoſci, ſimili ſimile.

EXPOSITIO.

Et in aliis quoq; determinatum fuit: quemadmodum quod actu, & omnino ſimile nō poteſt a ſimili pati, calidum a calido, & ſiccum eodem modo. Eademq; ratione & quod cognoſcendi vim habet ab eo, quod cognoſci poteſt: ſed non ab eo, quod habet vim cognoſcendi. Nanq; & ab eo. Quandoquidem quod cognoſcendi vim habet, cognoſci poteſt: quemadmodum quod cognoſci poteſt, cognoſcendi vim habet. & aliquando tanquam id, quod cognoſcendi vim habeat, cognoſcit. Quamobrem haud ſecundum ſimilitudinē ſimpliciter collocata ſunt.

IPSVM uero ſentire pati quoddam, atq; moueri ponunt.

Cum non ſolum in inſtrumenti affectione ipſum pati poſitum ſit: ſed & in ipſo iudicio, & ſenſibilis forſan formæ: quæ ratione diuerſa eſt ab eo, quod ſentiendi vim habet. Perficiturq; ex actione, quæ ſentiendi vim habeat, cum facere ſit.

EODEM autem modo,& ipſum intelligere,& cognoſcere. Verum cum multas dubitationes,atq; difficultates habeat ipſum dicere quemadmodum Empedocles:quod corporeis elementis quælibet cognoſcuntur,& ratione ſimilis:confirmat quod nunc dictum fuit. Quæcunq; enim inſunt in animalium corporibus ſimpliciter ex terra,ut oſſa,nerui,capilli,nihil ſentire uidentur. Quare neq; ſimilia. Atqui conueniens id erat.

OCTVAGESIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero unicuiq; principiorum imperitia potius,quã peritia inerit. Cognoſcet quidem enim unum unumquodq;. Multa autem ignorabit. omnia nanq; alia. Contingit præterea Empedocli & imperitiſsimum eſſe Deum. Solus nãque ex elementis unum non cognoſcet diſcordiam. Mortalia autem omnia,ex omnibus enim unumquodq;.

EXPOSITIO.

Cum cognoſcere illud intelligat,quod ſcientiam pariendi vim habet:& hæc quoque facere,atq; pati exiſtunt. Cognoſcere nanq; ea,quæ ſunt,iuxta actionem eam, quæ cognoſcendi vim obtinet,facere eſſet. Pati vero ex perfectione illa: quæ ab ipſo intelligibili,aut ſenſibili acquiritur. Verum hæc ſine materia ſunt:in quibus in idem ſubiecto conuenit ipſum cognoſcere,& ipſum cognoſci:ſimulque ſunt,& facere erga ea, & pati ab iis. Non tamen quatenus ea inter ſe ſimilia ſunt: ſed quatenus quodam pacto ratione diſſimilia. Quandoquidem ipſa ſuiipſorum cognoſcendi vim habent: & a ſeipſis quoque cognoſci poſſunt. At in iis quæ cum materia exiſtunt,non conuenit,neq; in idem concurrit, quod cognoſci debet cum eo,quod cognoſcendi vim habet: vt in tertio huius tractationis libro ipſe philoſophus dicturus eſt. Cæterum non ſolum ratione,ſed ſubiecto quoque ſeparata ſunt. Haud igitur ſane ignis ab igne cognoſcitur. Cognoſci nanque ignis poteſt, at nequaquam cognoſcendi vim habet. Quod q; in his ambo non conueniant,teſtimonio ſuo confirmant,& quæ manifeſte apparent. Si nanque terra cognoſceret: & illæ quoque particulæ,quæ magis terrenæ ſunt:cognoſcendi poteſtatem haberent: cum tamen ex corporibus,quæ magis terrena ſunt,nullum ſentiat. Illis vero in verbis confirmat, quod nunc dictum fuit:pro eo quod dici debet, interpretandum eſt: vt & coniunctio illa, enim indicat:quæ ex illis eſt,quæ rationem reddunt. At Ariſtoteles neruos inter ea, quæ ſenſu careant collocat:quippe cum ille ſpiritum ſenſorium in tactu eſſe voluerit. Argumenta vero quæ ſequuntur,perſpicua ſunt. Principium nanque,quod proprie dicatur, ſuiipſius cognoſcendi vim habere debet:& quatenus id habet,principium eſt:& ex hoc,& eorum omnium,quæ ab ipſo deducuntur:non ſine comprehenſione tamen,quæ omnium in cauſa eſt. Contingit autem iis, qui ita principia diuidunt: & ratione ſimilitudinis cognitionem inducunt: vt vnius ſolius cognitionem vnicuique principio concedant: aliorum autem omnium imperitiam. Ei vero,quod ex principiis ductum fuit: & quod ex ipſis compoſitum,omnium cognitionem,præterquam ſphæri. Quem Empedocles Deum celebrat. Ille nanq; ſolus compoſitorum diſcordiam non cognoſcet:quoniam non perficitur ex ea.

OCTVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

OMNINO autem propter quam cauſam non cũcta animam habent,quæ ſunt. Quandoquidem omne aut elementum,aut ex elemento uno, aut ex pluribus, aut ex omnibus. Neceſſarium nanque eſt, unum aliquod cognoſcere, aut quædam, aut omnia.

EXPOSITIO.

Quandoquidem mens,atque anima ea ſunt, quæ cognoſcendi vim habent: cognoſcendi vero vim habent elementa,& quæ ex eis:& quod conuertitur verum exiſtet:omne

ſcilicet

ſcilicet elementum, & ex elementis animam eſſe, aut mentem. Nunquid igitur habent hæc, quatenus cognoſcendi vim obtinent? Quoniam haud alia ratione, niſi quatenus cognoſcendi vim habent, determinata ſunt. Ipſam vero cognoſcendi vim dicunt elementis ſecundum ſe ineſſe.

OCTVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

DVBITARE autem aliquis poſſet, & quidnam eſt, quod unum ipſa facit. Materies nanque uidentur elementa. Maxime proprium nanq; illud, quod continet, quodcunque eſt.

EXPOSITIO.

Omne corpus, ſiue ſimplex, ſiue compoſitum ſit, vt ſuum habet eſſe, non ſecundum ſeipſum, neq; a ſeipſo: ſed iuxta alterum, quod formale eſt, & ab altero, eaq; efficiens, aut finiens cauſa eſt: ita & ipſum vnum iuxta id, quod formale habet: & a cauſa ipſa ſubſiſtente exiſtit. Quapropter & quod compoſita vnum reddit, forma quidem eſt, tanquam id, iuxta quod: efficiens autem ceu a quo. Magis autem propria profecto cauſa ipſius eſſe eſt, atque ipſius continere: q̃ eorum quæ perficiuntur, atque vnum redduntur. Elementa vero perficiuntur atque vnum redduntur. Id quod illud contineri indicat in ipſis animalibus anima. Anima itaque maxime proprium principium elementorum eſt. Elementa quidem enim materiei locum obtinent. Anima vero formæ, atq; efficientis. Formæ quidem, quatenus ipſius viuentis effingendi facultatem habet: vt efficiens vero, quatenus eo vtitur, tanquam inſtrumento.

ANIMA uero eſſe aliquid melius, & imperandi uim obtinens impoſsibile. Impoſsibiliuſque adhuc mente. Aequiſsimum nanque eſſe id antiquiſsimum, & proprium ſecundum naturam. Elementa uero inquiunt prima eorum, quæ ſunt eſſe.

Id autem intelligendum de anima ea, quæ rationis particeps ſit. Ipſa nanque ea eſt, quæ ineſt. Ipſaq; antiquior eſt, propter rationis conſequentiam. Id quod illud, æquum, ſeu æquiſsimum indicat. Quia adeſt, & non corrumpitur, quemadmodum antea dixit. & propria eſt ſecundum naturam. Maxime nanque proprie ea cauſa eſt, quæ ipſius fieri, atque ipſius eſſe ſeiunctim. Haud itaque recte quidam corporata elementa, ceu prima, ex iis quæ ſunt colunt. Ex hiſq; illud quoque indicauit, qua ſcilicet ratione cognoſcit anima. Quoniam ceu forma, cognoſcendi vim habet. Quare illa eius conuenientia erga ea, quæ cognoſci debent: huiuſmodi habeatur affinitas, vt non ex materia pendeat: ſed a forma ſtet.

OCTVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

OMNES autem, & qui quia cognoſcit, atque ſentit anima ea, quæ ſunt, ex elementis dicunt ipſam: & qui quod maxime mouendi uim habet, non de omni loquuntur anima. Neque enim quæ ſentiunt omnia mouendi uim habent. Apparent enim quædam eſſe ſtabilia ex animalibus ſecundum locum. Attamen uidetur hoc ſolo ex motibus mouere anima ipſum animal.

EXPOSITIO.

Propoſitum eorum verborum, quæ hic propoſita ſunt, eſt, demonſtrare, aliquid quidem eſſe: quod communiter omni animæ inſit. Licet non vniuoce, vt dixi. Sed vt ea, quæ ab vno vocantur. Quemadmodum quod eſt, bonum, ſalubre, motus. Eſſe nanque aliquid oportet huiuſmodi, quod omni animæ inſit. Iuxta quod & inter ſe communicant: & ab aliis ſeparantur. Ab antiquioribus autem nequaquam commune id traditum fuit. Neque enim cognoſcendi, & ſentiendi, neque illa ſecundum locum mouendi vis omni animæ ineſt. Cognoſcendi autem vim eam intelligere videtur: quæ cum ratione cogno-

Obiectio. ſcere valet. Quapropter progrediens, mentem id appellat. At licet non illa vis mouendi ſecundum locum: attamen ipſa vis mouendi ſimpliciter omni animæ ineſſe videbitur. Nanque ei, quæ plantas gignere valet, augendi adeſt vis: quæ ſane vis mouendi ſecun-
Reſponſum primum. dum quantum erat. Cæterum videtur, inquit, anima ipſum animal mouere ſolo motu ſecundum locum. Quandoquidem ipſum ita mouet, nullo eorum vtens, quæ extrinſecus collocata ſunt. Quemadmodum quod augendi vim habet, cibariis vtitur, quæ extrin-
Reſponſum ſecundum. ſecus collocata ſunt. Nunquid præterea & eam ob cauſam dictum fuit: quia vis illa gignendi plantas non habet perſpicue ipſum a quo, ſed potius vergit ad id iuxta quod: propter hancq; cauſam natura potius quædam eſt? Nanque natura principium eſt ipſius mo ueri, & pati. Ita vt & in iis quæ nutriuntur, ipſum per ſe mouens, quod ſubſiſtit ſit. Quoniam & in iis quæ ſecundum naturam mouentur: perſpicuus ille ab anima motus exiſtit: quia ex appetitione fiat.

EODEM præterea modo & quicunq; mentem, & quod ſentiendi uim habeat ex elementis faciunt. Videntur nanque plantæ uiuere, cum non participent lationem, neque ſenſum: & ex animalibus permulta cogitationem non habere.

Eodem nanque modo & hi, non de omni loquuntur anima. Neque enim quæ ratione carent: cogitationem habent. Idemque cogitationem atque mentem intelligit. Ita vt vitam indicet rationis participem. Neque plantæ ſenſum, aut lationem habent. Quapropter neque eos, qui vim mouendi ſecundum locum animæ concedunt: de omni anima loqui, nobis in memoriam adduxit.

OCTVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SIN AVTEM aliquis & hæc concedat, & ponat mentem partem quandam animæ. Eodemque præterea modo & quod ſentiendi uim habet: neque ſic loqueretur uniuerſaliter de omni anima, neque tota, neque de una. Id autem accidit & illi in Orphicis carminibus rationi. Inquit enim animam ex toto ingredi, dum ſpirantibus fertur a uentis. Haud pote tamen eſt plantis id euenire, neque animalium quibuſdam: ſiquidem non omnia ſpirant.

OCTVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

ID AVTEM fefellit eos, qui ita acceperunt.

EXPOSITIO.

Quandoquidem fabuloſius, vt ipſe dixit, Pythagoræi vel quæ ratione carerent, animis videbantur rationem habentibus viua reddere: nonnullique vel ipſas plantas, vt Empedocles. Hac autem ratione & quod vim mouendi ſecundum locum habet: & quod ſentiendi, quodque præterea intelligendi omnibus animis conuenire potuiſſet: ideo inquit, ſiquis vel hæc, quæ abſurda ſunt, concedat: ita, vt cuiuſque animæ pars ſit: quæ intelligendi, & ſentiendi vim habet: neque ſic loqueretur vniuerſaliter de omni anima. At pro eo quod dixit de omni: quia quadam ratione dixit de omni, ideo fere exponens ſubdidit. Neque de tota, neque de vna. Quippe cum vnaquæque & alias habeat vires: de quibus illi nihil dixere. Patet autem, quemadmodum & qui ex reſpiratione animam ab animalibus duci dixerunt: haud de omni intelligunt. Neque enim omne animal, neque ex plantis vlla reſpirat. Orpheus autem viſus eſt reſpirationem uocare conuenientiam illam corporum erga uitam. Cauſas autem illas omnino mouendi uim obtinentes, uentos. ſine quibus iſtæ quæ particulares ſunt: nunquam corpora, apta, animata reddere poſſent. Id autem fefellit inquit, & eſt illud nõ omnia reſpirare. fefellit inquam eos: qui arbitrati ſunt uere omnia uiuentia ex reſpiratione animata reddi.

SIQVIDEM oportet animam ex elementis facere, nihil, oportet ex cunctis.

Sufficit

Sufficit enim altera pars contrarietatis ad ſeipſum iudicandum, & oppoſitum. Nanque recto & ipſum, & obliquum cognoſcimus. Iudex nanq; utriuſque regula. Obliquum uero neq; ſuiipſius, neq; recti.

Quod quidem non ex elementis ea conſtet animæ proprietas: qua, quo cognoſcat, in ea, quæ cognoſci debent, dirigitur: ſed formalis ſit, atque principatum obtinens ſupra ea, quæ cum materia ſunt: & vnius ſpeciei, tanquam indiuiſibilis: vnde & hæc quoque inter ſe iungat, quæ in animatis reperiuntur elementa: iam a nobis determinatum fuit. Nunc autem illud Ariſtoteles addit: quod licet ex elementis ipſam conſtituere oporteat: quo hoc pacto cum iis, quæ cognoſci debent ſeruetur affinitas: haud tamen ex omnibus oporteat. Nanque alterum contrariorum ſufficit ad ſeipſum contrariumque iudicandum. Id autem, vt opinor, haud ſimpliciter verum eſt: ſed cum alterius priuatio ſit. Nanque forma priuatio cognoſcetur: quemadmodum ſanitate ægritudo. Quandoquidem omnis priuatio in ſignificatione poſita eſt imperfecta illius formæ, cuius eſt priuatio. & ſimul abſentia eſt perfectionis ipſius formæ. Ex notione itaque formæ, & eius ſignificationem, & abſentiam quoque cognoſcam. Quando vero ipſæ formæ contrariæ fuerint, quonam pacto altera alteram cognoſcam? cum vtraque proprietatis cauſam afferat: & non ex aliqua alia: ſed ex ſe cognoſcatur. Verum conſueuit Ariſtoteles frigidum calidi priuationem dicere. Si itaque hæc quiſpiam ſtatuat elementa, conuenit ſibiipſi dicens, ſatis ſuperque eſſe ſi calidum in anima ſit: vt & contrarium quoque cognoſcat. Id autem indicat, exemplo quoque vtens: recto ſcilicet, tanquam forma: obliquo autem tanquam priuatione. Vnde obliquum neque ſuiipſius, neque recti vult cognoſcendi vim habere: rectum vero vtriuſque. Si itaque tanquam forma, & ipſum quoque obliquum ſumptum fuerit, vt quod circuli effingendi vim habet: recta illa regula haud tanquam id cognoſcetur, quod circuli effingendi vim habeat: ſed ſolum quod non rectum. Quoniam menſura circulari ei conuenienti, & ipſum circulare cognoſcemus ſecundum ſe; & ipſum rectum, tanquam non circulare. Vult autem ex his Ariſtoteles indicare, cognitionem actionem quandam eſſe, quæ a forma ſtet.

OCTVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

ET IN uniuerſo præterea quidam ipſam mixtam eſſe, inquiunt.

EXPOSITIO.

Licet in primis ei propoſitum ſit vel a principio de anima mortalium animalium loqui: attamen & de cœleſti quædam iam verba fecit. quod ſcilicet, ſine magnitudine ſit: quod intelligens, quodque ſeparabiliter corpori adſit. Non autem coniuncta ſit, vt Plato dicere videtur. Nuncque qua ratione, quæ in totis elementis reperiuntur animæ, dum adſunt, illa viua efficiant, demonſtrat. Quoniam haud quia mixtæ ſint: quemadmodum noſtræ: quæ vel ipſæ extenduntur, atque in corpora fluunt: atque eorum ſunt. Et quia haud primo illis cum materia exiſtentibus eorum apparentibus adſunt corporibus. Quemadmodum neque noſtræ capillis, aut oſſibus. Vnde neque animal ſecundum ſe aer eſt: & tamen viuit, cum anima ſit. Ex quibus ſimul quidem, quod ex his animis cœleſti illi cedit demonſtratur. Quippe cum vel ad elementa vſque illa quæ gigni, atque corrumpi poſſunt, perueniant: quæ in omnibus ſuiipſorum partes exiſtunt. Simulq; quod ex eis noſtrarum reſpectu, ſuperet, oſtenditur. Quandoquidem ſuiipſarum illæ ſunt: & elementa viua efficiunt. Inclinationem nanque in corpus mixtio indicat. Quapropter & in vniuerſo dixit: quippe cum & in partibus mixtio ſit.

VNDE forſan & Thales arbitratus eſt omnia Deorum plena eſſe.

Quod quidem omnia plena Deo ſint, efficiente, benigne dirigente, continente cuncta, nemo dubitare poſſet. Verum haud id indicat: neque illud forſan propter hanc cauſam di

xit. Sed illud mixtam esse respiciens. Hac enim ratione forsan & Thales arbitratus est, omnia Deorum plena esse: quia ipsi mixti sint: & id absurdum est.

ID AVTEM habet quasdam dubitationes. Quam quidem enim ob causam, cum in aere, aut igne sit anima, non facit animal. In mixtis uero, & propter hæc in his præstantior esse apparet.

Dubitationibus, quemadmodum consueuit, eorum quæ proposita sunt, ueritatem Aristoteles diiudicat. Ex quibus una est: quam ob causam corpus nostrum, quod compositum est: animal animæ præsentia efficiatur: ignis autem minime: quia præstantiori tamen anima, uiuum effici uidetur. & reuera uidetur. Siquidem totum nostrum istud corpus corruptibile est: ille uero ratione partium tantummodo. Ac si ex his alterum particulare existit: alterum totius rationem obtinet. Si itaque, quod totius rationem obtinet, eo nobilius est: quod particulare sit: & quod ex eo, quod totius rationem obtinet perpetuum, eo nobilius est, quod omnino corruptibile: animæque conuenienter corporibus adsunt, ut & iam determinatum fuit: patet, quod anima illa, quæ ignem uiuum reddit, nostra præstantior est. Qua itaque ratione animal non est: uel ex una hac causa, quia præstantior eius anima existit. At primo quidem ex Platonis sententia, haud ibi ex anima, & corpore adest compositio. Sed anima in seipsa manente, eius efficitur illud corpus. Animal autem in compositione constitutum est. Secundo autem loco illud dicendum est: quod is qui ignis apparet, nequaquam illius animæ præcipue uehiculum existit. Sed præstantior quidam: qui & ipse ex cœlesti illa constitutione, licet secundo loco constituatur. Sin autem id & in nobis aliquis reperiri dicat: ei omnino sciendum est & in nobis quoque præstantius illud uehiculum repertum iri: uerum una cum anima in mortale corpus extensum. Ita ut ex omnibus perficiatur. Ab illisque pendet, quod ipsius præstantioris apparet, & per id, uel ipsum uiuum efficitur. Haud tamen ambo ad unius absolutionem spectant. Neque igitur ex omnibus perficitur, quod secundum se animal apparet: cum non sua ex perfectione, sed quia quod præstantius tetigerit, viuat. Et quia omnino tanquam particula. Licet aliquis concedat, vnum ex omnibus fieri.

Responsum tacitæ dubitationis.

INVESTIGARE nanque aliquis posset, & propter quam causam, quæ in aere anima, iis, quæ in animalibus præstantior est, atq; immortalior.

Haud, vtrum sit præstantior inquirit: sed propter quam causam sit. Nanque dictum fuit, quemadmodum uidetur præstantior. Neque in dubium reuocatum nunc fuit, propter quam causam videtur: sed propter quam causam sit. Quippe cum sit: causa vero communiter inquiri debeat: atque adeo quadam iam ratione ab eo dicta fuerit: cum stetit aduersus eos, qui ipsam mixtam esse inquiunt: & quia ignem nequaquam animal appellat. Perspicuum nanque est, quod cum propter separabilem illam actionem cum corpore non misceatur: neque compositum aliquod cum eo perficiat: ea præstantior est, quæ miscetur: quæque vnum quoddam cum eo absoluit. Atque hæc causa est præstantioris: quia scilicet seiunctim, ac nullo ad deteriora delapsu pendentia illa corpora viua reddit. Immortalior autem existit, non mortali ea, quæ in animalibus reperitur. Quod nanque immortalius, ut albius albo albius. Sed immortalior, quia iuxta præstantiores immortalitatis terminos illorum, quæ tota sunt, anima collocata est. Vnde & Plato ambigue cum immortalibus nostras nominat animas: ac multo magis ipsam vitæ formam, Deumq; esse dicit immortalem.

OCTVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

CONTINGIT autem utroque modo absurdum, ac præter rationem.

EXPOSITIO.

Nanque dicere ignem, aut aerem animal esse, ex iis est, quæ præter omnem ratio-

nem

nem ſunt. Quia compoſitum eſt animal ex anima, & corpore. Quæ profecto anima mixta ſit: & a ſeipſa recedens ad illud vergat. Quo itaque pacto id præter rationem? Non quia totus ignis, aut aer non viuat: ſed quia illorum, quæ tota quædam ſunt, animas eodem modo reddunt extenſas, atque noſtras: ac nunquam diſſolui volunt, vt & noſtræ diſſoluuntur: ſed ſpeciatim id eis concedi aſſerunt. Quod abſurdum eſt. Ac perſpicue de cœleſti anima dictum fuit: quia id conſequens eorum opinioni eſt: qui ipſam cum corpore connectunt.

NANQVE dicere animal ignem, aut aerem ex iis eſt, quæ magis præter rationem ſunt. Et non dicere animalia cum anima inſit.

Omnino nanque animal eſt, quod ex corpore, atque anima inexiſtente conſtet. Patet enim quod non manet adhuc ſeparabilis, ſi corpori inhæret: atque vna cum eo viuit, & agit. Vnde illud ſeruandum, atque memoriæ commendandum eſt, quod ipſam ineſſe fatetur: verum ſeparabiliter ineſſe. Atque ipſa quidem tota viuere ponendum eſt: haud tamen viuere propter eas cauſas, quæ iam adductæ ſunt.

OCTVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

ABSVRDVM exiſtimare autem uiſi ſunt, animam eſſe in his. Quoniam totum cum particulis eiuſdem ſpeciei.

EXPOSITIO.

Cauſam affert, propter quam multi in errorem compulſi ſunt: & tota ita viuere dicunt, vt in ipſis anima inſit: licet haud ſeparabiliter viua reddat. Quia enim partibus ſimilem aerem hunc, qui in nobis eſt, cum toto viderunt: arbitrati ſunt eodem modo, a ſimiliq; anima id, atq; illum animatum reddi. Ineſſe itaque & illi, quemadmodum & huic animam dixere. At abſurdum quod ipſis contingit, confeſtim infert.

QVARE neceſſarium ipſis dicere & animam eiuſdem ſpeciei cum particulis eſſe.

Si enim cum toti aeri anima inhæreat, ipſum viuum reddit: habebit & illa particulas, quæcunque particularum, hoc eſt, particularium corporum ſunt. Erunt etenim eius particulæ, & quæ tanquam inſtrumento vtitur: neque ſolum quæ ſeparabilis: ſed & quæ ſentiendi, atque cogitatione concipiendi vim habet, & ira, & cupiditas. Opus nanque his eſt, animæ illi, quæ non ſeparabiliter viua reddit: ſed ipſis ineſt corporibus. Erit itaque eiuſdem ſpeciei anima illa, quæ totius aeris, & quæ particulæ alicuius.

SI QVIA recipiant aliquid continentis in animalibus animata animalia fiunt. Sin autem aer quidem diſſipatus eiuſdem ſpeciei. Anima uero diſſimilium partium. Quod aliquid quidem eius inerit patet: aliud uero non inerit. Neceſſarium igitur ipſam, aut ſimilium partium eſſe: aut non ineſſe in quacunque particula uniuerſi. Manifeſtum itaque ex his quæ dicta ſunt: quemadmodum neque ipſum cognoſcere ineſt animæ: quia ex elementis ſit: neque moueri ipſam pulchre, neque uere dicitur.

Si particula quæpiam animæ continentis accepta, ceu omnem vitæ proprietatem habens: quam & illa habeat: diuiſa autem ita, vt in particularius corpus circunſcribatur: quemadmodum & aeris particula, omnem habens qualitatem: quam & totus aer: ſuperatur ſolum, quia particularis ſit: ſi itaque ita ſeſe habeat & anima ea, quæ in animalibus eſt erga eam, quæ in totis elementis, eiuſdem ſpeciei cum illa eſſet. Quando igitur

næc non ſolum intelligendi, ſed & patiendi quoque facultatem habet: & illa quoque eodem modo ſe haberet. Sin autem hæc abſurda ſunt: quia totorum animas facile pati poſſe cogamus: & aliquando diſſolui: atque illis particularibus ſimiles facimus: quæ interdum in id, quod deterius feruntur: & vt propter hæc in ſola illæ conſtiterint intellectione: patet quod non eodem modo totius aeris anima ſe erga particularem habebit: quemadmodum ipſe aer erga proprias partes. Ipſe quidem enim aer eiuſdem ſpeciei cum illis eſt. Anima vero diuerſarum formarum cum partibus totius eſt. Sin autem id verum eſt, alterum quidem ipſis profecto inerit: alterum vero non inerit. Verum quoniam haud omnino ambigua anima totius eius reſpectu, quæ partium, aliquid commune habebit. Licet id commune ſit, vt quæ ab vno originem ducunt. Ac quando abundat paſſionibus anima, quæ in partibus reperitur, alterum quidem ipſius animæ ineſt in totis: alterum vero non ineſt. Sola nanque intelligendi vis. At licet in totis quoque ipſa inſit: nequaquam tamen fieri poteſt, quin & ipſa patiendi vis inſit. Quapropter recte concludit, aut ſimilium partium. Habebit enim & quæ tota, & quæ partium eadem. Aut non ineſſe in quacunque particula vniuerſi. Vbi per vniuerſum non aerem totum Ariſtoteles intelligit: ſed mundum. Quippe cum ea, quæ in compoſitis, & in animalibus inſit propter coniunctionem illam cum corpore: quæ non ſine ordine, atque inclinatione, & impetu in corpus fit. Ea vero quæ in cœlo reperitur, & in totis: quæ ſane tota, vniuerſi partes vocauit non ineſt: ſed ſeparabiliter ea viua reddit. Hac itaque ratione potius mihi viſum eſt Ariſtotelica verba dirigere: q̃ ita interpretari, vt deprehendat, elementa tota vita carere.

OCTVAGESIMANONA PARTICVLA.

QVANDO autem ſane ipſum cognoſcere animæ eſt, & ipſum ſentire, atque opinari: prætereaque ipſum cupere, atque cogitare, & omnino appetitiones. Fit etiam motus ſecundum locum animalibus ab anima. Prætereaque & accretio, & uigor, & diminutio. Vtrum toti animæ horum unumquodq; ineſt.

EXPOSITIO.

Quod inueſtigandum proponitur eſt, vtrum vna ſit in vnoquoque animali anima, aut multæ. Quandoquidem & actiones eius multæ, multarumque formarum ſunt. Ac ſi vna, vtrum compoſita ex pluribus ſubſtantiis: aut ſimplex quidem, ſed quæ multas habeat poteſtates: vnde & multitudo illa actionum proueniat. Neque enim ſane multæ diſſipatæ erunt ſubſtantiæ: & quæ haud vnius ſint animæ perfectiones. Quoniam ſane quemadmodum corpus vnum, atque ipſum quoque animal eſt: neceſſarium & animam quoque vnam eſſe. Præterea vero vnum quod dicit, ego intellexi, & ſenſi, & concupiui, & appetii, nequaquam eſſet: niſi aliquo pacto vna anima eſſet. Quod itaque vna ſit, perſpicuum eſt. At nunquid ſimplex ſecundum ſubſtantiam, cum potentiis multiplex fiat: aut & ſecundum ſubſtantiam multiplex? Eius nanque quæ ſimplex ſit, forſan & potentia, & actio ſimplex eſt. Quemadmodum & eius, quæ rationis, particeps, rationis particeps. Aut & ſubſtantia multiplex. & ſi hoc, vtrum ſemper quod intelligendi vim habet in nobis, vna cum eo, quod patiendi, atque nutriendi facultatem obtinet inſitum ſit, aut in acceſſu illo ad corpus hæc præterea aſſumit, atque ita vna ex pluribus animalibus compoſita eſt. Quemadmodum & anima vnum fit animal: licet non ſemper nos inhæreamus, ſed aliquando. Ac ſi ita ſeres habeat: profecto præexiſtentibus diuerſis vitis, fit aliquando coniunctio, licet nonnullæ interdum fiant. Quod ſi ſemper exiſtant, vtrum & reliquæ propter mentem a corpore ſeparentur inueſtigandum: aut mens ipſa inſeparabilis a reliquis ſit. Pertinet præterea caput id, vt & quonam pacto corpora uiua reddantur, intelligamus. Vtrum ſcilicet ab aliqua tota poteſtate, aut ab quibuſdam illius poteſtatibus. Et ſi a tota, utrum ita, ut iuxta aliam alii adſit particulæ, aut tota ubique reperiatur. aut utrum tota ſecundum omnes: aut tota

quidem.

quidem, sed non secundum omnes. Neque enim sane & iuxta eas, quæ separabiles sunt. Plato quidem igitur manifeste post vitam illam rationis participem, quam etiam immortalem vocat, eam, quæ patiendi vim habeat, quam mortalem vitæ formam ducit, adtexi inquit: Haud tamē secus, vt opinor, atq; Aristoteles. Qui separabilem quidem nouit: & quæ neq; tanq̄ instrumēto ipso corpore vteretur: neq; vllam corporis particulam continentem: aliquandoq; recedentem illo extrinsecus impetu: atq; in substātiam actionem contrahentem: atq; separatam hanc solam, id esse, quod vere sit, ipsum nequaquam latuit. Aliam vero vitam inseparabilem cōfessus est: atq; vna cum corpore semper agere voluit. Neq; enim animæ sunt, sed vtriusque, & perturbationes, & huiusmodi opera. Vt sensus, vita, indignationes: & quæcunque vires rationis participes corpore vtuntur coadiutore. Quas etiam discurrendi vim habere asserit. Cum non secus, atque separabiles illæ scientiam pariendo contemplentur, atque intelligant. Nulla igitur profecto ex iis, quæ in ambobus collocatæ sunt, in perfecta, atque absoluta separatione permanet. Neque enim omnino seiuncta ac separata esse potest. Quandoquidem perspicue dictum fuit de intellectu. Seiunctus autem est, solum id, quod uere est: ita ut solum ipsum intelligens relinquatur. In illo autem accessu intellectus ad ea, quæ extrinsecus: uitaque ea, quæ non sine eminentia, coniunctio illa cum aliis prodit. Sed coniunctio ista, haud cum continuitate est: cuiusmodi quæ corporatarum partium: sed quæ sine corpore quadrat: cum impartibiliter hæ inter se iungantur: atque una impartibilis tota perficiatur. Quemadmodum albi, atque nigri aspectus unus est: qui iuxta duas rationes simul agit. Licet totus, atque unus iuxta duas illas ambas rationes sit: ceu is, qui in tempore impartibili duo simul comprehendit. Sin autem ita cum corpore anima colligatur, ut ex ambobus unum fiat animal: multo quoque magis concedendum est, id non sine coniunctione uitæ ex diuersis fieri formis. Licet illæ quidem inseparabiles sint: hæcque separabilis: sed ita, vt ex distantia a seipsa, atque inclinatione erga ea, quæ extrinsecus sunt, inseparabilis quodam pacto reddatur: atque cum illis conueniat. Ac communes quidem actiones ex seipsa tota agit; separabiles autem iuxta seipsam: uel id obtinens, quod aliarum respectu seiunctum. Nunc itaque Aristotelicam dictionem assequamur. Cum ille nanque distinxerit animæ uim cognoscendi habentes actiones ab iis, quæ appetendi facultatem habent: cumque uarias utrasque esse demonstrarit: illas quidem, ceu opinandi, & intelligendi, atque sentiendi uim habentes: has uero ex eo quod rationis, & quod perturbationis particeps est. Cupiditas nanque appetitus, uim patiendi habens est. Rationis autem particeps ipsa uoluntas. Cumque præterea eas Aristoteles admouerit: quæ mouendi secundum locum facultatem habent: & gignendi uim obtinentes: inuestigat utrum toti animæ horum unumquodque insit, & omni: iuxta quam intelligimus, & sentimus, & mouemur, & aliorum quodcunque facimus, atque patimur, aut particulis quibusdam diuersa. At quando ipsum quidem intelligere, eius animæ proprium est, quæ intelligendi vim habet: maximeq; quod stabile, atque firmum, ita vt in substantiam actio contrahatur: aut & quod iam non sine quadam eminentia existit: quatenus neque tanquam instrumento ipso vtitur corpore: neque simul visum, phantasiamve comprehendit: licet ipsam insequentem, tanquam vmbram habeat: ipsum vero quidpiam intelligere: quod patiendi vim habere philosophus inquit, vna cum phantasia fit: ideo de hoc nunc loquens ipsum distinguit a priori illo: dum nos esse ait, qui intelligamus, ita inquiens.

Intelligere duplex. Primum.

Secundum

ET OMNI intelligimus, & sentimus, & aliorum unumquodque facimus, atque patimur: aut particulis diuersis diuersa. Et ipsum præterea uiuere, utrum in aliquo horum est: aut & in pluribus, aut & in omnibus, aut & alia aliqua causa.

Nos nanque qui compoſiti ſumus, & intelligentes, & ſentientes, haud iuxta illud prius intelligere id agimus. Proprium nanque illud eſt uitæ illius, quæ ſeparabilis exiſtit. Quoniam itaque ipſum compoſitum etiam intelligit: qua ſane intellectione intelligit, etiam ſentit: & reliqua ſimul facit, atque patitur. (Propter uiuacem nanque actionem facere dicitur unumquodque: propter corporeum uero motum pati.) patet, quemadmodum toti animæ, quæ ex omnibus uitis contexta eſt, horum unumquodque inerit. Quæ nanque tota eſt, compoſitum totum determinat. Totum autem eſt, quod ſentit, intelligit, atque appetit. Quandoquidem et unum omnia facit. Ita ut eorum ſimilitudinem, atque diuerſitatem cognoſcat. Toti quidem igitur unumquodque inerit: ſed alias ſecundum aliam uitam agenti. Neque enim iuxta eandem nutritur, atque ſentit: neque ſentit, atque intelligit. Ipſumque uiuere et aliud quidpiam ſecundum unumquodque. ut iuxta id, quod ſentiendi, atque intelligendi, atque nutriendi uim habet. Quandoquidem unumquodque haud ſimpliciter uiuere eſt: ſed adiecta differentia. Quapropter ita aliud eſt, ut ipſum animal, ab eo animali, quod rationis particeps ſit. Atque in unoquolibet eſt animali, atque in omnibus ſimul, quod ex ſeipſo eſt, ita ut excitetur, ac quaſi ferueat.

NONAGESIMA PARTICVLA.

DICVNT autem quidam diuiſibilem ipſam eſſe: & alio quidem intelligere, alio autem appetere. Quid itaque ſane continet animam, ſi diuiſibilis nata eſt? Neque enim ſane corpus. Videtur nanque contrarium, potius anima corpus continere. Egreſſa nanque ipſa euaneſcit, ac putrefit.

NONAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

SI ITAQVE alterum quidpiam unam ipſam facit: illud in primis eſſet anima. Oportebit autem rurſum & illud inquirere: utrum unum, aut multas habens partes; Siquidem enim unum, propter quam cauſam non confeſtim & anima unum eſt. Sin autem diuiſibile, rurſum ratio inueſtigabit, quid continens illud. & ita ſane progreditur in infinitum.

EXPOSITIO.

Et illi itaque totam volunt, & intelligere, & appetere: ſed alio, atque alio. Neque id innuit, quod tota alio, atque alio: ſed ceu diuiſibilis, atque ceu particulis. Cum oportuerit, tanquam indiuiſibilis dicere: atque ita, vt diuerſæ vitæ indiuiſibiliter inter ſe coniunctæ ſint. Vnde & requirit quod contineat, haud iniuria. Partibile nanque omne cohibente indiget. Sin autem partibilis anima ſit, neque ſeipſam, neque aliud aliquid continebit: quemadmodum neque corpus. Verum anima corpus cohibet. Ea nanque egreſſa euaneſcit. Impartibilis itaque eſt. Quoniam ſi ipſa quoque cohibente indiget, aut ſtabimus prope id, quod impartibile ſit: & illud anima erit: aut in infinitum progrediemur.

NONAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

DVBITARE autem aliquis poſſet, & de particulis eius, quamnam poteſtatem habet unaquæque in corpore. Si enim tota anima omne corpus continet, par eſt & particularum unamquanque continere aliquid corporis. Id autem ſimile eſt impoſsibili. Qualem nanque particulam, aut quo pacto intellectus continebit, difficile uel fingere.

EXPOSITIO.

Tota quidem anima ſecundum Ariſtotelem, & ſecundum eos, qui diuiſibilem ipſam ponunt, corpus continet. Sed quemadmodum tota ſentit ex ea ſentiendi vi, quam nacta eſt. Quia quælibet vis impartibiliter vna cum toto hæret: neque cum diſtantia aliud aliquid exiſtit: vt quod animo concipiendi vim habet. Ita continet quidem tota: ſed iuxta eius inſeparabiles vitas, propter impartibilem & harum coniunctionem in ipſa tota. Verum nequaquam iuxta intelligendi vim. Quod iis, qui partibilem ipſam ponunt, non conuenit. At licet ipſam partibilem aliquis eſſe concedat: atque ita totam ſimul extenſam, vt totius complectendi vim habeat: erunt & partes cum partibus ita diſpoſitæ, atque eum in ordinem redactæ: vt quæ cuique conueniat, eam continere valeat. Ita, vt & animata quælibet particula corporatæ particulæ continendæ facultatem adepta ſit. Quare & intellectus quoque huiuſmodi erit. Id autem vel fingere difficile eſt. Inſeparabile nanque ab eo quod continetur, exiſtit, quod proxime ac coniunctim continendi vim habet. Separabilis autem intellectus eſt. Et id quidem illius eſt, tanquam ipſum id illud continens. Id vero ſui ipſius, ſeipſum intelligens, atque in ſeipſum conuertens. Præterea licet impartibile ſit, quod partibilium cohibendorum vim habet: attamen circa ea diuiſum eſt. Atque id non ſolum non in ſeipſum, ſed ne præſtantiora quidem erga illa conuerti poteſt: cum iam illud, quod continetur, ſubierit. Ille vero & illa præſtantiora intelligit: atque illa poſſidet. Qua itaque ratione impeditur ipſum intelligere a corpore? Quoniam corpus a tota anima iuxta inſeparabiles illas vitas pendet. Propter iſtam autem connexionem, non ſolum iis, quæ ipſo vtuntur: ſed iis quoque, quæ ipſo nihil vtuntur, affert impedimentum. Quemadmodum & de acu, multo antea dictum fuit. Interrogatio. Reſponſum

NONAGESIMATERTIA PARTICVLA.

VIDENTVR autem & plantæ cum diuidantur uiuere: & ex animalibus quædam inſectis, ceu eandem habeant animam ſpecie, licet non numero. Vtraque igitur particularum, ſenſum habet, & mouetur ſecundum locum, ad aliquod tempus.

NONAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SIN AVTEM non perficiunt, nihil abſurdum. Inſtrumenta nanque non habent, ita, ut ſeruent naturam. At nihilo minus in utraque particularum cunctæ inſunt particulæ animæ. Et eiuſdem ſpeciei ſunt inter ſe, ac cum tota. Inter ſe quidem, quippe quæ non ſeparabiles ſint. Cum tota autem anima, tanquam diuiſibili exiſtente.

EXPOSITIO.

Et id quoque eam habet vim, vt demonſtret indiuiſibilem coniunctionem plurimarum ſubſtantiarum, atque viuacium potentiarum, quæ in vnoquoque ſint. Particulæ nanque eius, quod tanquam diuiſibile affertur, licet quadam ratione iunctæ inter ſe ſint: attamen proprium vnaquæque ſitum habet. quemadmodum oculus, & naſus. Vitæ vero ita iunctæ ſunt: vt & vnicuique corporis particulæ omnes interdum adſint: cum aptæ ſcilicet ad omnem receptionem illæ fuerint. Plantæ nanque ramus totam habet vegetandi vim obtinentem animam: quæ nutriendi, augendi, atque generandi facultatem obtinet. Ac cum quædam animalia inſecta in duas diuiduntur partes, vtraque particula ad aliquod vſque tempus, & mouetur, & ſentit. Patetque, quemadmodum etiam nutritur. Neque enim ſine hac reliquæ adſunt. Dilucidumque exiſtit,

quemadmodum non ſolum ſpecie, ſed numero quoque, vt iam diximus, vita illa tota impartibilis in vno quoque impartibiliter adeſt: cum illorum particulæ ad indiuiduam illam vitam aptæ ſint. Siue coniunctæ eæ inter ſe ſint, ſiue diſiunctæ. Verum cum in iis, quæ diſiunctæ ſunt: haud in ambabus ſint ſaluris inſtrumenta: quæ principatum obtinere dicuntur: ideo haud datum eſt, diu ipſam animam numero in ambabus illis reperiri. Nanque in plantis radices numero diuerſæ ſunt. Sin autem extremæ iſtæ uitæ impartibiliter inter ſeſe ſimul exiſtunt: multo magis, quæ præſtantiores etiam eiuſdem ſunt ſpeciei, vt ipſæ animæ inter ſeſe, ac cum tota. Animas autem nunc appellat, non illas, quæ in pluribus ſint animalibus: ſed diuerſas illas vitas, quæ in vnoquoque reperiuntur animali. exempli gratia, vegetandi vim habentem, ſentiendi, ratione vtendi. Haſque & inter ſe, & cum tota eiuſdem eſſe, conſimilisve ſpeciei inquit. Non quia quod vegetandi, quodque ſentiendi facultatem habet ſpecie idem ſit: ſed propter inſeparabilem illam inter ſe cohærentiam. Quippe cum vnumquodque vitæ forma vna cum aliis ſit: ac propter hanc cauſam unumquodque etiam quodam modo omnia ſit. Quoniam & quod vegetandi uim habet, eam obtinet facultatem, ut nutriat, atque gignat illud inſtrumentum noſtrum quod ſentire, atque ratione uti ualet. Atque huiuſmodi quod ſentiendi uim habet, erga id, quod ratione uti poteſt. Arte itaque perficitur & uiſus, & auditus, & tactus. & phantaſia rationem exaudit. At eiuſmodi eſt, ut uim quodam pacto habeat nutriendi. Indicio autem eſſe poteſt appetitio, atque oblectatio nutritionis, cum utraque ſentiendi uim habeat. & uis illa rationis particeps, quæ utranque fere participat. Iuxta uitam nanque eam, quæ in id quod mortale progreditur: cum illis amicitiam init. Vnde haud huiuſmodi intellectio abſque uiſo, ſeu imaginatione exiſtit. Hac itaque ratione inter ſe conſimilis ſunt ſpeciei, quia ſimul omnes indiuiſibiliter in animalis conſtitutione conſiſtant. Toti uero animæ tales ſunt, ceu diuiſibili ſecundum accidens, inquit, exiſtenti: vt Alexander exponit: cum diuidatur, quia corpus diuiditur: ita, vt in vtraque particularum tota appareat. Verum id eam habeat vim, vt demonſtret particulares eiuſdem eſſe ſpeciei cum tota: haud tamen iccirco modum ſignificat: quo ſcilicet pacto ſint eiuſdem ſpeciei. Id quod, illa particula, quippe quæ, indicat. Potius quidem igitur eſſe intelligendum eſt: quoniam non tanquam ſimplex: ſed tanquam ea, quæ ex illis perficiatur. Atque ita perficiatur, vt & diuidi quoque poſsit. Cum omnium confeſsione intellectus a reliquis ſeparetur: forſanque & illa quoque anima, quæ ſentiendi vim habet, ab ea, quæ vegetandi. Si tamen primam ſubſiſtentiam non in corpore habeat: quod nutritione indigeat: ſed in præſtantiori quopiam. Illud autem notum eſt: quemadmodum illa noſtra vegetandi vis huiuſmodi eſt, vt cum ſenſu, atque ratione cohæreat. & quæ ſentiendi vim habet cum ratione. Quapropter hæc quæ in nobis ſunt, neque omnino eadem ſunt cum vegetante illa vi, quæ in plantis reperitur: neque cum vi ea uegetandi, ac ſentiendi, quæ in iis animalibus extat, quæ ratione carent. Hæc enim quæ in nobis ſunt, rationem fere quodam pacto participant. Illa uero ut ad aliquam cum ratione affinitatem perueniant, fieri non poteſt. Ariſtotelis autem dictio, qua ſcriptum eſt, Inter ſe quidem, quippe quæ non ſeparabiles ſint, cum tota uero anima tanquam diuiſibili exiſtente, inordinate collocata fuit. Quoniam ab animis ad particulas traducta eſt: & quoniam pro datiuo, utitur genitiuo. Nanque cum particula illa inter ſe in datiuo ponenda fuerit, in genitiuo apud græcos extat.

Dubitatio.

Reſponſum

NONAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

VIDETVR præterea & in plantis principium anima quoddam eſſe. Solam nanque hanc participant & animalia, & plantæ, & hæc quidem ſeparatur a ſentiendi uim habente principio. Senſum autem nihil ſine hac habet.

EXPOSITIO.

Cum animas appellarit diuersas in nobis uitas: de ea quidem, quæ rationis particeps est, aut ea, quæ sentire potest, quippe cum illud, quod principatum obtinet habeant, & a forma stent, & propter hanc quoque causam animæ rectè dictæ fuerint, haud quidpiam attulit. De uegetante uero, quod anima quoque sit, declaratione dignum iudicauit. Nam primo ipsam principium esse prædixit: deinde id ipsum demonstrat: ex eo scilicet, quod eam solam participent & animalia, & plantæ: & quia ipsa separari possit a principio sentiendi uim obtinente. Nihilque absque hac sensum habeat. Sensum scilicet qui pati possit: & qui ex sensorii percussione excitetur. Ex quibus satis superque uegetante uim a forma stare, principatumque obtinere confirmatur. Si nanque omnium confessione uitis illis adhæret, quæ formæ locum obtinent, atque principatum habent, ipsa quoque principatum, atque formæ locum obtinere dicetur. Et si sine illis, atque ex se plantas perficit: esse quoque omnino perfecta quædam animata forma debet.

PRIMI LIBRI FINIS.

STVDIOSIORIBVS PRAESTANTISSIMI PHILOSOPHI AC PERIPATETICORVM PRINCIPIS M. ANTONII PASSERI AVDITORIBVS.

IOANNES FASEOLVS S. P. D.

SECVNDI huiuſce libri initium praeclaram mihi occaſionem praebere uidetur: ut quaedam uobiſcum optimi condiſcipuli agam. De quibus licet ſeparatim cum aliquibus perſaepe locutus ſim: attamen quoniam nũquam antehac huiuſmodi oblata mihi fuit facultas, eam nũc nõ praetermittam. Ad octaui nanq; iam anni finem uentum eſt: ex quo praeſtantiſſimum philoſophum, ac his temporibus peripateticorum principem M. Antonium Paſſerum audiens, naturali ſcientiae operam do. Vnde et naturalis auditionis, et horum de anima librorum expoſitionem ter ab eo accepi. Quae eam ſane ob cauſam commemorare uolui: quo quae de huiuſmodi rebus a me dicentur: ab eo dici perſpicere poſſitis, qui et quae loquatur, nouerit: et quae cognoſcat uere narrare poſsit. Multi nanq; cum ſint Ariſtotelis interpretes: attamen duos ubiq; fere locorum a clariſſimo Doctore noſtro, aliis anteponi, animaduerti. Quod haud ob id ſane ab eo factum fuit, quod alicui addictus eſſet. Sed quia ueritati ſeruiens hos rectius in Ariſtotelis obſcuris, abditiſq; ſententiis ſenſiſſe, cognorit. Quorum alter ille eſt, quem uix ob nõnullorum faſtidium ſine praefatione nominare audeo. Arabẽ aũt illũ ſignifico, quem Auerroem uocant. Qui licet, ſi uerba ſpectare uelimus, obſcurus, ieiunus, incultus, horridus, atq; omnino barbarus dici poſsit: attamen is perſaepe eſt ſine quo uix ad ueram Ariſtotelicorum ſenſorum cognitionem peruenire queamus. Alter uero hic eſt, quem media in Graecia natum, mea nunc opera latine loqui uidetis. De cuius ſcribendi ratione illud tantum dicam: quod ut et philoſophus, et interpres abſq; ulla dubitatione ſcripſit. Quapropter nihil ſane mirum cuiquam uideri debet: ſi dum res difficillimas, ab hominumq; notitia remotas inueſtigat: in linguae elegantia, atq; nitore haud omnino occupatus eſt. Licet neq; hunc eam ob cauſam eſſe concedam, qui hac in re ullum ſubeat reprehenſionis genus. Caeterum ſi res ipſas, rerumq; notitiam tibi proponas, Dii boni, quantuſq; erit? Is nanq; eſt, qui uere Ariſtotelis ſcripta exponat: qui quae uir ille acutiſſimus nouerit uideat: qui omnem antiquorum uel Platonicorum, uel Pythagoraeorum diſciplinã teneat: qui eos defendere ualeat: cuiuſq; denique opera non pauci Ariſtotelis libri, hiq; in primis a nobis intelligi poſsint. Quare iam illud uobis perſuaſum eſſe debet: nullum eſſe, qui praeter hunc in manibus habendus ſit. Alii nanq; omnes: Themiſtio tamen excepto, quem non in interpretum ſed in autorum excellentiorum potius numero, propter diuinam, breuem, atq; abſolutam illam complectendi rationem colloco: duobus his, de quibus mentio facta fuit, cedunt. Verum et inter hos ita ſeſe res habet: ut quicquid boni, in his praeſertim de Anima libris, Arabs ille dixerit: de hoc ſumpſerit. Siquid uero rarum, atq; nouum, nec ſatis cui adhaereatur dignum, adduxerit, illud ſuum ſit. Quam ſane ob rem, quo ii pacto, qui ibi tempus conterent, ſe praeterea excuſandos putẽt: non uideo. Cum iam eum, per quem ille recte dicit habeant: et ita habeant, ut nihil purum, atq; ſyncerum, niſi elegans, ac nitidum in eo reperiri poſsit. Ibi autem omnia horride, atq; barbare ſcripta: nonnullaq; haud recte cum in Philoſophia, tum in Ariſtotelicarum ſententiarum expoſitione, extent inuenta. Huc itaq; optimi, mihiq; cariſſimi aduleſcentes, huc ſpectate: huc mentem illam ueſtram, atq; ingenii acumen dirigite: alios omnes negligite: Simplicium unum uobis die, noctuq; uerſandum proponite. Vobis iam dux praeſtantiſſimus ipſe noſter Doctor M. Antonius exiſtit: uobis hunc tradit: uobis commendat: uobis in coelum laudibus effert. Quicquid Auerroi hactenus tribuit eam ob cauſam fecit: quia uos hoc carere uidebat. Quo nanq; uti non poſsis, licet habeas, attamen ſine eo eſſe uideris. At is nunc Faſcoli ueſtri opera latinus factus eſt: et ita factus, ut perpauci forſan antehac Ariſtotelis interpretes ita facti ſint. Quare et in hoc ueſtram omnem operam collocate, et illum iam de manibus deponite. Cõfido enim ſi aliquid in hoc ſtudii poſueritis, illud quam primum euenturum, ut tum praeſtantiſſimae, ac maximae in philoſophia res notae fiant: tum ita tractentur: ut priſcorum, et graecorum, et latinorum ſplendorem referãt. Quae huiuſmodi nempe ſunt, ut ubi ambo uideris, nihil praeterea requiras. Haec itaq; ſunt, quae propter incredibilem quandam meam erga uos beneuolentiam, mihi hoc loco uobiſcum commentari uiſum eſt. Verum ne longior iam ſim, ad rem ipſam accedo. Vos quo ſoletis ſtudio bonis literis incumbite: me q; amate.

SIMPLICII COMMENTARIVM

IN SECVNDVM DE ANIMA ARISTOTELIS.

IOANNE FASEOLO PATAVINO INTERPRETE.

VM IN primo huius de anima tractationis libro, antiquorum opiniones historia prosecutus Aristoteles sit: easq; in medium adduxerit: atque inde substantiam animam esse, atq; incorpoream habuerit: & quod altera eius pars eiusmodi est, vt viuens ipsum corpus, quod mouetur, determinare possit: altera vero mouens sit: & quod anima quæ rationis particeps est, quasdam habet actiones: quæ neq; tanquam instrumento ipso vtuntur corpore. Deinde vero cum & illud quoq; consecutus sit: quod anima principatum in primis obtinet & quod cognoscit non ex elementari quadam conuenientia: sed ex huiusmodi conuenientia, quæ a forma stans, quæ cognosci debent, respicit. Cumq; præterea noster philosophus demonstrauerit, quid diuersum sit inter totorum elementorum, atq; animæ vim eam, quæ in particularia vergit: atq; vnam in vnoquoq; animam reperiri nobis etiam in memoriam reuocauerit: nũc ipse sua ex sententia ex hoc secundi libri initio contemplationem ordiens: & de omni mortalium animalium anima, tractationem hanc fieri volens, præcipue inuestigat quid commune omnibus animis sit: ex quo omnes sint, atq; dicantur, quæ mortalium, vt dictum fuit, animalium animæ. Verum quando neq; eiusdem speciei inter se sunt: neq; aliquid ipsis commune vni uoce ineſt: licet neq; omnino ambigue. Quandoquidem & vna quodam pacto animatæ vitæ significatio est: quæ scilicet intrinsecus mouendi vim habet. Non autem plures iuxta vnumquodq; singillatim: quemadmodum in iis, quæ pure ambigua sunt. Alia nanq; significatio terrestris canis est, diuersa ab ea, quæ marini, & ab ea, quæ cœlestis existit: & ab ea quoq;, quæ conuulsionem significat. Præterea vero animæ, quæ acquiritur notitia, & vna est, & cõmune aliquid habens, variat in vnaquaq; forma: ita vt & iuxta profunditatem varietas non pauca facta sit. Quemadmodum sese habent, quæ ab vno, & ad vnum dicuntur. Vnde fit vt necessaria sit horum contemplatio, non iuxta id tantũ, quod commune sit: neq; iuxta id solum, quod permutatum: sed secundum horum vtrunque. Quo, vt sese res habent, ita eas cognoscamus. Neq; enim quod commune absq; ea, quæ dicta fuit differentia: neq; quod permutatum, atq; varietatem perpessum, absq; illo communi, aut esse, aut exacte cognosci posset. Cæterum quando nostra cognitio, quæ diuisibilis est, non valet confestim a principio vtrunq; percipere: anteaquam speciatim vtrunque cognorit: ideo iure noster Aristoteles, quid commune sit, antea contemplatur: cum ita commune sit, vt quæ multis dicuntur modis. quemadmodum, quod est: quemadmodum bonum: quemadmodum vnum: quemadmodum salubre. Nõ solum enim, eorũ quæ vniuoca sint, sed & eorum quæ ita communia existant, vna est scientia. Vt ipse quoq; philosophus nos in ea tractatione docet: quæ post naturalia in manus sumitur. Vbi & vnam exẽpli causa, ipsius vnius affert rationem: licet illud multis dicatur modis. Eademq; ratione, & in naturali tractatione vnam motus definitionem dat. Neq; id vlla vituperatione dignũ, communem scilicet eorum, quæ multis modis dicuntur, afferre definitionem: quod huiusmodi quoq; est, vt vel necessario efficiatur. Verum quod in grauem reprehensionem incidit illud est: si communi contentus sis: neq; quod iuxta vnumquodq; propriũ sit, addas. Ita vt & ex communi simul, & ex proprio vniuscuiusq; exactam adipiscamur notitiã. Cæterum anteaquam vlterius progrediamur, illud quoniam maximi refert, iterũ in memoriam reuocandum: quemadmodum præcipuum nostri philosophi propositum est, de ea agere anima: quæ in mortalibus reperitur animalibus: quibus & nostra quoque rationis particeps adscribitur.

Aliæ vitæ significatio.

Analoga hęc his tpibus dicuntur.

PRIMA PARTICVLA.

QVONIAM aũt quæ tradita ſunt de anima ab aliis, quatenus unuſquiſq; explicauit, antea dicta ſunt. Nunc tanquam ex principio rurſum reuertamur. Ac conemur determinare quid eſt anima: & quæ ſit communitatis ratio eius.

EXPOSITIO.

Verba ſane illa tradita ſunt, non ſolum ſcriptis mandata fuiſſe ſignificant: ſed & accurate tractata. Quippe cum in tractatione apparuerit, & quod incorporea omnis anima ſit: & q; a ſubſtantia ſtat: & q; principatum obtinet, tãquam ea, quæ cum forma exiſtat: & quod impartibiliter iuncta ſit. Nobis autem Ariſtoteles pollicetur ſe determinaturum, atq; maxime communem animæ rationem traditurum. Ita, vt quæ omni animæ, de qua ſermo eſt, cõmuniter inſunt, contẽpletur: quo poſtea, quæ vniuſcuiuſq; propria admouere valeat.

SECVNDA PARTICVLA.

DICIMVS ſane anum quoddam genus eorum, quæ ſunt ſubſtantiam. Huius uero id quidem tanquam materiam.

EXPOSITIO.

Cum de ea ſermo ſit anima, quæ in mortalibus animalibus reperitur: quæ haud omnis eiuſdem eſt ſpeciei erga omnem: neq; eodem ordine ſolum inter ſe animalia diuidantur: ſed & ſecundum profunditatem maxima ſit in ipſis differentia: inueſtigat Ariſtoteles, vt iam dictum fuit: quod communiter omnibus ineſt. Licet non vniuocum illud commune ſit: ſed quod iuxta vnamquanq; formam variatur. Ita vt neque illud ipſum commune abſq; vlla varietate permaneat: non ſolum quatenus ad eas differentias ſpectat, quæ eodẽ diuidunt ordine: ſed & in profunditate per magnam permutationem iubeat. Quoniam & ipſum quoq; commune ſecundum ſe diuerſum efficitur: cum præſtãtius, aut ignobilius id ipſum ſit, quod vere eſſe dicitur. Neq; ita hæc diuiſio ſeſe habeat, vt in iis, quæ eodem ordine collocantur: cum hic iuxta illud ipſum, non autem iuxta differẽtias fiat. Nihil nanq; magis, aut prius, aut exactius color eſt, qui in albo, q̃ qui in nigro reperitur. Quod autem eſt, magis proprie, ac potius eſt in ſubſtantia, q̃ in aliis generibus. Et ipſum bonum magis proprie in diuina illa cauſa extat: q̃ in iis, quæ effecta ſunt. Et ex iis, multo magis in ſempiternis illis quam in iis, quæ ortui, atq; interitui obnoxia. Diuerſum itaq; redditum eſt, & quod in homine, & quod in equo reperitur animal. Licet id ab eis eius differentiis factum ſit, quæ diuidendi: non autem ab eis, quæ conſtituendi vim habent. Quapropter & non quatenus animal. Ipſum vero cœleſte, & terreſtre & quatenus animal. Incorruptibile nanque & corruptibile huiuſmodi ſunt differentiæ vt quod eſt, diuidere poſſint: animalis autem conſtituendi vim habeant. Ipſum vero per ſe agens, aut non, differentiæ ſunt, quæ illud conſtituere valent, quod eſt, & quod ſimpliciter, atq; aliqua cum conditione appetendum ipſum bonum ſtatuit. Quod itaq; hac ratione commune, & in ipſis animis inueſtigandum propoſitum fuit. Cum igitur ſubſtantiam omnem animam eſſe noſter Ariſtoteles ſumpſerit: quoniam vita anima eſt: & anima ſubſtantia: quoniam & ipſum quoq; animal: id autem ſubſtantia eſt. Ita, vt ante ipſum animal vita quoque ipſa ſit ſubſtantia: per quam, & qua ipſum animal determinatum eſt. Nanq; tanquam animal ſubſtantia eſt: & tanquam animal contrariorum ſuſcipiendorum vim habet: cum eius corpus iuxta vitam contineatur. Cum igitur, vt dixi, ex his ſumpſerit, animam eſſe ſubſtantiam: & non materialem: quoniam ſubſtantia materialis imperfecta eſt, iuxta obſcurum, atq; tenuem quendam formæ terminum, quatenus formarum recipiendarum vim habet, ſubſiſtens. Opus nanq; eſt, quod formarum recipiendarum vim obtinet, cum ipſis quandam habere conuenientiam: nequaquam tamen eas ipſas eſſe. Et viua ita q; materia, tenuem quandã habet cum vita conuenientiam, tanquam ea, quæ recipere valet. Vnde huic quidem poteſtate, animæ vero actu ipſum viuere adeſt. Anima ergo minime materialis animalium ſubſtantia

ſtantia eſt,neq; cõpoſita quoq; eorum ſubſtantia dici poteſt.Neq; enim primo: ſed ſecundo,& ex uitæ participatione ipſum animal perficitur.Et omne compoſitum ſecundũ formam eſt,atque hoc aliquid eſt.Ita,ut ipſa forma,& hoc aliquid,quod eſt,primo ſit.Et ipſa itaque uita ante animal etiam ſubſtantia eſt:& vtiuax ſubſtantia:non ceu ex participatione uiuens.ſed ceu id ipſum,hoc eſt,uita exiſtens. Hæc autem eſt animalium forma.Neque itaq; ſecundũ materiã,neq; ſecundum id,quod animatum ſubſtantia ipſa aĩa exiſtẽs,ceu forma erit ſubſtãtia.Subſtantiæ ſane tanq̃ materiã alteram partẽ philoſophus eſſe inquit,

QVOD ſecundum ſe quidem non eſt hoc aliquid.Alterum uero formam, atq; ſpeciem,iuxta quam iam dicitur hoc aliquid.& tertium quod ex his.

Illud hoc,hanc habet uim,ut determinatam indicet permanentiam.Quod nanq; in circunſcriptione quadam,atq; termino poſitum ſit:quodq; fere ſub ſenſum,atq; demonſtrationem cadat,ex additione illius particulæ,aliquis,& quod particulare ſit. indicare Ariſtoteles conſueuit.Particulare autem eſt,quicquid compoſitum eſt. At nõ quemadmodum forma,ea quidem particularis eſt:alia uero,quæ communiter eorum determinandorum vim habet:quæ eiuſdem ſint ſpeciei,vt in aliis determinatum fuit.Neq; igitur materia,hoc aliquid eſt:quippe quæ indefinita ſit,propter imperfectam ſubſtantiam ſuam,& poteſtate exiſtentem:& quæ termini quidem recipiendi vim habeat:verum haud adhuc determinata ſit.Neq; forma.Ea nanq; terminus eſt,& perfectio,& prima,atq; ſecundũ ſe ſubſtantia. At quod terminatur:& quod abſoluitur,atq; perficitur : & ſubſtantia ſecundum alterum eſt,illa exiſtit,de qua hoc aliquid dicimus.Quæ quidem ſubſtantia ex forma, tum quod ſubſtantia,tum quod huiuſmodi ſit ſubſtantia,cõſecuta eſt.Cum ex materia, quod indefinita quadam ratione ſit,& quod poteſtate habeat.Omne nanq; quod ex materia componitur,ortui,atq; interitui ſubiicitur,Et propter hanc cauſam,non eſſe,vel dum ſit,dici poteſt. Quippe cum in eo,quod nunc ſit,ſuum perfectum habeat eſſe:& ipſum quoq; antea non eſſe,ceu id,quod gigni potuerit:& vt poſtea non ſit:tanquam interire valens.& ita vtraque ex parte vim ipſius non eſſe nanciſcatur,At ex forma tum ipſum definite, atque perfecte eſſe:tum vt huiuſmodi ſit,conſequitur,

EST autem materia quidem potentia,forma autem actus.

Non ſane materia poteſtate eſt:ſed ſubſtantia poteſtate.Neq; ceu vnq̃ actu futura. Manet enim ſemper quod vere eſt. Sed ex illa recipiendi facultate perficitur: & ita ſubſtantia quædam tenuis,atque imperfecta eſt.Forma autem actus eſt,tanq̃ perfectio, & in perfectione ſuum habens eſſe:& ceu id exiſtens,quod eſt:cõpoſitum in perfectione continens.

ET hæc dupliciter:altera quidem,ut ſcientia:altera uero,ut ipſum contemplari.

Cum formam quãdam vel animam ſit Ariſtoteles collocaturus:cumq; puram,atq; eã, quæ primo forma ſit,impartibilem omnem nouerit:& ob hanc quoq; cauſam nequaquã actionem a ſubſtantia ſeiungentem:ſed ſua ex ſubſtantia actum exiſtere.Cum animã ceu primo ab impartibili illo decidentem viderit:& quæ diſtinctam habeat a ſubſtãtia actionẽ: & ita,quæ neq; ſemper adſit,cũ in corpus vergat,ideo dupliciter inquit formã eſſe. Haud eam tamen intelligens,quæ ſine materia ſit:neq; eam,quæ illorum determinandorũ vim habet,quæ ſine materia ſunt.Sed quæ eorũ,quæ ortui ſubiecta.Quorũ aĩæ non eãdẽ ſemper agunt actionẽ.Et formæ oẽs aliorum oĩum variando tamen,determinandorũ facultatẽ habent.Perſpicue itaq; mortalium aĩalium aĩa,non in eo perficitur,quod agat: quippe quæ aliquando ſit,& non agat:aut non eodẽ modo agat. Quapropter ſecundũ habitum actus eſt.Nequaq̃ aũt illa actio,quæ ex habitu fit.At in iis quæ ſine materia ſunt, eadẽ eſt cum ipſa actione ſubſtantia.Et in ipſa anima quoq; quicquid eius omnino ſeparabile: licet ſecundo,atq; propter illam coniunctionem cum mente contrahat in actionem.

TERTIA PARTICVLA.

SVBSTANTIAE uero in primis eſſe uidentur corpora:& ex his naturalia. Ea nanq; aliorum principia.

EXPOSITIO.

Cum triplicem ſubſtantiam aſsignarit: vnam quidem, tanquam imperfectam, ac nõdum determinatam: quæ indefinita quidem exiſtit: verum nequaquam ipſi termino aduerſatur: atq; adeo eius recipiendi vim habet, atq; ipſum appetit. Alteram vero determinatam: ſed non ex ſe: nam ex alia: eaq; forma eſt: quæ & quod indefinitum, quadam ratione participat. Tertia vero tãquam primus terminus, atq; perfectio exiſtit: ſiquidem per eam compoſitum ipſum eſt: & ſiquidem actus ipſa forma eſt. Inueſtigat igitur in quanam ex his anima collocanda ſit. Præſertim quia antea ipſam ſubſtantiam eſſe, ex iis, quæ ab ea determinãtur, nobis oſtendit. Nobis nanq; priora ſunt: quæ naturæ reſpectu poſteriora. Determinantur autem anima, tum animata, tum viuentia. Quod vero hæc ſubſtãtiæ ſint, ex eo confirmauit: quod omnia naturalia corpora ſint: quæ omnibus ſubſtãtias eſſe, perſpicua ſunt. Quippe cum neque in ſubiecto ſint: & contrariorum recipiendorum vim habeant: & quia ſenſui quoq; notiſsima ſint. At videntur etiam mathematica nonnullis eſſe ſubſtantiæ: quemadmodum Pythagoræis. & quæ arte conſtant, vt multitudini. Exempli gratia lectulus, & nauigium: propter ligna ſcilicet, quæ ipſis ſubiecta ſunt. At ita ſeſe rei veritas habet: quod ex his ſola naturalia corpora ſunt: quæ & videntur, & exiſtunt. Hæc etenim aliorum principia ſunt: atq; eorum in primis, quæ videntur: ſed non ſunt. & mathematicorum, tanquam eorum, quæ ex ablatione accepta ſint. Eorum vero, quæ arte fabricata ſint: tanquam illorum, quæ in naturalibus ſuum habeant eſſe.

EX NATVRALIBVS uero, alia quidem habent uitam: alia uero non habent. Vitam autem intelligimus per ſeipſum nutritionem, & accretionem, & decretionẽ. Quare omne corpus naturale participans uitam, ſubſtantia eſſe poterit. Subſtantia autem ita, ut compoſita.

QVARTA PARTICVLA.

QVONIAM autem eſt corpus tale, uitam nanq; habens: haud eſſe poterit corpus anima. Neq; enim eſt ex iis, quæ de ſubiecto corpus.

EXPOSITIO.

Non habent ſane vitam, quæ diuulſa ſunt ab elementis, & quæcunque mortua ſunt. Aguntq;, quæ ipſam habent: nequaquam tamen ceu accidens quoddam ipſam participãtia: quemadmodum lignum lecti formam participat. Subſtantiæ nanq; ipſa viuẽtia ſunt. Vnde ſubſtantia ipſa quoq; vita eſt: atq; ea præſtantior, quæ corporata eſt. Siquidem per ſe continentur corpora illa animalium inſtrumentaria: & contrariorum recipiendorum vim habent. Aliaq; præterea ratione viuens ipſum corpus magis ſubſtantia eſt, q̃ id, quod anima caret: quia viuentia & ex ſe ad actionem excitantur: & vt ſubſtantias gignant, facultatem habent. Tum ſubſtantiæ itaque, tum multo magis ſubſtantiæ viuentia ſunt, q̃ ea, quæ anima carent. Quare & ipſa quoq; vita, iuxta quam viuentia exiſtunt, ſubſtantia, & primo, & ſecundum ſe ſubſtantia eſt. Et adhuc magis illa iuxta quam, aut a qua viua ipſa redduntur viuentia. Anima vero illa eſt iuxta quam: & in primis ea a qua. Ea enim iuxta quam particula eſt animæ, aut ſpectrum animæ. Ipſum vero mouens, quæ proprie anima eſt. Vitam autem appellat nutritionem per ſeipſum, & accretionem, atq; decretionem. Non quia in his ſolis ipſum viuere collocatum ſit. Cum & appetitus, & ſenſus, & intellectus vitæ ſint. Neq; quia omne viuẽs harum particeps ſit: ſed ſola mortalia. Quoniam neque nutriuntur, neq; creſcunt, neq; decreſcunt ipſa cœleſtia. At quando animatorum Ariſtoteles, quẽadmodum & Plato quoq; proprium eſſe vult, ipſum intrinſecus moueri, poſtremam in his accepit vitam, demonſtrans, & eam quoq; motum quendã ordiri. Nutritio nanq;, & accretio, atq; decretio, mutatio ſecundũ qualitatẽ, atq; quantitatẽ eſt. Quarũ vna implet, quod deficit, ſecundũ vim ſuã: atq; in quanto poſita eſt. Altera vero abũdeq; aduehit, atq; addit. At tertia vtroq; modo adimit. Cæterũ fit quidẽ & in iis, quæ anima carent additio, atq; ablatio. Verũ cum ex ſeipſo fiat, tunc animatorũ proprium. Ipſe nanq; ignis, qui

comburendi

comburendi vim habet,& permanet,& maior fit:quia ſcilicet diuidatur:atq; alius alibi collocetur:cum alibi quoq; alia ratione ardẽtem materiem occupet. Vnde neq; nutritio, neq; accretio hæc dici poteſt. Neq; enim permanet,qui a principio ignis aderat. Sed ortus,atque interitus ignis eſt:cum alius quidem corrumpatur:alius autem fiat:dũ ab alio priori ſemper qui deinceps ſequitur,fit. Cereæ vero pilæ,ſi in ſuperficie paruũ quid admouerimus: priorem quidem magnitudinem augebimus:cum tamen illa cera nihil, quo ad accretionem agat:ſed ſolum patiatur:neq; per eam ipſam totam præterlabatur. At ſi aqua quoq; ſit:quæ quantacunq; erat,remaneat:maiorq; fiat,quia quæ prope ipſam poſita ſunt, putreſcant,in aquam q; conuertantur,neq; nutritur,neq; augetur. Neque enim confirmatur quæ iam eſt:ſed alterius hic quoq; accidit ortus. In plãtis vero,atq; omnino in iis, quæ nutriuntur,vis illa quæ nutritionem trahit intus eſt:& quæ ipſam alterat:quæq; iis adiungit particulis,quæ intus exiſtunt:& quæ eas ipſas totas,per totas corroborat. Viuũt itaq; hæc, quoniam intrinſecus ipſum mouens exiſtit,atq; id,illa particula,per ſeipſum indicat. Nãq; in extrema illa vita non ſolum illud eſt,quod viuaciter mouetur:hoc eſt, quod nutritur, & augetur,& diminuitur:ſed & ipſum quoq; mouens:& vis illa,atq; ſubſtantia,quæ hæc ipſa peragit. Ipſum quidem igitur viuens corpus ſubſtantia eſt:tanquam compoſita ſubſtantia ex corpore & anima. Anima vero prope vitam poſita eſt,non iuxta corpus. Neque enim animatum illud corpus eſt,quod vita priuatum ſit. Nondum aũt,animam nomino.

POTIVS autem tanquam ſubiectum,& materia. Neceſſarium itaq; animã ſubſtantiam eſſe.

Neq; enim quemadmodum ſubſtantia accidentibus,ita corpus vitæ ſubiicitur, ſed ceu materia formis. Quæ ſcilicet actu determinatur,atq; abſoluitur,perficiturve ab eis. Quapropter cum dixerit tanquam ſubiectum: quo indicet, qua ratione ſubiectum, addidit & materia. Haud ſane iuxta compoſitum anima eſt:quandoquidem iuxta ipſam: nõ autem ipſam et animatum eſt.

TANQVAM formam corporis naturalis,poteſtate uitam habentis.

Quandoquidem formam eam Ariſtoteles inueſtigat:quæ communiter illi omni animæ ineſt:quæ in mortalibus reperitur animalibus:ideo non ſeparabilem,neq; eam affert formam:quæ ſuiipſius eſt:ſed quæ corporis determinandi vim habet. Ea nanq; omni animæ communis eſt. Et poſt formas anima exiſtit. Subſtantia nanq;,quæ a forma ſtat, impartibilis eſt. Animata autem ſubſtantia vita quædam eſt conuoluta. Id quod actio illa, quæ rationis particeps eſt,indicat:cum a propria ſubſtantia quadam ratione recedat:& in ſeipſam tanquam in alteram conuertatur:& cum iis,quæ cognoſci debent, non ſine receſſu quodam coniungatur. Poſt formas itaq; anima exiſtit. Verum ad eam adducitur cauſam,quæ formalis dicitur:quẽadmodum & naturales omnes rationes. Anima nanq; terminat:& ex ſe confirmat,atq; perficit illa:quæ ipſam participant. Vnde & actus quoq; dicitur. Sunt igitur formæ quædam,quæ poſt illas primas exiſtunt:quæq; ſuiipſarum omnino ſunt:atq; aliorum determinandorum vim habent. Quemadmodum naturales omnes formæ:& formæ illæ quæ animarum exiſtunt. Qualis & illæ quoq; intellectus eſt,cuius anima noſtra particeps eſt. Verum naturalis quidem forma,licet non omnis viuax ſit: differt ex impartibilitate ab anima. Ois nanq; forma impartibilis. Anima vero ratio quædam eſt circa viuacem formam conſtituta:quæ conuoluit multitudinem illam:quæ coniunctim in forma antea ſumpta fuit. Illud vero quod ſeparabilis animæ determinandæ vim habet,eſt quidem & ipſum,haud omnino ſuiipſius: ſed ita, vt alterius ab anima fiat. Licet non corporis: ſed animæ ſit. Anima vero quæcunque alterius eſt, actus corporis omnino eſt, atque huius naturalis. Quandoquidem ſubſtantiæ cauſa eſt. Quod autem mathematicum eſt, nequaquam ſubſtantia eſt. Et naturalis non ſimpliciter: ſed poteſtate vitam habentis. Iuxta nanque animam, vita collocata eſt. & quod ipſius particeps eſſe debet: eam habere uim opus eſt, vt vitam recipere poſſit. Neque omnia naturalia ſimpliciter: ſed ipſa viuentia anima perficiuntur. Atque

anima actus eſt corporis: quod poteſtate vitam habeat. Nanq; mortale corpus iam viuēs, poteſtate viuens eſt: quippe cum non innatam corpori, ſed accedentem ex animæ præſentia tunc vitam recipiat: atque ex hac temperatione, atque inſtrumentorum conſtructione aptum reddatur. Et cœleſtis itaq; anima quoq; perpetui illius corporis determinandi vim habet: ſed neq; in ipſum vergens: neq; ipſe tanquam inſtrumento vtens. Atq; adeo forſan cœleſte corpus neq; poteſtate vitam habet. Neq; enim ſolum accedentem: ſed & vna ſua cum ſubſtantia confirmatam vitam habet. Quapropter alia quoq; ratione illud animatū eſt: ceu iam actu viuens: & ceu id, quod ex ſuo motu, quodam modo a ſeipſo erga animā extendatur: & cum ipſum illius ſit: non autem anima ipſius exiſtat: ſed ſuiipſius illud reddat. Mortalium vero animalium anima, actus eſt naturalis corporis: cum tamen non forma, ſed ratio exiſtat. Rationes vero formales ſunt ſecundo loco cauſæ. Actus itaq; rationis particeps anima eſt: & non ſuiipſius: neq; quia in ſeipſa tota permaneat. Quæ aut tota ita perficitur: quia corporum determinandorum vim habeat: cum in ſeipſam non conuertatur: aut dum duplices habet vitas: ex impetu illo in corpus: & ex eo, quo ab eaipſa extrinſecus extenditur: aut tanquam corpus ipſum viuum efficiens: aut ceu ipſo viuente vtens. Nanq; ipſa actus eſt naturalis corporis poteſtate vitam habentis, quemadmodum & gubernator quoq; nauis. Tanquam ea, quæ vim mouendi habeat: atque viuente ipſo vtatur corpore. Quod quidem viuens corpus inſtrumentum hanc etiam ob cauſam dicitur: ceu ſcilicet vtenti ſubminiſtrans animæ. At ex naturalibus ea quoq; ſunt, quæ anima carent: quæ forma quoq; affecta ſunt: verum nequaquam ceu inſtrumentaria. Quoniam neq; ipſum mouens, neq; quod vtatur intrinſecus habeant. Id nanq; animatorum propriū eſt. Ita, vt anima ab aliis naturalibus formis differat: quia duobus modis ſit actus: tum qui determinet ſcilicet: tumq; qui inſtrumentum mouere valeat. Cæterum cum vim illam determinandi antea aſſignarit: poſtea vim mouendi, tanquam perfectiorem admouere videtur. Quando & inſtrumentarium illud omni mortaliter viuenti corpori aſcribit. Omnino quidem igitur conuenit inſtrumentarium illud, cum eo, quod poteſtate vitam habeat. Haud tamen ratione idem eſt: neq; eiuſdem vitæ reſpectu abſq; vlla varietate dicitur. Verum vitam quidem habet, ceu id, quod viuaciter forma affectum ſit: & iuxta quam vitam forma afficitur. Inſtrumentum autem efficitur vitæ illi, a qua etiam viuum redditur. Ita, vt innate ipſa vtatur: & ſolam appetat. Varium autem exiſtit id a quo mouetur, reſpectu eius ſecundum quod: ceu id quod formalis cauſæ efficiendæ vim habeat. Vna quidem igitur tota animalis anima eſt. Verum alteram quidem partem ſeiūctam habet, eam ſcilicet quæ moueat, atq; vtatur: alteram vero extenſam: & quæ illius eſt, ceu ipſum determinans.

QVINTA PARTICVLA.

SVBSTANTIA uero actus. Talis itaq; corporis actus.

EXPOSITIO.

Cum dixerit, atq; poſuerit animam eſſe ſubſtantiam, tanquam formam: admouet ceu maiorem propoſitionem, ſubſtantiam eſſe actum: eam ſcilicet intelligens ſubſtantiā, quæ tanquam forma. Quandoquidem multis quoq; in locis formam ſubſtantiā vocat. Quoniam itaq; anima ſubſtantia eſt, quæ a forma ſtat: actus erit huiuſmodi corporis: eius ſcilicet quod poteſtate vitam habeat. Dictum autem fuit, quemadmodum illud intelligitur: quod iam quidem viuat. Verum poteſtate viuere dicitur: quia non per ſe, neq; ceu corpus incorruptibile viuit.

IS AVTEM dicitur dupliciter, Alter quidem ut ſcientia: alter uero ut ipſum cōtemplari. Manifeſtum igitur, quod ut ſciētia. In eo enim quod eſt, ineſſe animam, ſomnus, & uigiliæ ſunt. Ex proportione autem ſeſe habent, uigiliæ quidem cum ipſo contemplari. Somnus autem cum ipſo habere, & non agere.

Quod commune cuiuſq; mortalium animalium animæ indicat: non autem quod ſeparabile: quodq; in ſubſtantiam actionem reducit ei aſſignat. Proprium nanq; id animæ

intelligentis

intelligentis eſt: eiuſq; vbi ſeparata fuerit. Quoniam & noſtra anima, quæ rationis particeps eſt, iuxta impetum illum in corpus diuiſum, ex ſubſtantia actionem nanciſcitur. At neq; ſemper perfectam, neq; ſemper totam præſentem. Deficit itaq; inter dormiẽdũ actio illa, quæ ſentire valet. Forte fortuna vero, & quæ cogitatione concipere poteſt in ebrietatibus, grauibuſq; ſoporibus etiam deficit. Nunquid autem & omnis cognitio, quæ in conſtitutione animæ a ſeipſa recedentis poſita eſt: & in impetu illo, qui extrinſecus tendit: in vehementibus inſtrumentorum præter naturam affectionibus impeditur? Verum id quoq; poſtea inueſtigabimus. Sin itaq; non ſine cõtinuitate quadam animato adeſt anima, quæ viuaciter in ipſum agit: vim quidem illam uiuaciter corporis ſubiecti determinandi, quæ ipſi conceſſa eſt, non ſine continuitate agit: at eam, quæ cognoſcere ualeat, nequaq̃. Inter dormiendum itaq; eam relinquit, quæ ſentire poteſt: ut & in ebrietatibus, grauioribusve ſoporibus eam, quæ cogitatione concipiat. Quapropter neq; ſua ex ſubſtãtia actio eſt anima, quæ cognoſcendi uim habet: neq; omnino actionem cognoſcere ualentem, quæ ſubſtantiam ſuam conſequatur, habet: quando ſcilicet cum corpore communicat. Siquidem aliquando licet præſens ſit: attamen minime agit. Subſtantia itaq; habitui ſcientiam pariẽti ex proportione reſpondet: actio uero quæ cognoſcere ualeat, contemplationi. Nanq; in iis, qui ſcientiam poſſident, habitus continenter adeſt: donec ſcilicet ſciant. Cõtemplatio uero illa ſecundum ſcientiam non ſemper adeſt. Verum licet, eum quoq; qui ſciat, nihil agere. At ſumpſit Ariſtoteles pro actione illa, quæ cognoſcendi vim habeat, vigilias: pro ocio vero, & ceſſatione, ſomnum. Viuax náq; actio & ipſe ſomnus eſt, cum ſenſuum quies ſit. Verũ haud ex languore, imbecillitate ve vlla, ſed ex vi. Vigente nanq; natura, atq; ea viuaci exiſtente ipſum dormire adeſt. Cæterum id haud actio huiuſmodi exiſtit, quæ cognoſcẽdi vim habeat: ſed quæ potius cognitionem reprimat. Licet igitur haud ita anima agat, vt cognoſcere valeat: attamẽ aliquid ipſa anima agit. Propter quam itaq; cauſam primus eſt actus, non autem is, qui prope ipſum agere permanet. Quamuis enim haud illud futurũ ſit, vt contemplandi vim habeat: attamen ſimpliciter ſecundum naturam agere poterit: atq; etiam aget: ne fruſtra ſit. Fruſtra enim nullum, aut naturæ, aut adhuc magis ipſius Dei potẽ eſt, eſſe opus. An forſan non iuxta omnem actionem determinatum fuit primum eſſe actum: ſed iuxta eam, quæ contemplandi vim habeat: quippe cum, haud quotieſcunq; ſit, hanc anima agat? Forſan autẽ illud melius eſt, vt dicamus: ex his ſcilicet demonſtrari mortalium animalium animam: quæ actionem a ſubſtãtia ſeparatam habet. Ita, vt cũ ex ſubſtantia, atq; vi, quæ actionis proferendæ facultatem habet, ſuum eſſe nanciſcatur: aliam quoq; perfectionem habeat: cum agat. Hacq; ratione ab intellectu differat: qui ſua ex ſubſtantia actio eſt. Et ab ea quoq; anima, quæ in idem, atq; vnum cum intellectu recurrit: & hoc pacto ambo coniũgit: atq; in ſubſtantiam actionem reducit. At mortalium animaliũ anima omnem actionem a ſubſtantia ſeiungere videtur. Licet enim aliquam ſemper præſentem habeat, ceu eam, quæ viuum efficit: attamen ſi quacunq; propria, atq; conueniẽti actione vnq̃ priuaretur, haud eſſet pure impartibilis. Ante aliam omnem nanq; diuiſionẽ tum loci, tum temporis: & ante eam, quæ in vi diuerſarum proprietatum poſita eſt: iuxta quam ſubſiſtunt eiuſdem ſpeciei atoma, & ante exitum in accidentia illa apparet partitio, quæ actionis a ſubſtantia eſt. Patet autem, quemadmodum huiuſmodi facta fuit partitio in mortalium animalium anima. Siquidem neq; ſemper, neq; quaſcunq; reddit actiones: quas agere apta eſt. Cum ita ſeſe habet, vt nunc: corporis cõmertio, atq; cõſuetudine vtens.

Dubitatio.

Reſponſum primum.

Secundum.

SEXTA PARTICVLA.

PROIR autem ortu in eodem, ſcientia. Quapropter anima eſt actus primus.

EXPOSITIO.

Omnis nanq; generationis progreſſus ab imperfecto, ad perfectum fit: & priora poſterioribus imperfectiora: habituſq; ille ſcientiam pariens, qui ſine actione exiſtit, illo minus perfectus eſt, qui cum actione extat. At natura, & permanentia, & tanq̃ cauſa, perfectum prius eſt imperfecto. Dum autem fit, tempore imperfectum perfecto prius. Atque tunc de vno, atq; eodem, ambo, perfectum ſcilicet, atq; imperfectum, conſiderantur. Quoniam &

in ortu, generationeve, aliud quoddam perfectum præexistere oportet, ex quo in alio imperfectum ad perfectionem reducatur. Ceu semen quod ab animali perfecto, ipsum generante perficitur. Verum cum de eodem sermo est, quod imperfectius prius. Semen nanq; antea est: deinde infans: deinde animal. Cæterum si anima ingenita est, quonam pacto cũ ex eo, iuxta quod, imperfectior existit, perficiatur: deinde quod perfectius sit, aliquãdo obsinebit: cum agat? Manifeste nanq; Aristoteles quod ita prius est, ortui cõcesit. Et propter hanc causam primum quoq; actum animæ conuenire voluit: quippe qui haud omnino perfectus. Neq; ea sane ratione, qua Plato, generationis vocabulo in anima vtitur: propter primum scilicet illum in diuisionem subingressum: & nõ quia vnquam nostra anima ab eo demonstrata sit, ortu, atq; interitu carens. Nondum autem loquor de præstantiori illa: quam nobilissimam eorum, quæ genita sunt, appellat. Nanq; absq; vlla dubitatione Aristoteles geniti nomine tunc vtitur: cum de iis agit, quæ aliquando sunt. Nunquid igitur huic dubitationi obuiam eundo dicendum est: quod licet non secundum substantiam, at secundum actionem, atq; perfectionem, quod ortui, atq; interitui obnoxium sit, in humana consideratur anima: cum aliquando ita deterior reddatur: ac fere deuinciatur? Sin autẽ ita dicamus, vt Iamblicho videtur: cum ex substantia illa, quæ pati non possit, atq; perfecta sit, nunquam distorta, atq; imperfecta proficiscatur actio: ea ratione, & secundum substantiam quoq; afficeretur. Ita, vt eo pacto dicenda sit media: non solum inter ea, quæ partibilia, atq; impartibilia: neq; inter ea solum, quæ permaneant, & ea, quæ prætergressa sint: neq; inter intelligentia tantum, & ea, quæ ratione careant: sed & inter ingenita, atq; genita. Cum ex eo, quod eiusipsius permanẽs, & intelligens, atq; impartibile, ingenita sit. Ex progressu vero illo, atq; ex eo quod partibile, & ex illa societate cũ eo, quod ratione caret, neq; ipsum ingenitum purum nacta sit: quemadmodum neq; ipsum intelligens. Quandoquidem haud ipsum impartibile, aut ipsum permanens, neq; ipsum genitum extremis simile est: iis scilicet, quæ omnino aliquando non sunt. Sed illud quidem fere quadam ratione a seipso recedere, ex illa cum ortu affinitate, neq; adhuc simpliciter permanere. Sed vtrunq; simul subire: quod est, permanere, quod vere sit: atq; fieri. Quod vero nunquam ab ipso ingenito deseritur: sed semper ei appensum est: & intrinsecus habet ipsum permanere: ac huiusmodi fere est, vt influat, atq; replere valeat, quod recedit. Quod itaque ipsius animæ genitum, atq; progrediens est, nunquam sine illo permanenti, atque ingenito reperitur. Quod vero ingenitum, aliquando ab omni illa societate, quam cum ortu habet, liberabitur: in vita scilicet illa, quæ a corporibus separari potest. Quapropter & immortalis anima est, & permanens: quippe quæ semper immortalitatem, atq; permanentiam intelligentis illius vitæ, subiectam habeat. At suiipsius respectu, nostra diuersa redditur. Nanq; in separabili, atq; intelligente illa vita, quatenus ei conuenit, purum, atq; summum illud immortale, & permanens, atq; indiuisibile occupat. Nam separata, vt dicetur, id est, quod vere est. In illo autem impetu ad ea, quæ extra haud omnino permittit seipsam permanere. Quod indicat omnis actio rationis particeps: quæ haud sine conuersione in seipsam fit. Vnde & fides approbationem, atq; consensum sequitur: nam antea diiudicauit, quod cognitũ fuit, verum esse, atq; ita assensa est. Id enim ipsa est fides. At id præterea indicat & reuocatio illa, quæ intrinsecus rursum ad id, quod præstantius sit: & illa ex seipsa perfectio. Quæ tamen haud eiusipsius puram seruat permanentiam. Propter illum nanq; impetum ad ea quæ extrinsecus simul tota, & manet, & progreditur: & neutrum habet ab altero omnino liberum. Vnde & tunc illud eius immortale repletur a reliquo secũdum seipsum totum: neq; immortale solum permanet. & quod ingenitum est, quadam ratione fit. Quemadmodum & quod eius impartibile partitur. Cum haud amplius substantia sit, quatenus ei fas est. Iuxta illud itaq; suiipsius genitum anima primus est actus: propter illã scilicet partitionem actionis a substantia. Non autem iuxta id, quod scit. Neq; enim ipsa compositum est. Sed ceu scientia, aut ceu forma.

Dubitatio.

Responsum primum.

Secundum.

Fides quid?

CORPORIS naturalis uitam habentis potestate. Huiusmodi autem, quod sit instrumentarium.

Dictum iam fuit, quemadmodum duplex animata animalium vita est. Altera quidē qua instrumentum, quatenus instrumentum forma afficitur: quo & animæ instrumentum sit. Altera vero ceu vtens instrumento iam viuente: quæ haud diuersa omnino vita est. Neq; enim sua ex natura eo vteretur, & moueretur: si aliunde viueret. Sed vna est, quæ duas formas refert. Quarum altera instrumenti effingendi vim habet: haud tamen vt mouens: sed vt ea: quæ id quod viuaciter mouetur, formare potest. Altera vero ceu mouens, atq; vtens. Nanque omnis mortalium anima iuxta vtranq; actus est. Quandoquidem & viuaciter mouetur: & ipsum mouens intrinsecus est. Atq; duplicem eius vim Aristoteles ex illo actu assignat. Cum ipsam, & potestate vitam habentis dicat, & corporis instrumentarii. Hæcq; ambo omnino conueniunt: ita, vt & quod potestate vitam habet, instrumentum sit animæ: & animæ instrumentum potestate vitam habeat. Haud tamen idem ambo significant. Sed alterum quidem extremam solam indicat vitam: iuxta quam, ceu id, quod viuaciter mouetur, forma afficitur. Alterū vero, eam, quæ ipso vtatur, atq; moueat. Quapropter ambobus his opus est, ad perfectam animæ definitionem. Quo, & q; táquam instrumento ipso vtatur corpore, indicetur.

INSTRVMENTA autem & plantarum partes. Sed omnino simplicia. ut folium circunfructus protectio. Circunfructus autem ipsius fructus. Radices autē ori ex proportione respondent. Ambo nanq; trahunt nutritionem.

Quādoquidem extrema existens plantarum anima: actus quidem perspicue eius est, quod potestate vitam habeat: haud tamen omnino eo tanquam instrumento vtitur. Neq; enim videtur seiunctum quidpiam habere, quo etiam moueat. Nunc Aristoteles confirmat: quemadmodum non solum viuæ sunt plantarum partes: sed & ceu instrumēta, animæ aliæ propter aliarum rerum vsum seruiunt. Ita, vt vel in vegetante anima, quod vtatur, sit. Neq; enim forte fortuna folia tegunt circunfructum, is autem fructum. Aut radices, quæ ex proportione ori respondentes a terra nutritionem trahunt: totiq; plantæ condonant: casu id agunt. Cum a planta quælibet moueātur, quæ in planta est: quæ mutuo, & totius quoq; respectu intrinsecus coordinat, atque mouet in proprium, conuenienſq; opus, quælibet.

SEPTIMA PARTICVLA.

SIN autem aliquid commune de omni anima oportet dicere: esset primus actus corporis naturalis organici.

EXPOSITIO.

De ea scilicet, quæ extra tendit: ad corpus vergens: quæq; corpore vtitur, ceu instrumēto. Quoniam eam, quæ in seipsa manet: non autem ex impetu in ipsum corpus, eius fit: intellectum appellat. Quādo uero commune id, haud vniuocum est: sed vt ea, quæ ab vno dicuntur: horum autem exactam definitionem reddere non possumus: vt dictum fuit: sine ea, quæ propria iuxta vnumquodq; sit: oportetq; vtrunq;, & quod commune, & quod proprium cognoscere: propter hanc ergo causam dicit: & quod communiter omni inest: & non sine quadam dubitatione insistit. Si oportet dicere, inquiens. Quandoquidem necessarium quidem est dicere: haud tamen sufficit, nisi adiunctum fuerit, & proprium. Verum cum mentionem faceret de communi definitione, præteriit illud potestate vitam habens: ceu id, quod omnino cum proximo animæ instrumento inferatur. Viuere nanque ipsum necessarium est. Quodum per vitam mouenti colligatur animæ: absq; vlla vi, & sola appetitione animæ excitetur.

QVAPROPTER etiam non oportet inuestigare, si unum anima, & corpus. quemadmodum neq; ceram, ac figuram. neq; omnino cuiuscunq; materiam, & id cuius materia. Ipsum nanq; unum, & ipsum esse, quoniā multis modis dicitur, quod proprie, actus est.

Exactius in iis,quæ naturalia ſequuntur,expoſitum fuit: omne quod eſt, omnino & vnum eſſe. Verum forma,& quod eſt,& vnum primo,ac ex ſe exiſtens,eſt. Compoſitum nanq; ex forma ſubſiſtit. Quemadmodum enim ipſius eſſe,ita & eius,quod eſt, vni eſſe, forma compoſito cauſa eſt. In omnibus quidem,ceu id,iuxta quod. At in iis, quæ animata ſunt,etiam ceu id,a quo. Quoniam proprium eſt,eorum,quæ animam habent, præter alia naturalia corpora,vt principium ipſius mouere in ſe cõtineant. Multis quidem igitur modis & ipſum vnum,& ipſum dicitur eſſe. Quoniam aut ſecundum ſe, aut ſecundum aliud,aut ceu imperfectum,atque poteſtate: vt quod cum materia eſt. Quod vero proprie actus eſt. Quandoquidem ſecũdum ſe id exiſtit,& primo,& cauſa: tum compoſito ex neceſſitate exiſtenti,tum vni exiſtenti: ceu id,quod iuxta id,quod ſecundum ſe ſit, at vnũ determinetur. Quemadmodum enim quod albedine honeſtatur album eſt: ita quod eo, quod eſt,atq; vno,etiam vnum ex participatione,atq; compoſite exiſtit. Verum neq; ſimpliciter,neq; ſecundum ſe. Ita, vt quem retinet reſpectum ipſum album erga albedinem: eum quoq; reſpectum ſeruet,quod determinate id quod eſt,atq; vnum,eſt,erga id,quod formaliter quod eſt,atq; vnum eſt. Licet hic diuerſa, atq; uaria non ſint in uſu uocabula: quemadmodum in ipſa albedine,atq; albo.

Alatorum proprium.

OCTAVA PARTICVLA.

VNIVERSALITER quidem igitur dictum eſt, quid eſt anima. Subſtantia nanq; quæ iuxta rationem. Id enim ipſum quid erat eſſe huiuſmodi corpori.

EXPOSITIO.

Hæc itaq; concluſio eſt eorũ,quæ in hoc ſecundo libro prædicta fuere. Illud uero uniuerſaliter haud ceu id,quod uniuoce dicatur interpretandum eſt. Sed ceu cõmune ſimul, ac varium. Illud uero,ſubſtantia nanq;,quæ iuxta rationem: pro eo,quod eſt, ſecundum formam dictum fuit. At quadrat magis de anima illud ſecundum rationem dicere,q̃ ſecũdum formam: propter ſubingreſſum illum ex indiuiſibili,in orbem, atq; cõuolutionem. Reſpectuq; illius cauſæ quæ a forma ſtat,ac formalis dicitur, ratio eſt. Verum quoniam & formæ,& rationes,aliæ quidem omnino a corporibus ſeparabiles ſunt: aliæ uero inſeparabiles: ceu eæ quæ haud in ſeipſis perficiantur. Subſtantiæ nanq; primæ formæ ſunt. Sed tanquam illæ quæ corporum determinandorum uim habent: atq; ea ratione inſeparabiles ſunt. Non ſeparabilem formam,aut rationem animam eſſe concludit. Nam ceu ipſum quid erat eſſe huiuſmodi exiſtit corpori. Id nanq; illud erat, quod actus inſtrumentarii corporis dicebatur. Quandoquidem id erat cõmune uitæ rationem participanti,quæ in nobis reperitur,cum aliis quoq; animis. Quod autem cõmune eſſet, primo uidere uolebamus. Quicquid enim ipſius animæ rationem participantis ſeparabile eſt, cum in primo libro iam ſignificauit: tum poſtea de ea,proprie,ac ſpeciatim contemplando nobis tradet. Illud autem in memoriæ theſauro conditum,atq; ſeruatum habere oportet: quod ipſum quid erat eſſe naturalis inſtrumentarii,poteſtate vitam habentis corporis,duplex eſt. Alterum quidem,ceu vtens,atq; mouens. Alterum vero ceu id, iuxta quod viuax eſt inſtrumentum,atq; viuaciter mouetur.

QVEMADMODVM ſi aliquod inſtrumẽtorum naturale eſſet corpus, ut ſecuris. Eſſet enim ipſi ſecuri eſſe ſubſtãtia eius,& anima id. Seiũcta nanq; hac,haud amplius ſecuris eſſet. Sed nunquid ambigue?

Inſtrumenta animæ ſunt non ea ſolum corpora,quæ ſecundũ eam viuunt: ſed & quæ anima carent. Alia quidem naturalia,vt lapides,& ligna iam exciſa. Alia vero arte effecta: quæ vt naturalia quidem & ipſa ſunt: verum non quatenus naturalia vtilitatem quãdam vtenti animæ concedunt: ſed ceu ea,quæ artificio recte præparata ſint. vt clipeus, & enſis. Si aliquod igitur artificialium inſtrumentorum inquit. (Hæc nanque nunc inſtrumenta vocat: quemadmodum & ſecuris exemplum indicat:) naturale eſſet corpus: quod inſtrumentarium naturale eſſe corpus poteſtate vitam habens in animæ definitione dicebat. Si

itaq; huiuſmodi eſſet ſecuris: eſſet id ipſum eſſe ſecuri. Conſueuit autem Ariſtoteles in his, quæ forma affecta ſunt: ipſum quidem quod forma affectum ſit, proferre: licet forma ſit, quæ ipſum eſſe ei indicet. Subſtantia præterea perſæpe formam apud eum indicare ſolet. Quemadmodum & hoc quoq; loco interpretans ipſum quid erat eſſe ſecuri, ſubſtãtiam, hoc eſt, formam dixit. Eſſet autem id anima: ſi quod poteſtate vitam habet, ſecuris eſſet. Et eſſet etiam viuax inſtrumentum: & quod ipſum vtens intrinſecus haberet. Atq; ea ſeiuncta, haud amplius eſſet: quod uere erat. Ex forma nanq; quod quidq; vere eſt, id eſt. Verũ quæ quidem ſimpliciter naturalia ex forma quæ principium obtinet, vt moueantur. Sed quæ animata, & quia uiuaciter moueantur: & quia illa ipſa forma mouendi uim habeat. Scire autem oportet, quod non omnino corrumpi uult animam a corpore recedentem. Illa nanq; ſeiunctionis uox de iis potius dicitur: quæ poſt diſſolutionẽ ſubſiſtunt. Sed num quid ambigue, inquit. Quia & mortuorum animalium corpora ambigue uiuentium reſpectu dicuntur: ut canis exempli cauſa, & equus. Parteſq; eodem præterea modo, ut ſi equinum forte fortuna caput dicas.

NVNC autem eſt ſecuris. Neq; enim huiuſmodi corporis ipſum quid erat eſſe, & ratio anima. Sed naturalis talis. Habẽtis principium motus, & ſtatus in ſeipſo.

Ex comparatione eorum, quæ carent anima, & inſtrumentorum, cuiuſmodi uiuax inſtrumentum ſit, indicat. Quod enim ſine anima eſt: & quod ipſum animæ propter aliquẽ uſum miniſtrat, uel ea, quæ utitur, ſeiũcta, nihilominus ſuiipſius uim retinet. Quoniam non ex ea determinabatur. Quod uero uiuax, atq; animatũ eſt, haud ita ſeſe habet. Quod quidem naturale eſt corpus: non autem arte factum, quatenus huiuſmodi. Oportet autẽ ceu poteſtate uitam habens: & ceu uiuaciter forma affectum inſtrumentarium eſſe animæ. Siquidem ipſum quid erat eſſe eius, & ratio, anima exiſtit. & id tanquam inſtrumentum ipſi deſeruit. In ipſo nanq; motus, atq; ſtatus principium eſt: quippe cũ mouens, atq; ſiſtens anima ſit. Quod animatorum proprium eſt. Hac itaq; ratione ex cõparatione eorum quæ ſine anima ſunt: quæ diſſimilia exiſtunt: cuiuſmodi uis ſit, eorum, quæ animã habent, expoſuit. Poſtea uero ex ſimilibus hoc idem oſtẽdit. Ex partibus nanq;, cuiuſmodi & totum ipſum ſit, dilucidum facit.

NONA PARTICVLA.

CONSIDERARE præterea & in partibus oportet, quod dictum fuit. Si enim eſſet oculus animal, anima ei eſſet aſpectus. Hæc etenim ſubſtantia oculi, quæ ſecundum rationem. Oculus uero materia ipſius aſpectus. Quo deficiente non eſt oculus. Niſi ambigue, quẽadmodum lapideus, atq; pictus. Oportet ſane accipere, quod de parte in toto uiuente corpore. Ex proportione nanq; ſeſe habet, ut pars, ad partẽ, totus ſenſus ad totum corpus ſentiendi uim habens, quatenus tale.

DECIMA PARTICVLA.

EST autem nõ quod abiecit animam, quod poteſtate eſt, ut uiuat. Sed quod habet. Ipſum uero ſemen, & fructus, quod poteſtate huiuſmodi corpus.

EXPOSITIO.

Pro toto quidem animali oculum accepit. Pro tota uero anima animalis aſpectum. Is nanq; ſubſtantia oculi ſecundum rationem eſt, hoc eſt, ſecundum formam. Oculus uero materia aſpectus. Non quemadmodum Alexander exponit: oculum nũc intelligit corpus ſolum ſine aſpectu. Confeſtim itaq; infert, quemadmodum deficiente aſpectu, haud amplius eſt oculus. Verum aſpectus dupliciter eſt forma oculi. Partim quidem quatenus inſtrumento ipſo utitur uiuaci. Partim uero quatenus oculum ipſum inſtrumentum uiuacem reddit. Et oculus, qui una cum hoc exiſtit aſpectu, materia eſt aſpectus illius utentis. Atq; deficiente ipſo utente, non eſt oculus. Quoniam una quoq; deficit, & aſpectus ille, qui ipſum ceu inſtrumentum format. Aſpectus nanq; qui utitur, & hunc quoq; cum

adeſt,concedit. At recedens illum quoq; ſimul ducit. Sumatur ergo vt aſpectus ad oculũ, ita & totus ſenſus ad totum corpus,quod ſentiendi vim habet:quatenus ſentiendi vim habet. Et id,vt manifeſte ipſe quoq; infert,quod iam viuit. Neq; enim,quod iam animã habeat:aut quemadmodum ipſum ſemen dictum fuit,quod viuere poteſt. Sed quod iam vitã habet. Quãdoquidem ipſum ſemen haud poteſtate vitam habet:ſed poteſtate tale eſt corpus,quod proxime vitam recipere valeat. Et propter hanc cauſam poteſtate vitam habens exiſtit:quia vitæ,tanquam materiei ſubſtratum eſt:vitæ inquam ei, quæ tanquam inſtrumentum ipſum determinat:quæq; tanquam inſtrumento ipſo vtitur. Nanq; hæc forma viuentis corporis eſt:quemadmodum & nauta nauis. Quoniam licet haud ſuiipſius ſit, attamen viuum efficit,atq; mouet corpus. Quemadmodum cœleſte quoq; corpus diuinior illa anima. Verum ex impetu,atque inclinatione erga ipſum:& quia ad id, quod vtile ſit,mouet. At non quia ſolum iam in perfectione exiſtat. Iure itaq; etiam oculus materia dictus fuit aſpectus:& totum corpus,quod ſentiendi vim habet,quatenus ſentiendi vim habet. & cum iam ſentiendi vim habeat, materia dicitur illius ſenſus: qui ipſo tanquam inſtrumento utitur.

QVEMADMODVM quidem igitur ſciſsio,& uiſio,ſic & uigiliæ actus. Quẽadmodum autem aſpectus,& uis inſtrumenti,anima. Ipſum uero corpus,quod poteſtate eſt. Sed quemadmodum oculus pupilla, & aſpectus, & ibi anima, & corpus,animal.

Hæc illius eſt orationis concluſio,ex qua demonſtrabatur, animam haud ſecundum eſſe corporis actum:ſed priorem,& iam diuiſum: & qui habeat actionem a ſubſtantia diſtantem. Verum quia duobus exemplis ad animalis ſubſtantiam demonſtrandam vſus Ariſtoteles eſt,ſecuri ſcilicet,atq; oculo:ideo iure & ſciſsione,atq; uiſione hoc in loco, ceu vigiliis in eo,quod ſentiendi vim habeat,vtitur. Hæc itaq; perſpicua ſunt. Oculus uero pupilla,atq; aſpectus dictus fuit:& animal anima atq; corpus, propter relationem ſcilicet in proximas cauſas. quippe quod ex ambobus conſtet. Quandoquidem nullibi compoſitũ materia,& forma eſt:ſed quod ex his.

VNDECIMA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur non eſt anima ſeparabilis a corpore,aut partes quædam eius,ſi partibilis eſt,non obſcurum.

EXPOSITIO.

Ex hoc quod dictum eſt,tum quod omni mortalium animæ:de qua ſermo eſt: ipſum inſeparabile a corpore conueniat:tum q; ei,quæ rationis particeps eſt etiam ipſum ſeparabile:tum quod ipſum inſeparabile multis dicatur modis, oſtenditur. Prætereaq;, quod haud ſi idem & ſeparabile,& inſeparabile ſit,partibile erit. Ita,ut iuxta diuerſas parteis oppoſita obtineat. & diuerſo modo,non autem ut corpora illud partibile ſit. Vnde & ex ſuppoſitione,protulit. Si partibilis eſt. Non tãquam is,qui ignoret:aut ceu is, qui haud adhuc oſtenderit:ſed tanquam is,qui quodam quidem modo impartibilem omnem animam, & nouerit,& demonſtret. Quandoquidem & incorpoream quoq; ſtatuit. Corpus nanq; eſt quod ſimpliciter partibile exiſtit. Alio uero modo parteis habere vult: cum a ſubſtantia inactionem prodeuntem uidit:& in id quod firmum,atq; ſtabile ipſius animæ rationem participantis,progredi. Quæ tanquam diuerſæ enumerantur partes: cum tota in eminentia conſtituta ſit,vitæ gignendi opus poſſidentis,& progredientis,atq; manentis. Hac itaq; ratione & tota a corppribus inſeparabilis dicitur. Aut partes quædam. Quandoquidem etiã horum utrunque quadam ratione uerum eſt de ea,quæ rationis particeps:quæ tota uergit,atq; progreditur in corpus:& ipſo tanquam inſtrumento ſubminiſtrante utitur. At & contra pars aliqua eſt,quæ ipſum permanens habet:atq; ea ſeparabilis exiſtit. Verũ quod quidem ſeparabile proprium eſt eius,quæ rationis particeps eſt. Quod uero inſeparabile commune eſt cuiuſcunq; mortalium animæ. Cum haud unaquæq; ſolum ſit inſeparabi

lis.

lis. Sed illa rationis particeps sit: quæ & ipsum separabile habeat. Atq; ipsum præterea inseparabile haud eodem modo ineſt vitis illis, quæ instrumentorum, ceu instrumentorū determinandorum vim habent: & illis quæ his vtuntur. Neq; eodem modo insunt naturalibus, atq; iis quæ sentiendi vim habent: atq; adeo in his multa est inter seſe differentia: adhucq; magis ab omnibus his differt, quod in iis, quæ rationem participant, inseparabile exiſtit. Cum id in corpora principatum pure obtineat. Quod vel ipſe quoq; Aristoteles, vt mihi persuadeo, indicans, infert.

NONNVLLARVM nanq; actus partium est ex ipsis.

Nonnullarum nanq; animarum ita seſe habere actum dicit: vt ipsæ partes corporatæ sint: quales quæ instrumentorum, tanquam instrumentorum describendorum, vim habent: & quæ naturalibus formis propinquæ sunt: quæ magis perspicue suum habent esse, cum corporum actus inseparabiles exiſtant. Animæ nanq; illæ, quæ vtuntur animalibus, tanquam instrumentis, minus sunt inseparabiles: & magis declarant, quod secūdum substantiam excellit. Ex quibus, quia simul diuersitatem ipsius inseparabilis indicauit: deinceps quod etiam omnino separabilis sit anima substantia: aperte nobis indicauit: & causam quoq; admouit.

AT VERO nonnullas nihil prohibet: quia nullius sint corporis actus.

Nonnullas scilicet partis intelligere debemus. Quandoquidē tota anima simulq; manet, ac progreditur, atq; contemplatur, nihil corpore indigens. Licet aliquid agens corpore vtatur. Partes autem eius quadam ratione quod firmum, atq; permanens est, & quod contemplandi vim habet, dicuntur: simulq; quod progreditur, atq; agēdi facultatem obtinet. Nihil autem prohibere dixit: quia omnis anima corporis actus dicta fuit. Prohibere nāq; posset, si iuxta seipsam totam, atq; iuxta omnem suiipsius actionem, corporis esset actus. Nihil autem prohibet, si est quidem, haud tamen iuxta seipsam totam, neq; iuxta omnem actionem. Erit enim hac ratione nullius corporis actus. Intellectus nanq; utrum aliquod contineat corpus, vel fingere difficile est: vt in primo libro dixit. Ac quando, vt in tertio dicturus est, intellectus ille, qui contemplandi vim habet, neq; tanquam instrumento ipso vtitur corpore. Vnde neq; hebes redditur a maiorum cognitione erga minorum notitiam, quemadmodum sensus. Aliæ partes q̄ dicantur.

PRAETEREA uero obscurum, utrū ita actus corporis anima, ut nauta nauis.

Cum ex eo, quod nonnullarum partium ex iis actus sit, vitam ab omnibus corporibus inseparabilem Aristoteles prodiderit: ex eo vero quod dixit. At vero nonnullas nihil prohibet, quia nullius sint corporis actus, eā, quæ omnino separabilis manifestarit: ex his nunc de eadem vtrunq; considerat. Actus nanq;, qui tanquā vtens exiſtit, & inseparabilis quodam pacto est: quia omnino vtatur: & quodam pacto separabilis, tanquam is, qui instrumento subministrante eximie vtatur. Sin autem partim quidem utitur, partim uero neq; omnino utitur: ut nautæ exēplum indicat: quod ipsius non utitur omnino separabile est. Propter quam igitur causam obscurum est adhuc dicere, si uel fingere difficile est. Nunquid quoniam ipsum uti ineſt vel iis, quæ sine ratione sunt? Obscurum est anteaquā vnāquanque speciatim percurramus: quaque ratione diiudicandum sit, quod utile in ipsis reperitur, præter id, quod instrumenti determinandi uim habet. Et in quibusnam oporteat etiam separabiles actiones inuestigare. Dubitatio. Resposum

ADVMBRATE quidē igitur hæc determinata sint, atq; descripta de anima.

Adumbrationem appellat, ac descriptionem, rationem eam, quæ de anima assignata fuit. Quandoquidem solum tradidit, quod communiter omnibus ineſt. Exacta autem definitio ex uniuscuiusque propria affertur substantia. Propria uero est, quæ quod commune singillatim determinat.

DVODECIMA PARTICVLA.

QVONIAM autem ex immanifeſtis quidem, manifeſtioribus autem fit, quod manifeſtum, & quod ſecundum rationem notius.

EXPOSITIO.

Quando haud aliquid exacti habebat, quæ iam data fuit definitio: quia ſolum oſtendebat, quod omnibus communiter ineſſet: & id haud eodem modo: ſed ceu, quæ ab vno dicuntur. Vnde & impoſsibile erat, vt omnium ſimul exacta daretur definitio. Quippe cum haud vniuocæ ſint. Sed iuxta vnamquamq; percurrere neceſſe eſt: ſi exacte rem tractare volumus. Antea ergo q̃ rem ipſam philoſophus aggrediatur, doctrinæ modum præſcribit: qui ab iis, quæ ex cauſis efficiuntur ad cauſas ipſas progreditur. Is nanque ille modus eſt, qui iis conuenit, qui non adhuc perfectionem aliquam adepti ſunt: ſed adhuc inueſtigant. Naturæ quidem enim, atq; ſermoni ſcientiam parienti, qui naturam ſequitur, manifeſtiores cauſæ ipſæ ſunt. Ipſius vero ſenſus, noſtrumq; reſpectu, qui haud adhuc perfecti ſumus, illa magis perſpicua, quæ ex cauſis ipſis deducta. Quemadmodum & in principio naturalis auditionis dictum fuit. Et nunc ex immanifeſtis quidem, naturæ ſcilicet. At deeſt in ipſa Ariſtotelis dictione, illud, naturæ, & rationi. Manifeſtioribus autẽ, & rurſum hic quoque deeſt illud, noſtrum ipſiuſq; ſenſus reſpectu: Fit quod manifeſtum. At neglectum, prætermiſſumq; fuit illud naturæ. Dictumq;, ac prolatum fuit, & quod ſecundum rationem notius.

TENTANDVM rurſum ſic aggredi de ea.

Illud quidem rurſum pronuntiatum fuit: non ſecus, ac ſi hactenus deſcribendi vim habens, quædam allata ſit ratio. Illud vero, ſic aggredi: quandoquidem præſtãtiora, excelſioraq; exiſtunt, quæ rationi nota, q̃ quæ ſenſui.

NON enim ſolum ipſum quod oportet definiendi uim habẽtem ſermonem indicare. Quemadmodum plũrimæ ex definitionibus dicunt. Sed & cauſam ineſſe, atq; apparere. Nunc autem, tanquam concluſiones rationes definitionum ſunt. Vt, quid eſt, quadratio. quod æquale alteri longitudini: quia rectos angulos habens ſit æqualium laterum. Huiuſmodi autem definitio, ratio eſt concluſionis. Qui uero dicit, quod eſt quadratio media inuentio, rei dicit cauſam.

Quare aggredi velit, cauſam affert. Vnde, & ea vtitur coniunctione, quæ vim cauſæ reddendæ habet. Quoniam haud acquieſcendum eſt iis, quæ de cauſis facta ſunt: ſed inde in cauſas ipſas efferri oportet. Dictum autem fuit, in ſecundis analyticis: quemadmodũ alia quidem eſt definitio, concluſio demonſtrationis. Alia vero medius ſyllogiſmi terminus. Alia autem totus ſyllogiſmus poſitione, ſituve a demonſtratione differens. Determinatumq; ibi fuit, quemadmodum definitio illa, quæ iuxta concluſionem exiſtit, eius quod ex cauſa deductum, formaq; affectum ſit, definitio eſt. Quod nunc rem vocat. Quæ vero iuxta medium permanet terminum formæ, atq; eius quod a cauſa effectum. Quæ vero ſitu a demonſtratione differt, illa eſt, quæ ſimul quod ex cauſa effectum, atq; ipſam affert cauſam. Exempli cauſa. Homo vita effingitur rationem participante: quæ finitas, ac terminatas habet menſuras. Id autem eſt animal rationis particeps mortale: & eſt hæc compoſiti definitio. Vita vero illa rationem participans, quæ finitas, atq; terminatas habet menſuras, forma eſt: quæ tum cõcluſionis, tum rei, cauſa, compoſitiq;, vt dico eſt. Atq; in eo, quo ipſe vtitur exemplo: quandoquidem ſi tres ſint recti, ex proportione reſpondens quadrangulum, quod a media ducitur, æqualis eſt recto angulo, qui ab extremis continetur: quia ſcilicet altera parte longior ſit. Qui quidem igitur quadrare quod altera parte longius inſtituit: quia ei æquale quod altera parte longius, quod rectos habeat angulos ſit: æqualia habere latera ipſum quod perficitur, & demonſtratur, determinat. Id quod ſane cõcluſionem vocat, tanquam id, quod geometrice demonſtratur. Qui vero mediæ in æqualium

laterum

laterum eius,quod altera parte longius,inuentionem id definit,causam affert. Ex qua & æquale est quadrangulum ei quod altera parte longius,& demonstratur.Ita,vt non solũ conclusionis dicta sit causa:sed ipsius etiam rei.

DECIMATERTIA PARTICVLA.

DICAMVS itaque principium sumentes considerationis,distingui animatum ab inanimo,ipso uiuere.

EXPOSITIO.

Cum doctrinæ modum philosophus determinarit:tanquam eum,qui ab iis, quæ nobis manifesta sint,ad ea,quæ naturæ huiusmodi ascendat.Cumq; illud nobis in memoriã reuocarit:quod scilicet oporteat definitionem illam,quæ recte sese habere debeat:causam quoq; complecti:atq; eam exacte.Non autem ita,vt adumbratio quædam, aut descriptio videri possit.Ex doctrinæ quidem modo,ab iis,quæ sensui nota sunt, contemplationẽ de anima aggreditur.Idq; confestim facit.Animatum ab inanimo ipso viuere distingui, hoc est,differre,inquiens.At quia consideratio in causam recurrere debet:non in ipso permanet animato:sed in eius causam,hoc est, in animam effertur. Quo uero non adumbrate adhuc:sed non sine exacta definitione ipsam consideret,non communiter,sed vnãquanq; animæ speciem singillatim determinat.Quandoquidem & communis quoq; illa,quæ data fuit definitio, causam complectebatur. Actus nanque forma,atq; causa est eius, quod secũdum ipsum perficitur.At neque si quod commune vniuoce dicatur, neque ita ipsius communis contemplatio sufficiens esset ad exactam rei notitiam, absque proprio.Verum quonam pacto animatum distinguitur ab inanimo ipso viuere? Quia scilicet intrinsecus moueatur:vt & Platoni videtur:& ipsa actio indicat. Nam & ipsum quoque mouens intrinsecus est.Cæterum si hoc est,quonam pacto anima haud ex se mobilis existit: quæ a seipsa excitatur? Motus nanque quidam excitatio est. Nunquid res quidem eadem atq; eodem modo Aristoteles cum Platone intelligit? Sed is iuxta consuetudinem vocat, interdum nequaquam hanc de se suspicionem præbens. Haud igitur animam per se mobilem dicit:quoniam neq; etiam motum eius actionem nominat. Aequum itaq; est,atq; ex ipsius Aristotelis sententia,id animæ ascribere, vt scilicet ex se agere queat: tanquam illa, quæ a seipsa excitetur.Excitatio nanq; actio quædam est.Illud autem quasi æstuans, atq; a seipso ferues a vita ipsa indicatur.Hoc est,a dictione illa græca,quæ est,ζωή,

Interrogatio. Responsum

Dubitatio. Responsum

MVLTIPLICITER autem cum ipsum uiuere dicatur.

Illud multipliciter,aut de ambiguis,aut de iis,quæ tanquam ab vno dici consueuit.Verum ambigue nunc dictum non fuit.Quandoquidem ipsius viuere, ceu rei vnius vnam designamus notitiam.In iis autem,quæ ab vno dicuntur,quæcunq; quidem perfecte,licet secundo,aut tertio,aut postremo,attamen perfecte participant,& nomine illo,quod naturæ rei indicandæ vim habeat,præcipue appellantur:& participatione illa, quæ ab ipso deducitur.Quæcunq; autem imperfecte participant,participatione quidem illa, quæ ab eo deducitur appellari possunt:nequaquam vero eo nomine,quod præcipue ipsius rei significandæ vim obtineat.Exempli gratia,quod adhuc fit,esse quidem dicimus: haud tamen quod est,appellamus.Et album quidem factum esse,quod imperfectum:haud tamen nominaremus album.Et mederi,atque citharam pulsare eos,qui adhuc discant, asserimus: minime vero medicos, & citharœdos esse, & currere, atque scribere pueros fatemur: haud tamen cursores, aut scriptores esse. At eos, qui perfecti sint: & esse concedimus citharœdos, & citharam pulsare, reliquaque eodem modo. Hac sane ratione etiam animalia philosophus appellat: quæcunque ex perfecta a seipsis excitata figurantur vita. Et alia quidem primo: quippe quæ a seipsis in seipsa agant. Alia vero secundo,ceu, quæ a seipsis in alia.Nonnullaq; medio modo,tanquam ea,quæ in vtraq;.Atq; hæc iuxta diuersas mensuras.Quæ quidem omnia,& animalia,& viuere inquit.Quæcunq; vero imperfectam,ac non puram intrinsecus excitationem habent:sed mediam inter hanc,atq; eam,quæ omnino ab altero mobilis existit:(Ne & sine medio,quod a seipso,cum eo,quod

ab altero coniungatur:)huiuſmodi,quæ iuxta uegetantem uitam uiuunt:viuere quidem dicit:nequaquam tamen etiam animalia uocat.Vnde & diſcrimen ſubinnuens animatorum cum animatis,ex ipſo uiuere ea diſtinguit. Quod quidem uiuere commune eſt eorum,quæ quacunq; ratione uiuunt.Ita,vt cum diuidendo diſtinctum fuerit ipſum uiuere ab animali,perſpicuum ſit,quod uiuere illud accipitur iuxta imperfectã illam uitæ participationem.Quod nanq; iuxta perfectam acceptum fuerit,vel ipſi conuenit animali.

LICET unum aliquid horum inſit ſolum,uiuere dicimus ipſum. ut intellectus, ſenſus,motus,ac ſtatus,qui ſecundum locum.Præterea motus,qui ex nutritione. & decretio,atq; accretio.

Viuere nanq; illud dicimus,cui unum aliquod horum inſit. Acceptus autem fuit intellectus,ceu is,qui uitam rationis participem indicet:vna cum qua,& uoluntas quoq; comprehenſa eſt.Senſus autem acceptus fuit,non tanq̃ is,qui eam ſolam cognitionem ſignificare valeat,quæ ratione dicitur carere:ſed & appetitũ quoq; ei inſitus,atq; innatus eſt. Intellectus quidem igitur,atq; ſenſus eam habent uim,ut uitam ipſam ſignificent.Motus vero actionum viuacium ſignificandarum facultatem obtinent. Motus autem ille ſecũdum locum primo in perfectioribus reperitur animalibus.At is qui iuxta alterationem nutriendi uim habentem conſideratur,omnibus mortalibus adeſt.

DECIMAQVARTA PARTICVLA.

QVAPROPTER & quæ naſcuntur omnia uidentur uiuere. Apparent nanq; in ipſis habere uim,atq; principium huiuſmodi,per quod accretionẽ, atq; decretionem recipiunt ſecundum contraria loca.Neq; enim ſurſum quidem creſcunt,deorſum autem non.Sed eodem modo in utranq; partem:& undiq;, quæcunq; ſemper nutriuntur,atq; uiuunt propter finem:quoad poſſint recipere nutritionem.

EXPOSITIO.

Propter nutritionem ſcilicet,atq; accretionem,& decretionem.Et illud, uidẽtur, locum ibi ſortitum eſt,propter vitæ imperfectionem,& interuallum eorum,quæ viuunt, ac non viuunt.Vnde etiam hortatione opus fuit,quo perſuaderemur uiuere quæ naſcuntur. Si enim oĩa,quæ additionẽ quãpiã ab aliis recipiũt,iuxta vnã quãpiã particulam recipiũt, ac nõ eodẽ modo iuxta oẽs oppoſitas partes.Licet enim ſphærice aliqd æri addas,haud tñ & iuxta profunditatẽ ipſum augebis.Patet, quod quæ iuxta oẽm partẽ eodẽ augentur modo:illa intrinſecus additionis cauſam habitura ſunt.Motus autẽ quidam ipſa accretio eſt. Quæ itaq; intrinſecus motus principium habent,recte uiuere cẽſemus. At ipſius animæ medietatem rurſum Ariſtoteles demõſtrans,uim,atq; principium dixit.Vbi per principiũ, quod principatum obtinet,atq; uim regendi habet:per uim autem, quod eius imperfectũ exiſtit,atq; ab altero excitatur,adduxit.In his nanq;,ut plurimum philoſophus cõſueuit, uis uocabulo uti.Ac opus ſane huiuſmodi uita eſt mortalibus animalibus omnibus.Hac enim gignuntur,atq; nutriuntur,& permanent:quippe cum uita maxime corporata exiſtat,atq; ipſis congrua,conueniensve:& propter hanc quoq; cauſam extrema, nõ puraq; uita.At ſi neq; totum ab eisipſis excitatur:& quæ ita uiuunt ab altero commouentur:quid illud eſt,quod extra ipſa excitat?Nunquid cum hac ratione iis ſimilia exiſtãt, quæ ab aliis moueri poſſunt:moueri & ipſa quoq; ualerent ſecundum naturam,quemadmodum elementa,ab eo,quod ipſa producat,tanq̃ aliunde,atq; extrinſecus? Quandoquidem & quæ intrinſecus tota excitantur,& ab ipſo quoq; producente excitantur.Cæterum hæc propter coniunctionẽ cum ipſo,& quanto magis cum cauſa coniunguntur, tanto etiã magis p ſe agũt.Quæ uero ab altero mouẽtur ,ppter diſtãtiã,nõ ſine diuerſitate excitationẽ recipiũt.

Dubitatio.

Reſponſum

DECIMAQVINTA PARTICVLA.

SEPARARI aũt id quidem ab aliis poſſibile eſt,alia uero ab hoc impoſſibile in mortalibus.Manifeſtum aũt in iis,quæ naſcũtur. Nulla nãq; ipſis ineſt uis alia aiæ.

Expoſitio.

EXPOSITIO.

Hæc quidem enim vitæ forma eſt: quæ abſq; vllo medio corruptibilibus corporibus adeſt: quæq; propter fluxum ipſa replet. Aliæ vero non ſine hac mortalibus inſunt. Quoniam & generantur, & nutriuntur ex hac.

DECIMASEXTA PARTICVLA.

IPSVM quidem igitur uiuere, per principium id ineſt omnibus uiuẽtibus. Animal uero per ſenſum primo. Nanq; quæ non mouentur, neq; mutant locum, habent attamen ſenſum, animalia dicimus. At non uiuere ſolum.

EXPOSITIO.

Haud ſimpliciter ipſum quacunq; ratione uiuere intelligit. Licet enim & ſecundum intellectum, & ſecundum ſenſum viuere, Sed illud uiuere accipit, quod reſpectu ipſius animalis diſtinguitur. Id autem eſt, illud imperfecte uiuere, atq; extrema illa vita. Diſtinguit nanq; cum dicit. Ipſum quidem uiuere per id, Animal uero per ſenſum primo.

DECIMASEPTIMA PARTICVLA.

SENSVS autem ineſt primo omnibus, tactus. Et quemadmodum quod nutriẽdi uim habet, poteſt ſeparari a tactu, atque omni ſenſu, ita & tactus ab aliis ſenſibus. Nutriendi autem uim habere dicimus, huiuſmodi particulam animæ, quam & plantæ participant. Animalia uero omnia uidentur tangendi ſenſum habere.

DECIMAOCTAVA PARTICVLA.

OB QVAM autem cauſam utrunq; horum euenit, poſtea dicemus.

EXPOSITIO.

Nanq; maxime corporatus ex ſenſibus, atque in primis patiendi vim habens, tactus eſt. Vnde & ea quoq; ſolum percipit, quæ vicina ſint. At vna cum tactu & guſtus quoq; comprehenſus fuit. & eſt animalibus maxime neceſſarius. Vt & id quoq; poſterius dicetur.

NVNC autem ad id dictum ſit ſolum, quod anima horum eſt principium, quæ dicta ſunt. atq; his terminata eſt, nutriendi, ſentiendi, diſcurrẽdi uim habẽte, motu.

Horum quæ dicta ſunt, inquit, atq; intellectus, & ſenſus, & vitæ illius, quæ mouendi, ac nutriendi uim habet, principium eſſe intelligit. Principium q; ita accipit, ut formalẽ cauſam dicat. Anima vero huiuſmodi eſt, vt haud quod ea participat ſit: ſed ceu ipſe finis, qui intelligendi, atq; ſentiendi uim habet. Quoniam autem haud partibilis forma anima eſt: neq; primus ille terminus in rationis participem deuenit reuolutionem: nõ ſolum ipſam horum principium eſſe dixit: ſed his quoq; determinari. Vtrũq; enim ei ex extremis ſimul conuenit. Quo ſcilicet, ita incipiat, vt quadam ratione determinetur ab iis, quorum licet ante ipſam exiſtant, principium eſt, illud autem determinari, iis proprie conuenit, quæ poſt ipſam ſunt. Eo vero, quod diſcurrendi vim habeat, pro intellectu utitur. Quod illud indicat, quod antea per intellectum verba protulit.

DECIMANONA PARTICVLA.

VTRVM autem horum unumquodq; eſt anima, aut particula animæ. & ſi particula, utrum ita ut ſit ſeparabilis ratione tantum, aut & loco.

EXPOSITIO.

Quandoquidem in animalibus rationem participantibus eæ omnes inſunt vitæ, quæ dictæ ſunt: proponit inueſtigare, vtrum quælibet ſit diuerſarum corporatarum particularum actus: ita, vt anima non ſecus diuiſa ſit, atq; corpus. Quoniam & in fine primi libri, non quamlibet animam vnam, ſed omnes vnius animæ particulas eſſe volebat. At quo diuiſio perfecte habeatur, id ipſum rurſum, quod iam fere diiudicatum fuit, proponit. Vtrũ ſcilicet quælibet ex his ex ſe perfecta ſit anima, an animæ particula. Sed alteram partem nõ attingit, tanquam is, qui eam ibi ſatis ſuperq; determinarit: alteram q; exacte tractat. Vtrum

ſcilicet ita particulæ ſint, vt non ratione ſola, hoc eſt, proprietate diſtinctæ ſint inter ſe: ſed loco quoq; Ita, vt diuerſæ vitæ in diuerſis corporis particulis, ceu in locis maneant. Quēadmodum Timæus ſentire videtur: Qui in capite rationem, in corde iracundiam, in iecore appetendi vim collocare videtur. Verum ipſe rationem contemplandi vim habentem omnino a corpore ſeiungit. Alias vero vitas: quia corporatæ particulæ interdum ad receptionem diuerſarum vitarum præparentur: haud inter ſeſe eodem modo cum illis partitas arbitratur: cum poſſint eidem particulæ vel plures ſimul ineſſe. Alia nanq; animata partitio eſt, (ſi de ipſa quoq; particulas dicere cōuenit) præter corporatam ipſam partitionem. Atq; ita vna ſubingreſſum illum in formas, ex partitione, quæcunq; ſit: & excellentiam animæ reſpectu corporum, ex præſentia omnium pariter in vno loco, philoſophus manifeſtat.

DE nōnullis quidem haud difficile uidere. Nonnulla uero dubitationem habēt.

VIGESIMA PARTICVLA.

QVEMADMODVM enim in plantis nonnullæ cum diuidantur apparent uiuentia, uel ſeparatæ inter ſeſe.

EXPOSITIO.

Nequaquam ſane ita Ariſtotelem dicere nonnulla dubitationem habere, mihi perſuadeo, vt cum Alexandro ei conueniat, atq; propter intellectum intelligat. Illum nanq; confeſtim vel antea dixit, haud vllum continere corpus: atq; ſtatim infert, Nondum manifeſta eſſe, quæ de facultate contemplandi vim habente: quippe cum haud perfecta adhuc de ea tradita ſit cotemplatio. At eſſe animæ quoddam genus diuerſum: & ſeparari quemadmodum perpetuum a corruptibili. Verum in nonnullis quidem nos facile coniunctionem videre poſſe ait, vt in vegetantibus facultatibus, nutriendi ſcilicet, augendi, atq; generandi vim habente. Et in animalibus, hoc eſt, in vi ſentiendi, atq; appetendi. Nanq; in plantis diuiſis, tota vegetans anima ineſt: & vtraq; inſectorum particula ad aliquod vſq; tēpus ſentit, atq; mouetur. Nonnulla vero dubitationem habēt. Viſus, auditus, olfactus, guſtus. Quādoquidem determinatis vtuntur inſtrumentis. At primo quidem aliquis, vel ex aliis de his coniecturam facere poſſet. Cum haud ex ſeipſis: ſed propter inſtrumēta partibiliter diſpoſiti ſint. Ita, vt aliud inſtrumentum alii deſeruiat ſenſui. Deinde vero concurſus ille omnium qui in vnum conuenit, quod & ex his iunctum, atque vnum redditum indicat. Quod & flauum, & dulce, & bene olens mel dicet.

QVIPPE cum ſit, quæ in ipſis anima, actu quidem una in unaquaq; planta: potestate autem plures.

Haud ita, vt vna in plures ſimiles diuidatur. Partibilis nāq; ita eſſet, vt corpus aliquod quod ex pluribus partibus conſtet. Verum quæ in ipſa planta exiſtit, & in ramulo quoq; illo, qui diſiunctus eſt ad aliquod vſq; tempus permanet: atq; ipſum ad propriæ animæ receptionem aptum reddit. Vbi ſcilicet conſitus fuerit. Poteſtate itaq; plures ſunt: quæ in vna planta exiſtunt. Ceu eæ quæ plures futuræ ſunt, poſtea quam in ramos diuiſa fuerit: atq; conſita reperietur.

ITA & circa alias differentias animæ uidemus contingens de inſectis in iis, quæ ſecantur. Nanq; ſenſum utraq; partium habet, & motum ſecundum locum.

Illa particula, ita, haud quia plures poteſtate animæ ſint, allata fuit. Neq; enim, quemadmodum in plantis id contingit. Sed propter ea, quæ diuiduntur: quæ & ipſa totam vitam iuxta vtranq; partem viuunt.

SIN autem ſenſum, & imaginationem, & appetitionē. Vbi quidem enim ſenſus, dolor, atq; uoluptas conſequitur. Vbi autem hæc ex neceſſitate & cupiditas.

Licet enim non diſtinctam, at indeterminatam vel extrema illa animalia habent imaginationem, Quo appetant, quod abeſt.

VIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

DE INTELLECTV autem, atq; contemplandi uim habente potestate nõ adhuc manifestum. Sed uidetur animæ genus alterum esse. & id solum contingit separari, Quemadmodum perpetuum a corruptibili.

EXPOSITIO.

Quandoquidem Aristoteles intellectum illum nouit, qui pure indiuisibilis est, quique substantia supra animam existit. Intellectum autem appellat & illum qui pati potest: qui in complexione vitæ rationem participantis, progredientis, atq; facultatum uiuacium corporis formam referentium constitutus est: præterea q; & rationem illam agendi uim habentem, quæ huiusmodi utitur uitis, sed haud ex ipsis constat intellectum dicit. Quo eam nunc indicet rationem, quæ nequaquam ipsis utitur, intellectum uocat: atq; ei uim contẽplari ualentem concedit. Vbi ex ui quidem remissionem eius, respectu præstantioris illius intellectus significat. Quandoquidem nomine isto, haud admodum uti Aristoteles consueuit, cum de impartibili loquitur substantia: sed ipso potius actu. ex eo uero, quod ei cõtemplandi uim ascribit, conuersionẽ rationis in seipsam, atq; in ea, quæ præstatiora sunt, manifestat. De hac quidem igitur ratione nihil esse inquit, manifestum. Quippe cum definitio, quæ de anima tradita fuit rationi eius, qui contemplandi uim habeat, tanquã is, qui contemplandi uim habeat, haud conueniat: neq; rationi illi, quæ cum corporatis uitis iuncta sit. Contra nanq; potius euenit: quia in eo, quod est, ab iis separari contemplatio collocata est. Qua etiam ratione perspicuum est, quemadmodum alterum genus animæ ratio est, præter eas, quæ a corporibus inseparabiles existunt: quæ ut separetur apta, nata q; est. Quæ quidem nunc una cum illis unam complet substantiam: ceu eam, quæ cum corpore composita. Aliquando aũt omnes istas secundas deserit. Particula q; illa, uidetur, haud cum dubitatione pronuntiata fuit, ut Alexander putat. Neq; enim frequẽs est huiusmodi huius particulæ apud antiquiores usus. Sed pro eo, quod est, cõuenit, atq; apparet. Diuersa q; secundum substantiam a reliquis anima rationis particeps existit: & omnino ab illis aliquando separatur: atq; perpetua est: cum illæ corrũpantur: quæcunq; scilicet corruptibilis corporis proprie actus sunt. Id q; ipsa obtinet, quod separabile ab iis, quæ quacunq; ratione a corpore inseparabiles. Contemplatio nanq; separabilis est actio. Ipsa q; substantiæ est separabilis: atq; eius, quæ per totã uiuat. Atq; adeo, id ipsum, hoc est, uita ipsa est: quæ seipsam totam ex contemplatione perficit. Neq; partibilis est. Hæc quidem enim haud alia quædã forma est: & non minime cognoscendi uim habet. At neq; eo, quod partibile sit, utitur: quia prope terminos progreditur: & propterea quod in seipsam, atq; in id, quod impartibile inclinat. Vnde & perpetua quoq; demõstratur. Neq; enim tanq̃ partibilis diuidetur: quoniam nequaq̃ partibilis. Neq; tanq̃ composita dissoluetur: propter suam simplicitatẽ. Neq; id ei eueniet, quod partibilibus formis euenire solet: cum materia redditur inconcinna: propterea quod, separabile quid existit. Sola ita q; ratio separabilis est. Quandoquidem aliæ uitæ actiones omnes corporis formam referentes habent.

Tres, qui ab Arist. appellantur intellectus.

VIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

RELIQVAE autem particulæ animæ, manifestum ex his, quod nõ sunt separabiles, quẽadmodũ inquiunt nõnulli. Ratione uero, quod diuersæ, perspicuũ est. Sẽtire nanq; ualenti esse, & opinari potenti diuersum: si quidẽ & ipsum sentire, atq; opinari. Eodemq; præterea modo & aliarum unaquæq; ex iis, quæ dictæ sunt.

VIGESIMATERTIA PARTICVLA.

PRAETEREA uero nonnullis quidem animalium omnes insunt: nõnullis autem pauciores aliisq; una tantum. Id q; efficit diuersitates animalium. Propter quam uero causam inuestigãdũ est postea. Proxime uero & circa sensus euenit. Alia quidem enim habent omnes: alia uero pauciores. Aliaq; unũ maxime necessariũ tactũ.

EXPOSITIO.

Particulæ quidem hæ ſunt: haud tamen quales corporatæ. Id nanq; demonſtratũ fuit, ſed propter digreſſum ab eo, quod impartibile exiſtit. Reliquæ autem, dixit. Tanquam & intellectus, qui contemplandi vim habet, particula ſit: in eo ſcilicet impetu, qui ad ea, quæ extrinſecus ſunt, fit: & in complexione illa, cum illis, quæ deteriora exiſtunt. Verum animæ illæ particulæ nequaquam loco inter ſeſe ſeiunctæ, vt Timæus inquit, concedendæ ſunt: ita, vt in diuerſis habitent corporis particulis. Præclareq; noſter Ariſtoteles ex diuerſis actionibus diuerſam vitarum illarum, quæ ſimul exiſtunt, confirmat proprietatem. Si nanq; ipſum ſentire ab ipſo opinari diuerſum eſt, & quod ſentiẽdi vim habet ab eo, quod opinandi, & ſenſus quoq; ab opinione, diuerſum quid. Facit autem diuerſitatem animalium illud: quod aut omnes inſint vitæ: vt in hominibus, aut non quidem omnes: ſed plures, vt in aliis animalibus. Aut vna tantum inſit, vegetans, vt in plantis. Ex quibus mihi videtur, & ipſius vniuſcuiuſq; vitæ diſcrimẽ erga ſeipſam ſignificare. Neq; enim ſimilis eſt, neq; omnino abſq; differentia exiſtit, ſenſus ille qui cum ratione iunctus eſt: & is qui ſine ratione reperitur. Neq; ille qui determinatam commouet imaginationem: & is qui eam, quæ indeterminate concipit. Quapropter multiplex eſt vel ſecundum profunditatem in vnaquaq; vita diuerſitas. Et in ipſa vegetante anima maximum eſt diſcrimen: ſiue inſtrumenti rationem participãtis nutriendi vim habeat: ſiue eius, quod quidem ratione careat: ſed ſecũdum locum moueatur: ſiue ſolum ſentiẽdi vim obtineat: ſiue ita viuat, vt ſenſu careat: atq; in terra radices defixerit. Hoȝ aũt cauſam paulo poſt allaturus philoſophus eſt.

VIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

QVONIAM autem quo uiuimus, & ſentimus dupliciter dicitur: quemadmodũ quo ſcimus. Ex his autem dicimus, alterum quidem ſcientiam, alterum uero animã. Vtroq; nanq; horum dicimus ſcire. Eodem præterea modo, & quo bene ualemus. Alterum qui dem ualetudo. Alterum uero particula quapiam corporis, aut & toto.

EXPOSITIO.

Quandoquidem anima, ita poſita fuit, vt forma quædam ſit. Verum ipſa ſaltem mortalium anima haud ita conſtituta fuit: vt ſuiipſius, atq; ſine materia exiſtat: ſed corporis inſtrumentarii. Vnde ex his quod viuax ſit forma: ex eo, quod animatum ab inanimo differat, philoſophus accipiens, diſtinguit cauſas, atq; ea, quæ ex cauſis effecta ſint: atq; in cauſarum numero animam collocat. Sed non in earum numero, quæ a materia: verum earũ quæ a forma ſtent. In quas & efficientes, & perficientes concurrunt. Determinat præterea quod ex ipſa efficitur: atq; indicat animam primam ſubſtantiam in animalibus eſſe. Subſtantia quidem enim & ipſum quoq; naturale corpus eſt: quod tanquam materies in animalibus reperitur. Magis autem propria ſubſtantia animatum, atq; animal eſt. Quã adhuc nobilior, atq; præſtantior, quæ ſecundum ſeipſam ſubſtantia: eaq; anima eſt. Nanq; omnis forma prima eſt ſubſtantia, & ſecundum ſeipſam, & multo magis quæ viuax eſt. At diſtinguens ſane Ariſtoteles formalem cauſam ab eo, quod iuxta ipſam affectum eſt: propter eorum contemplationem, quæ nunc poſita ſunt, dupliciter illud dici aſſerit, quo viuimus. Haud tamen, materie ipſa, id accipiens. Neq; enim quo viuimus: ſed quo viuere poſſumus, materiem eſſe dicimus. Quoniam quod poteſtate ſit a materia adducitur. Illud vero, quo viuimus eam habet vim, vt quod actu viuit, indicare valeat. Sed dupliciter, aut forma, aut compoſito. Forma ſcilicet, tanquam actu, atq; perfectione. Compoſito vero ceu id quod actu, atq; perfectum ſit. Hoc enim pacto ſcire dicimus, aut ſcientia, tanquam forma. aut anima: non ceu ea, quæ nondum: ſed ceu ea quæ ſciendi vim obtineat. & recte valere, valetudine tanquam forma. aut recte valente corpore. At non eo, quod non participet, aptum tamen ſit particeps eſſe: niſi ſecundum id, quod poteſtate.

EX HIS autem ſcientia quidem, & ualetudo, ſpecies, & forma quædam, & ratio: & quaſi actus eorum, quæ uim recipiendi habent. Alter quidem eius, quod ſcire po

test. Alter autem eius, quod recte ualere. Videtur nanq; in patienti, atq; disposito eorum quæ efficere possunt, inesse actus. Anima uero id, quo uiuimus, & sentimus, & discurrimus primo. Quare ratio quædam esset, & forma: at nequaquam ceu materia, & subiectum.

VIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

TRIPLICITER nanq; cum dicatur substantia, quemadmodum diximus: ex quibus hoc quidem forma, illud uero materia, id autem, quod ex ambabus.

EXPOSITIO.

Cum id manifeste dixerit, quod scientia, & ualetudo loco formæ acceptæ fuere: & propter hanc causam & ipsum uiuens anima, tanquam forma uiuit: haud etiam manifeste dicere uidetur, quonam altero uiuat. Ita, ut nihil coniunctioni illi, quidem, reddat. At licet dictioni, uerbisque aliquid deesse uideatur: attamen res absque ullo defectu expositæ fuere. Nanque cum formam hanc actum eorum, quæ recipiendi uim habent, esse dixerit: ita ut haud suiipsius, sed alterius sit: infert quid illud sit, quod recipere ualeat. Quoniam illud est, quod scire, atque recte ualere potest. Quæ scilicet iam actu huiusmodi sint: quæque ita recipiendi uim habere dicantur: ut ex eo, quod receptum fuerit, determinata sint. Atque patet, quemadmodum iuxta alium modum his, altero quidem scimus, altero autem recte ualemus. Ipsum uero patiens, atq; affectum, dispositumue uocat, quod forma absolutum: tanquam id, quod secundum aliud determinatum, atque perfectum sit. Forma uero quæ horum determinandorum uim habet, efficiendi quoq; facultatem obtinet: tanquam ea, quæ in id quod progreditur, se extendit, & secundum actū, atq; perfectionem sit: sed alterius. Quemadmodum ita q; sese scientia habet, ad id, quod eā parere potest: ita anima ad ipsum uiuens. Quare ratio quædam, atq; forma eius erit. Nequaquam autem tanquam materia, atq; subiectum. Ex comparatione reliquorum Aristoteles manifestius uiuentium formam animæ ascripsit. Neq; enim materiam concesit nōdum uiuentem, neq; eam, quæ iam uiuat, quam subiectum dixit. Illud significans, cuius aliud principium sit, & quod secundum, atq; sub ea collocatum. Quod nanq; primo perspicue animæ tribuitur: quippe quæ uita sit, & prima, atq; iuxta seipsam substantia. Cum animata iuxta illam, & ab illa uiuant, atq; perficiantur.

Dubitatio.

Responsum

EX HIS autem materia quidem potentia. Forma uero actus. Quoniam autem quod ex ambobus animatū, non corpus est actus animæ: sed ipsa corporis alicuius.

VIGESIMASEXTA PARTICVLA.

ET PROPTER id pulchre existimant, quibus uidetur neq; sine corpore esse, neq; corpus aliquod anima. Corpus quidem enim non est. Corporis autem aliquid. & propter id in corpore inest, & in corpore tali. Et non quemadmodum qui antea, in corpus concinnabant ipsam, nihil præterea determinantes in quonam, & quali. Licet neq; uideatur, quodcunq; recipere quodcunque. Sic autem fit, & secundum rationem. Vniuscuiusq; nanq; actus in eo, quod potestate inest, & in propria materia aptus est gigni. Quod quidem igitur actus quidam est, & ratio eius, quod potestatem habeat, ut huiusmodi sit, manifestum ex his.

VIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

EX POTENTIIS autem animæ, quæ dictæ fuerunt, aliis quidem insunt omnes, quemadmodum diximus: aliis autem quædam ipsarum. Nonnulliſq; una sola. Potentias autem dicimus, quod nutriendi, sentiendi, appetendi, mouendi secūdum locum, intelligendi uim habet. Inest autem plantis quidem, quod nutriendi uim habet solum. Aliis uero id, & quod sentiendi. Sin autem quod sentiendi uim habet &

quod appetendi. Appetitus quidem enim cupiditas,& ira,& uoluntas. Animalia uero omnia,unum habent ex ſenſibus,tactum. Cui autem ſenſus ineſt,ei uoluptas,atq; dolor,& ſuaue ac moleſtum. Quibus autem hæc,& cupiditas. Suauis nanque appetitio ipſa eſt.

VIGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

PRAETEREA uero nutritionis ſenſum habent. Tactus.n. nutritionis ſenſus.

EXPOSITIO.

Recte profecto,atq; pulchre haud materiam id, quod uiuimus,interpretati ſumus. In perfectione nanq; ipſum uiuere collocatum eſt. Materia uero potentia eſt,ita, vt imperfecta natura ſit. At cuiuſnam actus anima eſt? animati inquit. Id nanq; illud eſt,quod ex amborum conſtitutum. Ac quemadmodum medicum medicina figuramus, & recte valétem bona valetudine:ita & ab animato,tanquam in terminum animam adducimus. Nãq; aut in corpus,aut in animam definere oportet. Sed corpus indeterminatum eſt:& oppoſito ſeſe modo habet erga ipſum animatum:quod ſecundum ſe ſumptũ fuerit. Prælertim itaq; eſſet perfectio,ſi per ſeipſam anima relinqueretur. Verum ipſa corporis alicuius, animati ſcilicet eſt. Iure itaq; eos philoſophus laudat,qui neq; corpus animam ipſam, neque ſine corpore eſſe putarunt. Nanq; quicquid ipſius animæ rationem participãtis ſeparabile eſt, in primis quidem ab ipſo intellectus appellatus fuit. Deinde vero vel is quoq; corporum eſt actus in illo impetu ad ea,quæ extrinſecus,non ſecus,atq; nauta nauigii ſit. Quoniam autem viuax ille actus duplex exiſtit:alter quidem ceu is,qui inſtrumenti effingendi vim habet,quo inſtrumentum ſit: Alter autem,tanquam is,qui ipſo vtitur inſtrumento:duobus quoq; modis & illud haud ſine corpore intelligere neceſſe eſt: & illud corporis aliquid eſſe. Et in corpore quoq; reperiri neceſſe eſt,non quocunq; : ſed inſtrumentario : & in eo,quod conuenienter vnicuiq; vitæ inſtrumentarium ſit. Nanq; quod poteſtate vbiq; huiuſmodi,qualis actus eſt. Atq; ratio hæc maxime neceſſaria exiſtit:ita ſcilicet, vt vniuſcuiuſq; actus,illi inſit,quod poteſtate exiſtens,par,atq; conuenieris ſit. Propter quæ rurſum nobis viuaces potentias in memoriam reuocat:quot,ac quales: & quẽadmodum ſolum quibuſdam pote eſt ineſſe quod nutriendi vim habeat:animalibus autem inſuper & quod ſentire poſſit:& quemadmodum id,& appetitio quoq; quædam conſequitur. Quãdoquidem & voluptas,& dolor,& quod ſuaue,atq; moleſtum incidunt. Illa quidem tanq̃ paſſiones quædam eius quod ſentiendi uim habet. Hæc autem,táquam ea, quæ illarum efficiendarum facultatem obtinent. Vtrorunq; autem iudicandorum poteſtatem ſenſus adeptus eſt. At cum dixerit,& qualis appetitio omnibus conuenit,quibus & ſenſus : quoniam cupiditas. Quæ haud boni eſt,quemadmodum voluntas:neq; ad victoriam,aut honorem,aut vltionem ſpectat,quemadmodum iracundia:ſed id intuetur,quod ſecundum ſenſum iucundum. Cumq; cauſam admouerit:quoniam nutritionis ſenſum obtinẽt:nutritioniq; voluptas,innutritioni autẽ dolor conſequens eſt:id ipſum confirmat:quia aĩalia nutritionis ſenſum habent,ipſum ſcilicet tactum. Qui vel omnibus animalibus adeſt.

SICCIS enim,& humidis,& calidis,ac frigidis,nutriũtur animalia omnia. Horum autem ſenſus tactus.

Omnia náq; corpora,quæ ortui ſubiecta ſunt,has qualitates participãt.& iuxta has ortus,atq; interitus,alterationes,accretiones,ac decretiones fiunt. Tactum vero eam habere vim,vt paſſibiles qualitates percipere queat,perſpicuum eſt.

ALIORVM uero ſenſibilium ſecundum accidens. Nihil enim ad nutritionem ſpectat ſonus,neque color,neque odor. Humor autem unum quoddam ex iis, quæ tangi poſſunt,eſt. Fameſq;,ac ſitis,cupiditas. Fames quidem calidi,& ſicci. Sitis autem humidi,& frigidi. Humor uero ceu condimentum quoddam horum eſt.

Eſt quidem & tactus ſenſus ſecundum accidens aliorum ſenſibilium, vt ſonorum ; &

colorum.

colorum. Haud tamen id philoſophus, vt mihi perſuadeo, dicere vult. Sed ſecundum accidens ſenſus is percipit, quæ apta ad nutritionem ſunt: cum vel aliorum ſint ſenſuum ſenſilia. Quod indicat dum huius rei cauſam affert, quæ ea eſt: nihil ad nutritionem alia ſpectare. Quoniam autem ad nutritionem aptus dulcis eſt humor: infert primo quidē, quod eorum quæ tangi queunt, vel humor eſt. Nanque guſtus iis omnibus ineſt, quibus & tactus. Deinde vero dicit, quod etiam apta ad nutritionem ſecundum ſe ſunt, ſiccum, & humidum & quæ tangi queunt. Humores autem ſpectant ad nutritionem, tanquam condimenta eorum, quæ tactui obuia.

VIGESIMANONA PARTICVLA.

DILVCIDANDVM autem de ipſis poſterius. Nunc autem quoad id determinatum ſit: quod animalibus habentibus tactum, & appetitus ineſt. De imaginatione autem obſcurū. Poſtea uero inueſtigandum. Nōnullis uero præterea ineſt, & quod ſecundum locum mouendi uim habet: aliis autem & quod diſcurrēdi, & intellectus.

EXPOSITIO.

Non ſolum in iis dilucidandum eſt, quæ hoc in libro dicenda ſunt: verum & in eo, qui de ſenſu, atq; ſenſilibus inſcribitur. Exactius nanq; ibi de humoribus determinat. At cum antea paſsibiles qualitates ad nutritionem aptas eſſe, ex eo, quod ſecundum ipſas, alterationes fiant, confirmarit: nunc idem ex vita illa, quæ nutritionum appetendarum vim habet, corroborat. Fames nanq;, ac ſitis nutritionis ſunt appetitus. Ex quibus altera quidem maiorem copiam ſicci, atq; calidi expetit: altera vero frigidi, atq; humidi. Nanq; propoſitis frigidis, atq; humidis cibariis, ad ea ſitis mouetur. At ſicciora, atque calidiora famis occupat. Obſcurum autem de imaginatione. Non quia non omnibus animalibus inſit. Siquis imaginationem indeterminatum illum, atq; indiſtinctum vel remotorum tangibiliū conſenſum appellandum putet. Verum immanifeſtum eſt: quia ea interdum ſola imaginatio dicitur, quæ determinata eſt, quæq; in memoriam reuocare valet: interdum autem ea, quæ commouere tantum quædam poteſt. At cum dixerit, iis qui tactum habent, & appetitum quoq; adeſſe, addidit & quod vim mouendi ſecundum locum habeat. Haud tamen ſcilicet in omnibus. Sed quia in iis, quæ ſentiendi vim habēt, & id, quēadmodum, & quod diſcurrere, atq; animo, cogitatione ve vertere valet. Imaginatio duplex.

QVEMADMODVM hominibus, & ſiquid huiuſmodi eſt alterum, aut & honore dignius.

Huiuſmodi quidem alterum eſt, a ſolido hoc corpore ſeiuncta humana anima. Præterea q; quæ paſsibili tenues partes habente vtitur corpore. Honore autem dignius, ſi & dæmonum ponatur vnquam genus: illud q; in paſsibile corpus progrediatur. Sin autem animalia, & cœleſtia quoq; ſunt: & ſenſum habent, atq; appetitum, haud tamen patiendi vim habentem: neq; eum, qui excitetur a ſenſibilibus illis, quæ extrinſecus contingant: ſed intrinſecus cognoſcat, atq; exornet ſenſibilia cuncta, illud honore dignius interpretari liceret non ſolum de dæmoniis, ſed de diuinis animalibus quoq;.

TRIGESIMA PARTICVLA.

PATET igitur quod eodem modo una eſſet ratio animæ, atq; figuræ.

EXPOSITIO.

Iam determinauimus, quemadmodum in iis, quæ ab vno, & ad vnum dicuntur, neceſſarium quidem eſt, communem quampiam afferre definitionem: ſed eam non ſufficere ſine propria iuxta vnamquanq; formam, exactæ contemplationis gratia. Hoc autem modo & figura de iis, quæ ei ſubiectæ ſunt, dicitur. Neq; ſolum, quæ ſimpliciter figura eſt: ſed & quæ lineas rectas habet. Quæ de iis, quæ tres habēt angulos primo dicitur: de iiſq; quæ permultos ſecundo loco. Quandoquidem in aliis omnibus, quæ treis habet, reperitur. At & anima de diuerſis hoc pacto dicitur animis. Inſeparabilia quidem igitur ſunt a ſubiectis

in illis,& quæ uniuoce dicuntur. At in his,licet non ſeparabilis,attamen vna quædam cõ munis eſt natura,diuerſa ab iis de quibus dicitur:quæ ratione ſuiipſius nunquam muta tur:quæ quia una eſt,una quoq; ratione comprehendi poteſt. In quibus autem quod pri mum,ac ſecundum reperitur,nihil commune adeſt,quod abſq; vlla uarietate exiſtat: ſed ex vnaquaq; forma diuerſum efficitur. Ac propter hanc quoq; cauſam neque unam eſſe dicimus naturam eam,quæ dicitur:ſed totum id,vnam multiplicem. Neq; unam eſſe dici mus rationem,quæ eius,quod commune ſit,definiendi vim habeat: ſed præter commu nem,& ſpeciatim quoq; iuxta vnamquanque formam diuiſione egere. Vnde & commu nem illam rationem Ariſtoteles attulit. Quandoquidé haud omnino ambigua erant,quæ ab uno dicuntur. Neq; eam tanq̃ exactam comprobat. Sed eam potius, quæ de unaquaq; anima propria ſit,recipit:tanquam eam,quæ communem ſingillatim reddat.

NEQVE enim ibi figura præter triangulum eſt,& eas,quæ deinceps. Neque hic anima præter eas, quæ dictæ ſunt. Eſſe autem poſſet & in figuris ratio communis: quæ conueniet quidem omnibus. Propria autem nullius erit figuræ. Eodemq; mo do,& in animis,quæ dictæ ſunt.

Non quia ſeparabilis non ſit,ibi figura,præter triangulum non eſt:ſed quoniam haud una reperitur natura:quæ in omnibus abſq; vlla exiſtat uarietate. Neque hic anima præ ter eas,quæ dictæ ſunt. Neque enim quælibet eodem modo eſt anima. Quandoquidem neque eodem modo actus eſt:neq; inſeparabiles,aut ſeparabiles a corporibus eodẽ ſunt
Dubitatio. modo. Nunquid igitur neque animal uniuoce dicitur de hominibus,atque equis,quoniã
Reſponſum non ſine differentiis exiſtit? At ibi differentiæ ſunt,quæ animalis diuidendi uim habent,ut rationale,atque irratinale. Hoc autem loco quod uniuocum ſit adeſſe non ualet: quãdo quidem quæ conſtituendorum illorum,de quibus dictio fieri debet:facultatem poſsidẽt, diuerſa ſunt. Quemadmodum de corruptibili, atque incorruptibili animali dicere licet. Quoniam corruptibile,atque incorruptibile haud huiuſmodi erant differentiæ, quæ ani malis diuidundi poteſtatem obtinerent:ſed ſubſtantiam quidem ipſam diuidere poterãt: quæ vero ſub ea continentur,conſtituere debebant. Corruptibile itaque ab incorruptibili diſiunctum ea differentia eſt,quæ conſtituere,non quæ diuidere ualeat. Hac eadem ſane ratione,& ipſum ſeparabile,aut inſeparabile,& quod tum quidem ſeparabile, tum autem inſeparabile, aut omnino inſeparabile,& quod tanquam inſtrumento utitur, quod inſe parabile eſt,aut quod ceu inſtrumenti effingendi uim habet,haud huiuſmodi ſunt diffe rentiæ,quæ animarum diuidendarum,ſed quæ earum conſtituendarum facultatem na ctæ ſint. Subſtantiam nanque corpore carentem ſimpliciter,diuidere queunt. Communis autem de his ratio,omnibus quidem conueniet:quatenus haud omnino ambigua ſunt. Propria uero nullius erit. Quæ nanque cuiuſque ex formis,tanquam formæ exiſtit, ne quaquam aliis quadraret. Quæ autem unius eſt, haud omnium communis eſſe poſſet. Quandoquidem neque una reperitur natura,quæ quod commune adepta ſit: quia ſcili cet quod dici debet,uniuocum non eſt.

QVAPROPTER ridiculum inueſtigare communem rationem & in his,& in aliis. Quæ nullius eſt eorum quæ ſunt,propria ratio. Neq; iuxta propriam,atq; atomam formam:ubi dimiſerimus,quod eiuſmodi.

Haud ſimpliciter ridiculum eſſe philoſophus vult communem inueſtigare rationem: ſed inueſtigare communem vbi iam dimiſeris,quod iuxta propriam,atq; atomam ſpeciẽ. Quoniam in iis,quæ vniuoce dicuntur,vel ex ipſius Ariſtotelis ſententia communis ratio inueſtiganda eſt. Quoniam unius cuiuſdam propria eſt:eius ſcilicet quod communiter dicitur. In his autem nullius eſt,niſi vltra cõmunem,& propriam quoq; accipiamus. Neq; enim,eius,quod commune eſt,eſſe poteſt:quia unum non eſt, neq; alicuius atomorum formarum exiſtit.

Trigeſima

TRIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

PROXIME autem ſeſe habent cum eo,quod de figuris, & quæ circa animam. Semper enim in eo,quod deinceps ineſt poteſtate, quod prius, in figuris, & in animatis. Exempli gratia in tetragono triangulus:in eo,quod ſentiendi, quod nutrien di uim habet. Quare iuxta unumquodque quærẽdum,quæ uniuſcuiuſque anima. ut quæ plantæ.& quæ hominis,aut belluæ. Propter quam uero cauſam ordinatim ita ſeſe habeant,inueſtigandum. Sine eo,quidem enim quod nutriendi uim habet, quod ſentire ualeat, non eſt. Ab eo uero quod ſentire ualet,ſeparatur quod nutrire poteſt in plãtis. Rurſuſque ſine eo,quod tangendi facultatem poſſideat,aliorũ ſenſuum nullus ineſt. Tactuſque abſque aliis ineſt. Multa nanque ex animalibus,neque uiſum,neque auditũ habent,neque odoris omnino ſenſum.

TRIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

EX IISQVE quibus ſentiendi uis data eſt:alia habent quod ſecundum locum mouere poteſt:aliaque nõ habent. Poſtremum uero quod minimum,ratiocinationem,atque diſcurſum. Quibus quidem enim ineſt ratiocinatio ex corruptibilibus, his & reliqua omnia. Quibus autẽ illorũ unũquodq;,haud omnibus ratiocinatio.

EXPOSITIO.

In omnibus quidem iis,quæ ab vno dicuntur,quod primum,atq; ſecundum, & tertiũ ineſt. Et quod in primo reperitur,in aliis,quoq;,quæ deinceps ſequuntur,extat. Licet mutatum ſit,& alio,atq; alio modo ſeſe habeat. Quod autem primo particeps eius eſt, quod commune:haud omnino & ipſum in iis exiſtit,quæ ſequuntur. Subſtantia itaq;,quæ primo id quod eſt,eſt,in accidẽtibus non reperitur. In figuris autem triangulus extat in tetragono,& quod nutriendi vim habet,in eo,quod ſentire poteſt. Neque in his eodem modo. Neq; enim in tetragono triangulus actu eſt,vt per ſe exiſtebat. Neq; in eo, quod ſentiendi vim habet ipſum nutrire valens,ceu ex ſe adeſt. Omnino quidem enim in plantis inſeparabiliter collocatum eſt. In ipſis vero animalibus manifeſtius quod vtitur, indicat:atq; cõuenienter cum ſenſu ſeſe habet. Tota nanq; per ſeipſam totam aliorum ſentiendi vim habẽtium anima pertranſit. Quare & quod huius nutriendi vim habet,vna cum facultate ſentiendi fere exortum eſt. Recte itaq; hinc colligitur. Oportere propriam iuxta vnamquãq; formam rationem afferre. Ne in ea tantum acquieſcamus,quæ communis ſit. At cum cauſam deinceps philoſophus noſter,vt in iis,quæ præceſſerunt, pollicitus eſt, adducturus ſit:propter quam nonnullæ quidem ex viuacibus potentiis abſque aliis permanent:hæq; haud abſq; illis:antea quæna vtræq; ſint,tradit. Perſpicuaq; ſunt,quæ dicta fuere. Quoniam autem ratiocinationem & ipſa quoq; perpetua participant:ratiocinatioq; agentẽ indicat intellectum:agereq; vel ipſa in libris de cœlo,cœleſtia Ariſtoteles inquit:patetq;,quẽadmodum neq; ratiocinatio imperfecta in illis exiſtit,neq; vſus gratia actio illa fit: ideo recte haud in iis omnibus,quæ ratiocinationem habeant,reliqua quoq; ineſſe denunciat: ſed in iis tanntm,quæ corruptibilia ſint.

SED his quidem neque imaginatio. Alia uero hac ſolum uiuunt.

Imaginationem nũc appellat eam,quæ determinata ſit:& quæ memoriæ particeps exiſtat:& quæ aſſueſcere queat.

DE CONTEMPLANTE autem intellectu,alia ratio. Quod quidem igitur de horum unoquoq; ratio,ea maxime conueniens ſit,& de anima patet.

Haud de eo intellectu contemplari valente loquitur,qui in iis reperitur, quæ corrumpi non poſſunt:ſed de eo,qui in nobis extat. Nanq; & de ratiocinatione addidit: quemadmodum quæ in corruptibilibus exiſtit,haud ſine aliis eſt:tã quam is,qui haud hæc de illa

ratiocinatione commentando, atq; inuestigãdo loquereturquæ in iis reperitur: quæ nequaquam interitui obnoxia sint: sed de ea, quæ in nobis apparet. Licet enim aliqua vel in illis ratiocinatio sit: haud tamen imperfecta est: neq; in voluntate, atq; ambiguitate constituta. Quemadmodum & Plato de ipso loquens effectore inquit. De eo itaq; intellectu loquitur Aristoteles, qui in nobis existens contemplari valet. Quippe cum neq; in incorruptibilibus illis is sit: neq; eodem sese habeat modo, quo agens ille, qui in nobis est: aut qui pati potest. Ex quibus ille pati valens cum reliquis vitis implicatur. Ille vero agens vtitur. Is autem contemplandi facultatem obtinens, neutrum agit. Quare de eo diuersa est ratio: & ab eo, qui in præstantioribus existit, q̃ prope nos: & ab eo, qui de aliis viuacibus facultatibus in nobis existentibus, dicitur. Ceu ille quidem in nobis sit: haud tamen ei actus cõueniat. Verum cum illud in conclusione, atq; huius orationis exitu posuerit: exactissimam scilicet de anima eam esse rationem: quæ propriam de vnaquaq; complectitur definitionem: quandoquidem & quod commune singillatim ex vnaquaq; comprehendetur: modum, ac viam deinceps eius cõtemplationis tractandæ, quæ ad vnũquodq; spectat, tradit.

TRIGESIMATERTIA PARTICVLA.

NECESSARIVM autem eum qui debeat de his considerationem facere, accipere quid est unumquodq; horum. Deinde sic de iis, que iũcta sunt. Si autem oportet dicere quid unumquodq; horum, ut quod intelligendi, aut quod sentiendi, aut quod nutriendi uim habet, antea etiam dicendum, quid ipsum intelligere, & quid ipsum sentire.

EXPOSITIO.

Considerationem hoc in loco eam appellat cognitionem, quæ veram scientiam gignere valeat. Ipsa nãq; cum ea sit: quæ formam, & ipsum quid erat esse intelligit: hinc & quod definitur, & quæ ei per se insunt, considerat. Forma autem ipsum quid est significat. Ex iis vero, quæ sunt iuncta, quæ diffiniuntur: ceu ea, quæ aliis insint, intelligimus. Cæterũ quo nã pacto ipsum quid erat esse vniuscuiusq; intuebimur? ex opere respondet philosophus, atq; actione. Quod nanq; animal sit ex viuacibus eius nouimus actionibus: & quod rationis particeps ex iis, quæ rationem participant. & quid ipsum animal, quidq; quod rationis particeps hac intelligimus ratione. Deinde vero & causam quoque admouet, propter quam ab actionibus in substantiam reducimur.

PRIORES nanq; sunt potentiis opera, & actiones secundum rationem. Sin autẽ sic, his uero adhuc priora ipsa opposita oportet inuestigasse: de illis primo oportet determinare, propter quã causam. Vt de nutritione, & sensibili, atq; intelligibili.

TRIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

QVARE primo de nutritione, atque generatione dicendum. Nutriendi nãque uim habens anima, & aliis inest. Et prima, atque communissima uis est animæ: iuxta quam inest ipsum uiuere cunctis.

EXPOSITIO.

Respectu nanq; nostro priora existunt, quæ formis absoluta sunt, q̃ ipsæ sint formæ. Atq; ita oportet nos ipsum quid erat esse vniuscuiusq; accipere, vt in id quod forma absolutum sit, intueamur. Quod vero forma affectum, atq; absolutum est, aliquãdo quidem agens est, aliquando autem minime. Vnde patet, quod tanquam agens, ipsum est perfectius, atq; manifestius ipsi redditur cognoscẽti. Quod nanq; potestate existit, tũ eo, quod actu sit, imperfectius est: tum neq; adeo notum dici potest. Atq; in vnoquoq; eorũ, quæ ortui subiecta sunt, aliud quidem reperitur tempore prius: aliud vero ratione posterius. Quandoquidem ex eo, quod perfectum est, quod imperfectum existit, tum cognoscitur, tum exponitur, atq; declaratur. Sin autem sic, inquit Aristoteles. Hoc est, si ab actionibus cognitio ipsius quid est, nobis inferitur: & actiones ex iis, in quibus ipsæ versantur actiones, cognoscimus. Quæq; nutriendi uim habet ex nutritione perspicua fit: ceu quæ illius

alterandæ

alterandæ facultatem obtineat. Quæ vero gignere, atq; cognoscere valet, tanquam iuxta formam agentes manifestæ redduntur: altera quidem in eo quod gignitur, efficiendo occupata: altera vero in quod cognoscivalet, iudicando. Illud colligitur, vt de iis antea tractare necesse sit. Quæ oppositaquoq; philosophus appellat. Ex oppositione scilicet ea, quæ in illis reperitur, quæ ad aliquid dicuntur. Hac enim ratione opponitur ipsum nutriens erga nutritionem: & quod cognosci debet erga cognitionem. Quemadmodum enim in eo libro, qui prædicamentorum nomine inscriptus circunfertur, dictum fuit: color tanq̃ sensibilis a sensu non recedit: ceu vero color natura prior est. Verum id quidem consideratione dignum est. Vel in iis scilicet, quæ ad aliquid dicuntur, causam eo priorem esse, quod de causa efficiatur. Vt & in illis quoq; dictum fuit. Quod nanq; cognosci debet, ceu expetendum, illud præcedit, quod expetere aptum est: & ceu terminus ante id, existit, quod termino finiendum. Quod ei tanquam natura priori euenit. Cæterum nobis ex inferiori parte auspicantibus id datum est, vt vegetans anima prima, atq; maxime communis appareat. Quæ in cunctis mortalibus ex necessitate reperitur: & ex qua ipsum viuere, vt & antea dictum fuit, datum est. Huiusmodi autem viuere, vt ab animalium vita distinguatur.

Vel in iis, q̃ ad aliquid, cãm priorẽ eo, quod ex causa.

CVIVS sunt opera generare, atq; nutritione uti. Maxime nanq; naturale ex operibus, quæ in uiuentibus: quæcunq; perfecta, ac non diminuta, nec ortum sua sponte habent: facere alterum, quale ipsum. Animal quidem animal. Planta uero plantam. Quo ipsum semper, atq; ipsum diuinum participẽt, quatenus possunt. Omnia enim illud appetunt: & illius causa agunt: quæcunq; secundum naturam agunt.

Vna cum nutritione, accretionem quoq; Aristoteles complexus est. Spectat quidem igitur vel nutritio ad ipsum esse. Verum maxime naturale vegetantis vitæ opus est, ipsa generatio. Hoc est, primum, atq; præstantissimum. Quippe cum ad illud spectet, vt mortalia, quatenus eis fas est, semper sint. Quod sane tanquam diuinũ recte celebratur. Res nanq; eave quæ sunt, diuinitatem participãt: quia sunt: atq; multo magis, quia semper. Quapropter quia diuinum illud omnia appetunt: & sempiternitatem quoq; omnia, quatenus eis pote est, omnia cupiunt. Sed nonnulla quidem ex indiuiduis sub aliqua forma existentibus diminuta, atq; mutila esse: quæ aut natura oblæsa sint: vt quæ sterilia sunt: aut extrinsecus, id eis acciderit: nequaquam admiratione dignum est. Totas vero reperiri, atq; integras species: quæ sponte sua, atq; adeo casu, ortum consecutæ sint: ita, vt nullum vnquam indiuiduum in eis, ad alterius generationem pertineat aliquam meretur consideratione. Liceret enim quo ad extremam illam perfectionem pertinet, vel totas, atq; integras reperiri animalium species: quæ ita progrediantur: vt omnia in iis sine semine existãt indiuidua: & ita, vt in animalibus sint omnia diminuta, atq; manca. Cæterum plantæ quoq; diuinũ illud appetunt, ex comprehensione scilicet illa causæ viuaciter excitata. Neque enim appetitionem ita interpretari debemus, vt eam cognoscendi vim obtinere dicamus. Sed potius retentio quædam eius, quod præstantius sit; ex vi insita credenda est. Siquidem materiam quoq; diuinum appetere, dictum fuit.

TRIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

IPSVM autem cuius causa duplex. Alterum quidem cuius: alterum autem quo. Quoniam uero participare non potest ipsum semper, ac diuinum continuitate: quia nullum ex corruptibilibus potest idem, & unum numero permanere: quatenus participare potest unumquodq;: ea ratione participat. Id quidem magis, illud autem minus. & permanet non idem, sed quasi idem. Numero quidem haud unum: specie uero unum. Quapropter semen animalium, atque plantarum instrumentum est.

EXPOSITIO.

Quemadmodum id,quo viuimus duplex eſt:alterum quidem tanquam forma:alterũ vero tãquam id,quod forma affectum,atq; abſolutum eſt:ita & id cuius cauſa, atq; finis. Alterum quidem,vt perfectio,ac bonitas.Alterum vero,ceu id,quod perfectum,atque bonum effectum.Ex quibus,alterum quidem vt virtus,atq; bona valetudo exiſtit:alterum vero,vt qui ſtudioſus,ac recte valẽs.Et alterum quidem,vt id cuius:cuius ſcilicet adeptio. Alterum vt ipſum quo:quo ſcilicet participatio fit.Quæq; ſequuntur perſpicua,atq; clara ſunt.Quemadmodum ſcilicet corruptibilia iſta ſecundum formam,non autem continuitate perpetua ſunt.Quoniam haud ſecundum numerum eadem permanent:ſed inter ſeſe diuiſa ſunt.

TRIGESIMASEXTA PARTICVLA.

EST autem anima uiuẽtis corporis cauſa,& principium.Hæc autem multis modis dicũtur.Attamen anima iuxta diuiſos modos treis cauſa. Nanq; unde motus ipſa,& ipſum cuius cauſa:& tãquam ſubſtantia animatorum corporum anima cauſa.

EXPOSITIO.

Quatuor quidem modis cauſæ dicuntur.At ea excepta,quæ a materia ſtat iuxta alias treis animam eorum,quæ viuunt,cauſam eſſe inquit.

TRIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur ut ſubſtãtia,patet.Cauſa nanq; ipſius eſſe omnibus, ſubſtantia.Ipſum uero uiuere uiuentibus,ipſum eſſe eſt.Cauſa autem,& principium horum anima.Præterea uero eius quod poteſtate eſt,ratio,aut perfectio. Manifeſtum autem,quemadmodum & cuius gratia,cauſa anima.Quemadmodum enim intellectus gratia alicuius agit:eodem modõ & natura:& is eſt ei finis.

EXPOSITIO.

Vt ſubſtantia,hoc eſt,vt forma.Cauſa nanq; ipſius eſſe omnibus ſubſtãtia eſt. Ad eius nanq; eſſe omnes ſpectant cauſæ,cuius ſunt cauſæ.Verum cauſa quæ materia eſt: atque ideo materialis dicitur:huiuſmodi eſt,vt recipiendi vim habeat:& qua haud ſine.Cauſa vero efficiens huiuſmodi eſt ut per generationem in ipſum eſſe deducat. Quæ uero finalis appellatur eius,quod perfecte conſtitutum ſit,& quod ſecundum naturam exiſtat, cauſa eſt. Forma uero ea eſt,quæ ſimpliciter ipſius eſſe cauſa eſt. Quandoquidem ex forma compoſito ipſum adeſt eſſe: quemadmodum ex uita ipſi viuenti: & ex anima ipſi animato. Quoniam itaque cauſa ipſius eſſe ſimpliciter abſque additione,aut eius, quod eſt perfecte eſſe,aut eius,quod per generationem:ſed ipſius in primis eſſe ſecundum ſe,forma eſt:uiuentibuſque abſque additione ipſum adeſt eſſe,quod ipſum uiuere eſt:ipſiusq; uiuere cauſa anima eſt:erit ergo anima tanquam forma ipſis uiuẽtibus cauſa.Cæterum ex ea quoq; definitiõe animæ,quæ iam tradita fuit,id nobis philoſophus in memoriam reducit.Actus nanq;,quilibet eius,quod poteſtate ſit,formalis cauſa eſt.Poteſtate nanq; compoſitum eſt,quod ex cauſa effectum fuit.Actus uero forma eſt.Anima autem eius actus eſt,quod poteſtate uiuit.Quare forma quoq; erit. Quam tamen ſubſtãtiam uocat.Demonſtrat autem Ariſtoteles præterea,quemadmodum & tãquam finis anima uiuentium cauſa eſt.Licet haud illud cuius cauſa ſumpſerit, quod in iis reperitur ſolis,quæ ſecundum rationem,atq; intellectum agunt:quæ ſane uires in nobis eluceſcunt: ſed & quod in iis,quæ natura fiunt:quemadmodum in ſecundo naturalis auditionis demonſtrauit.Quoniam ipſum cuius cauſa finem eſſe inquit.

HVIVSMODI autem in animalibus anima ſecundum naturam.Omnia nanq; naturalia corpora,animæ inſtrumenta:quemadmodum quæ animaliũ:ſic quæ plantarum,tanquam cauſa animæ ſint.

Huiuſmodi

Huiuſmodi quidem,dictū fuit,pro eo,quod eſt cuius cauſa,& finis. Quod demonſtra uit ex eo,quod viuentium,atq; plantarum corpora animæ dixit inſtrumenta eſſe. Inſtru-menta nanq; eius cauſa ſunt,quod ipſis vtitur. quo illud agat. Illud vero,& ſecundum na turam,adiectum fuit:quod alterius demonſtrationis eiuſdem rei occaſionem præbet. In iis nanq; quæ natura conſtant, ipſum perfectum,atq; adeo ipſa adeſt perfectio. Quod ve ro perfectum ſecundum naturam dicimus. Quoniam autem quod præſtantiſſimum in viuentibus naturaliter reperitur,anima eſt:& propter hanc quoq; cauſam ſecundum na-turam:idq; finis eſſe dicitur:iure itaq; anima erit finis in iis,quæ naturaliter viuunt.

DVPLICITER autem ipſum cuius cauſa,ipſumq; cuius,& ipſum quo.

Rurſum de his mentionem philoſophus facit:quo tanq̄ cauſam aiam:at nō tanq̄ præ-ſtantiſſimā perfectionū ſtatuamus. Nanq; ille finis,vt quo. Aia vero,vt cuius. Quādoqui dem haud ipſius viuere ſolius:ſed & ipſius perfecte viuere cauſa eſt viuentibus anima.

ATQVI & unde primo qui ſecundum locum motus,anima. Non omnibus aūt ineſt uiuentibus uis hæc. Eſt præterea & alteratio,& accretio ſecundum animā. Sen ſus quidem enim alteratio quædam eſſe uidetur. Sentit autem nihil,quod haud ani mam habeat. Eodem præterea modo,& de accretione,atq; decretione ſeſe habet. Ni hil enim decreſcit,neq; creſcit naturaliter,quod non nutriatur. Nutritur autem ni-hil,quod non participet uitam.

TRIGESIMA OCTAVA PARTICVLA.

EMPEDOCLES uero non recte dixit hoc:cum addiderit accretionem contin gere plantis,deorſum quidem radicibus actis,quia terra ſic feratur ſecundum natu-ram. Surſum uero quia ignis eodem modo. Neq; enim quod ſurſum, & quod deor ſum belle accipit. Neq; enim idē omnibus quod ſurſum,& quod deorſum, & quod uniuerſo. Sed quemadmodum caput animalium,ſic radices plantarum. Si oportet inſtrumenta diuerſa dicere,& eadem ex operibus.

TRIGESIMANONA PARTICVLA.

PRAETEREA uero quid quod continet,quæ in contraria feruntur,ignem,& terram? Diuellentur enim,niſi aliquid erit,quod prohibeat. Sin autem eſt,id eſt ani-ma,& cauſa augendi,atq; nutriendi.

EXPOSITIO.

Eſt quidem ipſum efficiens,quod per generationem cōſtituit. Quoniam quod ſine ge neratione eſt,non efficiens,ſed finale Ariſtoteles appellat. Verū cum inueſtigaret in octa-uo naturalis auditionis libro,quid illud ſit,quod elementa motu ſecundum naturam mo ueat:ipſum conſtituens eſſe enuntiat. Cui quoq; conſequens erit,animam quæ animalia intrinſecus,& ſola appetitione ſecundum naturam moueat,eam quoq; vim poſſidere, ut ipſa conſtituat. Neq; enim ea ex ſola vi ſua,atq; ſola appetitione moueret: niſi eam quoq; facultatem obtineret,vt ea conſtituere poſſet. Verum cū mortalia corpora haud perpetua ſint:patet,quemadmodum per generationem eorum conſtituendorum facultatem habet. Vel effectricem itaq; cauſam eorum quæ ſunt, Ariſtoteles animam demonſtrat: ex eo, q ipſa ſecundum naturam tanq̄ viuentia moueat. Omnia quidem,tanq̄ ea,quæ augentur, quæq; diminuuntur:& quæ,vt vno verbo dicā,nutriūtur. Quæ & ſecundum quantum, & ſecundum quale mouentur. Animalia vero omnia ſecundum quale mouentur. Sen-tiendi nanq; vim omnia habent atq; alterantur dum ſentiunt. Maxima vero eorum pars, vel motum ſecundum locum intrinſecus adepta eſt. Verum quod ille quidem motus,qui intrinſecus mouendi vim habet,& alteratio illa,quæ ſentiēdi,ab aīa fiant,perſpicuū eſt. Nu tritio vero alicui videri poſſet haud ab anima exiſtere: quia vel nonnulla anima carentia nutriri videntur. Quandoquidem & augeri quoq;,atq; diminui. Et quia nonnulli elemē Dubitatio.

Reſponſum tis nutritionis cauſam aſcribunt. Quæ ſimul quidem cauſas eſſe, dicere poſſumus: haud tamen vim mouendi habere dicere debemus. Verum id animæ dandum. Quemadmodũ enim iam dictum fuit, nihil nutritur, quod vitam non participet. Quãdoquidem haud ex omni parte iis quæ anima carent, additio fit. Cæterum neq; in ipſis viuentibus propter elemẽtorum lationem accretio. Quemadmodum in plantis dicere Empedocles videtur. Qui per terram, quæ deorſum mouetur, radices agi: per ignem vero qui ſurſum, accretionem fieri vult. Primo quidẽ enim haud idem in vniuerſo, atq; in iis, quæ viuũt, quod ſurſum, & quod deorſum. Si ita q; in plantis quod ſurſum radices ſunt: ſiquidem capiti ex proportione reſpondent, atq; illis animalium particulis, quæ principatum obtinent: oportebat ad id, quod deorſum, quemadmodum in plantis, terram proficiſci. Ignem vero ad truncum. Nanq; in animalibus ad oſſa, quod terreum eſt: ad cor autem, atq; iecur quod calidum tẽdit. Deinde vero quonã pacto non diuelluntur inter ſe, quod ſurſum fertur: quod q; deorſum. Propter quam nanq; cauſam non relinquent plantam: cũ ignis quidem ad id, quod ſurſum: terra autem ad radices tendat? Aut quidnã illud eſt, quod hæc ambo in vnã quãq; particulam contrahit? Aut quidnam illud eſt, quod determinat, donec augeri videtur? Sin autẽ erit, id anima erit. Omnis nanq; forma vim cohibendi habet, vt id iuxta quod. Aĩa vero non ſolum tanq̃ forma viuentium cauſa eſt: ſed & tanq̃ ea, quæ efficiendi vim habeat.

QVADRAGESIMA PARTICVLA.

VIDETVR autem quibuſdam ignis natura ſimpliciter cauſa nutritionis, & accretionis eſſe. Nãq; ipſe uidetur ſolus ex corporibus, aut elemẽtis, nutriri, & augeri. Quapropter & in plãtis, & ĩ aĩalibus exiſtimare aliquis poſſet, ipſum eſſe, qui agat.

QVADRAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

IS VERO concauſa quodam pacto quidem eſt: haud tamen ſimpliciter cauſa. Sed potius anima. Ipſa quidem enim ignis accretio in infinitum: quouſq; ſit, quod comburi queat.

EXPOSITIO.

Ipſe quidem Empedocles, licet haud manifeſte, at perſpicuus tamen eſt, vt qui elementa tanquam concauſas nutritionis afferat. In corpora nanq; cauſam conferebat. Nõnulli vero non ignem, ſed ignis naturam, hoc eſt, formam ipſum determinantẽ, non tanq̃ concauſam: ſed ſimpliciter, atq; proprie nutritionis cauſam eſſe dicunt. Inde indicium ſumentes, quia ipſe ſolus ex elementis nutriatur. Quemadmodum enim eius lationis, quæ ſurſum fit, igneam formã in cauſa eſſe dicimus: ita & ipſius quoq; nutritionis. Si iuxta ipſum ignẽ nutriuntur. Ita, vt tum plantæ, tum animalia ideo nutriantur: quia ignem participant. Verum non nutritur ignis, quia neq; etiam permanet. Semper autem fit: & maior interdum, q̃ antea. Vbi plus ſcilicet materiei occuparit. Neq; ſimpliciter, atq; proprie cauſa eſt: ſed nutritionis potius concauſa. Vtitur nanq; anima ipſo, ceu ea exiſtens quæ moueat. Ariſtoteles nanq; ſimul illud demonſtrat, quod ex ſe ignis non nutritur: & q̃ ipſum nutriri eorũ, quæ animam habeant, proprium eſt. Ita, vt nos recte huiuſce rei cauſam animæ tribuere queamus, ex eo, quod ignis indefinite comburendo exuperet.

EORVM autẽ quæ natura conſtent finis eſt, & ratio magnitudinis, & accretionis. Hæc autem animæ, & non ignis. & rationis potius, q̃ materiei.

Neq; enim animatorũ ſolum, ſed & oĩum naturaliũ formã, aliorũq;, quæ ipſis ſecundũ naturã inſunt, eorũq; magnitudinis cauſari debemus: & cõuolutionẽ illam quoq; præter formã, ratiõis participẽ: quæ ab eo, quod impartibile in partitionẽ progreditur. Per ea nãq; quæ media ſunt, progreſſus fit. Forma quidem igitur finis eſt, tanq̃ indiuiſibilis terminus. Collectio aũt illa media, atq; diſtinctio ratio eſt. In accretione aũt non in ignẽ naturalem ſolũ: ſed & in animatã rationem cauſa conferenda eſt. Accretio nanq; ad rationem potius, q̃ ad materiem ſpectat. Eſt autẽ materialis eius cauſa ignis. ceu ratio vero anima. At hæc magis propria exiſtit. Ignis nanq; mouetur: anima autem primum mouens eſt.

Quadrageſima

QVADRAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVONIAM autem eadem uis animæ quæ nutrire, ac quæ gignere ualet, de nutritione neceſſarium determinare primo. Diſtinguitur enim ab aliis poteſtatibus opere hoc.

EXPOSITIO.

Cum illud iam philoſophus demonſtrarit, quod neq; corpora, neq; naturales corporũ formæ eæ ſunt, quæ nutriendi vim habeant: ſed quædam anima extrema: illud quoque nunc ſumit: quod licet eadem quoq; ſit, quæ gignendi vim habeat: at tãquam de illa, quæ nutriendi facultatem obtineat, primo loquendum eſt. Quandoquidem ab extremis ordimur. Perfectior autem actio generatio eſt. Præterea q; quoniam nutritionem ſemẽ ipſum conſequitur: ſiue ſuperuacaneum quid ex nutritione proueniẽs exiſtat: ſiue corporis particula quædam. Quemadmodum qui ipſum ſanguinem, aut medullam dixere, opinati ſunt. Siue aliud quoddam naturæ opus: cum omnino id ipſum imperfectum germen ſit. Quoniam ita q; de facultate vim nutriendi habente ſermo eſt, de nutritione antea aliquid dicendum. Nutritio nanq; dum pro eo, quod nutrit, accipitur: ipſi opponitur educationi, vt quæ ad aliquid referuntur. Ita, vt educatio, pro eo, quod educatur, accipiatur. Diſtinguitur autem ab aliis animatis viribus opere hoc, educatione ſcilicet, atq; ipſo educare.

QVADRAGESIMATERTIA PARTICVLA.

VIDETVR autem eſſe nutritio, contrarium contrario. Non omne autem omni. Sed quæcunq; contrariorum non ſolum ortum ex ſeſe habent: ſed & accretionẽ. Fiunt nanq; multa ex ſeſe, ſed non omnia quotcunq;. ut bene ualens ex laboranti. Videntur autem neq; illa eodem modo mutuo eſſe nutritio. Sed igni quidẽ aqua nutritio. Ignis uero non nutrit aquam. In ſimplicibus quidem igitur corporibus, hæc eſſe uidentur in primis, alterum quidem nutritio: alterum uero quod nutritur.

QVADRAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

DVBITATIONEM autem habet. Inquiũt enim alii ſimile ſimili nutriri: quẽadmodum & augeri. Aliis uero, ut dicebamus, e contrario uidetur, contrarium contrario. ceu impaſſibili exiſtente ſimili. Nutritionem autem mutari, atq; cõcoqui. Mutatio autem omnibus in contrarium, aut medium.

QVADRAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

PRAETEREA nutritio patitur aliquid ab eo, quod nutritur: at haud id a nutritione. Quemadmodum neq; faber a materia: ſed ab illo hæc. Faber autem mutatur ſolum in negocium ex ocio. Vtrum uero eſt nutritio poſtremum quod accedit, an primum habet differentiam. Sin autem ambo: ſed illa quidem inconcocta, altera uero concocta, utroq; modo contingeret, nutritionem dicere. Quatenus quidem enim inconcocta coutrarium contrario nutritur. Quatenus autem concocta ſimile ſimili. Quare manifeſtum, quod dicunt quodam modo ambo, & recte, & nõ recte.

QVADRAGESIMASEXTA PARTICVLA.

QVONIAM autem nihil nutritur: quod non participet uitam: animatum erit corpus, quod nutritur, quatenus animatum.

EXPOSITIO.

Dupliciter, vt ipſe quoq; Ariſtoteles inquit, cum nutritio dicatur: quæ ſcilicet concocta, & quæ inconcocta: cum ex his altera ſimilis, altera oppoſita ei, quod nutritur appareat: hãc contrariam quoq; vocat. Haud tamẽ ita, vt forma formæ. Subſtãtiæ nanq; ambo, & quod nutrit, & quod nutritur, extant: ſed ita, vt ipſi nutrienti eius, quod nutritur adſit priuatio. Poteſtate nanq;, quod nutritur eſt, & contraria hæc ſunt, vt priuatio, atq; forma. Oportet

ita q; & quod nutritur ex contrario mutari. Haud tamen quod ex contrario mutatur, nutritur. Neq; enim mutatio illa, quæ ex non albo in album fit, aut ex ægritudine in ſanitatẽ, nutritio eſt. Verum oportet non iuxta quale ſolum, at & iuxta quãtum eam fieri mutationem, quæ ſubſtantiam referat. Id nanq; illud eſt, quod ſimul augeri dicitur. At neq; ea nutritio eſt: niſi nutriens cũ materia potius ſit: quod vero nutritur a forma magis ſtet. Quod confirmatur ex iis, qui improprie de elementis loquentes ipſo vtũtur nutriri. Nanq; ignẽ nutriri dicunt: aquam autem nequaquam. Licet mutuo inter ſeſe fiant. Sed quod magis a forma ſtat, ſi ipſo nutriri proprie vti debeamus, de iis, quæ toto genere ſuperant, interpretãdum eſt. Quatenus ſcilicet animatum differt ab inanimo. Quod nanq; nutritur animatũ eſſe oportet: ipſum verũ nutriens nequaquam opus eſt. Fit ita q; nutritio iuxta mutationẽ ex contrario: verum ita, vt haud iuxta quale ſolum, ſed & iuxta quantum, atq; ſubſtantiã in animatam formam fiat. Vbi agit quidem quod nutritur ſecundum vitam: patitur autẽ, atq; ſimile redditur quod nutrit, ei quod nutritur. Opus nanq; eſt, dum inconcoctum ipſum nutriens exiſtit, contrario ſeſe modo habere reſpectu eius, quod nutritur. Quo & pati, & mutari queat. A contrario nanq; mutatio fit. At quod cõcoctum iam ſimile redditum eſt. Cæterum quoniam os oſſi, atq; caro carni, & vt vno verbo complectar, ſimile ſimili in nutritione admouetur: quodq; nutritur in ipſum nutriens agit: quod in eo, poteſtate eſt perficiens: & in viuax ſubiectum conuertens: quoniamq; videtur, quod nunc nutritur, ex ipſo non nutriri ad ipſum nutriri conuerti: haud a nutriente mutationem fieri Ariſtoteles inquit: neq; omnino cum paſſione: ſed non ſine actione: cum intrinſecus vita illa, quæ nutriendi vim habet ab otio ad negocium traducatur.

QVARE & nutritio ad animatum pertinet, & non ſecundum accidens.

Nutritio quidem pro ipſo ſumpta fuit nutriẽte. Verum quoniam quod nutrit, & quod nutritur, vt quæ ad aliquid referuntur, inter ſeſe opponuntur: nutriturq; animatum, tanq̃ animatum, hoc eſt, quod mortale: dici poſſet ipſum nutriens ſecundum ſe erga id quod animatum, & non ſecundum accidens. Quemadmodum ſeruus hominis reſpectu dicitur. Quemadmodum enim necori dextra in corporis parte collocatũ eſſe, ex eius fere ſubſtantia dici poteſt: ita & animato ipſum nutriri. Quapropter nutritur etiam quãtenus animatum exiſtit.

QVADRAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

EST AVTEM diuerſum nutritioni, & augendi uim habẽti eſſe. Qua quidem enim quantum quoddam quod animatum, augendi uim habet. Qua uero hoc aliquid, & ſubſtãtia, nutritio. Seruat nãq; ſubſtantiã: & eouſq; eſt, donec & nutriatur.

EXPOSITIO.

Omnino quidem ipſum nutriens, & ſecundum ſubſtãtiam mutatur: & ſecundũ quãtitatem admouetur. Ac ſecundum ſubſtantiam quidem mutatur: ceu id, quod ſecundum ſubſtantiam, quod nutritur fiat: hacq; ratione nutrit. Verum iuxta quãtitatem admotum, auget. Nanq; nutritur animatum, ceu quod idem ſecundum ſubſtantiam ex additione illa, cuſtodiatur. Ex admotione autem quanti poſt defluxum augetur. Perſpicue quidem cum influxus amplior defluxu fuerit. Iam vero ſiue æqualis, ſiue minor propter quãcũq; huiuſmodi admotionem poſt defluxum, ſecundum magnitudinem augetur.

ET ORTVS efficiendi uim habet, non eius quod nutritur: ſed ut quod nutritur. Iam enim eſt ipſa ſubſtantia. Gignit autem nihil ipſum ſeipſum: ſed ſeruat.

QVADRAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

QVARE huiuſmodi quidem animæ principium, uis eſt, quæ potis ſit ſeruare, quod habet ipſam, quatenus tale. Nutritio uero præparat ipſum agere. Quapropter quod priuatum nutritione non poteſt eſſe.

QVADRAGESIMANONA PARTICVLA.

QVONIAM uero ſunt tria, quod nutritur, & quo nutritur, & ipſum nutriens. Ipſum quidem nutriens eſt prima anima. Quod uero nutritur, quod habet ipſam corpus. Quo autem nutritur, nutritio. Quia uero a fine omnia appellare iuſtum: finis autem ipſum gignere quale ipſum, eſſe poſſet prima, quod gignendi uim habet, quale ipſum.

EXPOSITIO.

Quod & iuxta ſubſtantialem mutationem nutritio fiat, hinc manifeſtum eſt: Fit enim, licet & non quod nutritur, ſimile ſit. Erat nanq; & antea: ſed ſimile ei, quod nutritur, reddi tur. Animæ igitur vis, quæ nutriendi vim habet, ſeruando agit. Nutritio autem ipſam ad agendum præparat: non tanquam ea, quæ viuacem vim moueat: ſed tãquam materia ad actionem apta, atq; appoſita. Quemadmodum ligna quoq; lignario conueniunt fabro. Neq; enim abſq; nutritione, at intrinſecus a ſeipſa anima agit. Quapropter ipſum nutriẽs prima eſt anima. Quæ prima exiſtit propter affinitatem, quam cum corporibus habet. Nu trit autem ita, vt ſuam omnem intrinſecus ordiatur actionẽ. Ex qua, & quod nutritur, quia ipſam habet, nutritur. Nutritio q; mutatur, & adiicitur, atq; perfecta abſoluitur forma: ita, vt cõſimilis ei, quod nutritur, reddatur. Quæ quod ſubiectum eſt, tum ſeruat, tum auget, tum ſimilis gignendi vim obtinet. Semini nanq; vi, atq; facultate imperfecto aliquid com mittere: quo eiuſdem formæ receptionem nanciſcatur, huiuſce eſt animæ opus præſtan tiſſimum: quippe quod illius perpetuitatis, quæ conceſſa ſit, cauſam ſuſtineat.

QVINQVAGESIMA PARTICVLA.

EST AVTEM quo nutritur duplex: quemadmodum quo gubernat, manus, & clauus. Alterum quidem quod mouet, & mouetur: alterũ uero mouens ſolum. Om nem autem neceſſarium nutritionem poſſe concoquere. Agitq; concoctionem cali dum. Quare omne animatum habet caliditatem.

EXPOSITIO.

Quod quidem nutritio ſit, quo aliquid nutritur, perſpicue dictum fuit. Quoniam autẽ nutritionẽ calido concoqui oportet: quod ipſum nutriens præcipue non eſt. Dictũ nanq; antea fuit, quemadmodum anima nutritionis cauſa eſt: ignis autem cõcauſa: quoniam q; tria enumerata fuere, nutriens ſcilicet, quo nutritur, & quod nutritur: & quia duplex illud dictum fuit, quo nutritur: calidum in hoc quoq; ordine collocabitur. Nonne igitur aĩam, alterum quo nutritur, interpretari conuenit? Nanq; exempla manus ſcilicet, atq; clauus media ſunt inter animam, tanquam mouentem, & nauigium, ceu id, quod moueatur. Ve rum ſi media illa, quibus nutritur, ſunt, nutritio ſcilicet, atq; calidum: quanam ratione vel ambo a vita illa, quæ nutriendi vim habeat, moueri, inficiandum nobis putabimus? Nãq; vel manus, atq; clauus a gubernantis anima mouentur. Propter quam ita q; cauſam, alte rum quidem Ariſtoteles mouere inquit: alterum vero mouere, atq; moueri? Nunquid igi tur ambo a vita ea, quæ nutriendi vim habet, mouẽtur? Sed ita ſeſe res habet, vt in iis, qui bus nutritur. Vbi alterum quidem erit, quod mouendi vim habebit: vt calidum, quod in viuente reperitur: quod alterum mouet, vt ipſum cibum. Alterum autem eſt, quod moue tur quidem a calido: at mouet quod nutritur: ceu continue augens, atq; cuſtodiens.

Dubitatio.

Reſponſum

ADVMBRATE quidem igitur, quid eſt nutritio, dictum fuit.

Quod contraria quadam ratione ei quod nutritur: dum adhuc inconcocta exiſtit. Con cocta vero ſimilis. Et quod opponitur, vt quod ad aliquid referatur, ei, quod animatum ſit. Qua ſeruatur, atq; augetur, quod nutritur, cum animatum ſit. & qua utitur ad ſimile generandum. Quæq; ab aĩa quidem præcipue mouetur: a calido vero cõcoctioni datur.

DILVCIDANDVM autem eſt poſtea de ea in propriis ſermonibus.

Hoc eſt in tractatione illa, in qua de animalium ortu acturi ſumus: cum iam & nõnulla dixerit in libris de ortu, atq; interitu.

QVINQVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

DETERMINATIS autem his, dicamus communiter de omni ſenſu.

EXPOSITIO.

Poſt contemplationem de ea anima, quæ vegetandi uim obtineat: ad eam noſter Ariſtoteles accedit: quæ ſentiendi facultatem habeat: quæ ei proxime iuncta eſt. Priorique vſurus eſt doctrinæ modo: cum ex oppoſitis, vt antea dictum fuit, exordiatur: & per actiones medias, ad animæ ſubſtantiam tendat. Hactenus autem ea occupat: quæ ad contemplationẽ ei propoſitam, vtilia ſint. Quoniam enim in ipſo pati ſenſus, vt iam dixit, collocatus eſt: tuncq; id expoſuit: cum animam iuxta qualitatem corpus mouere aſſerebat: quippe cum ſenſus alterationes ſint. Ideo antea determinat, quemadmodum quod ab aliquo patitur, poteſtate quidem ei ſimile eſſe debet, quod agit: actu vero dum patitur nequaquã: ſed vbi iam paſſum fuerit. Atq; hinc quod haud alia ratione anima potis ſit agere, niſi ab iis, quæ extrinſecus collocata ſunt, moueatur, concludit. Si nanq; pati oportet id, quod ſentit: nihil autem a ſimili patitur: multoq; minus a ſeipſo: nequaquam ſenſus ex ſe ſine faciente agere poſſet. Ita, vt illud, quod ſentiendi vim habet, poteſtate antea eſſe cogatur actu autẽ nõ. Fit autem actu, dum adeſt ipſum efficiens. At cum duplex ſit, quod efficiendi vim habet, alterum quidem poteſtate, alterum autem actu: eodem modo neceſſe eſt, vt ſeſe habeat & ſenſus, & ipſum ſentire: ita vt aliquando quidem poteſtate, aliquando autem actu ſit. Huc itaq; ea omnia, quæ propoſita ſunt, ſpectãt: at quæ ſpeciatim ſcripta ſunt, ita interpretãda.

DICAMVS communiter de omni ſenſu.

Dicturus nanq; eſt & ſpeciatim de vnoquoq;. Antea vero generatim de omni ſenſu loquens, communem de omnibus contemplationem facit.

SENSVS autem in ipſo moueri, atq; pati contingit: quemadmodũ dictum fuit.

Haud ita accipienda hæc ſunt, vt ipſa vita ſentiendi vim obtinens moueatur, atq; patiatur: actu nanq; iudicandi facultatem habet: ſed quia moueatur ſenſorium. Quapropter & ita quoq; philoſophus locutus eſt, in ipſo moueri aliquid, ſenſorium ſcilicet. At quoniam qualia propria omnia ſenſilia ſunt, a quibus in primis ſenſorium mouetur: ideo iure & pati, & alterari dicitur. Motus nanq;, qui ſecundum qualitatem fit, paſſio, atq; alteratio eſt.

VIDETVR enim alteratio quædam eſſe.

Illud videtur, dictum fuit: quoniam haud ipſe ſenſus alteratio eſt. Apparet autẽ iis, qui ſenſorii paſſionem in eam reducunt actionem, quæ cum eo iuncta eſt: quæq; ipſo vtitur.

INQVIVNT autem nonnulli & ſimile a ſimili pati. Idq; qua ratione poſſibile, aut impoſſibile diximus & in uniuerſalibus ſermonibus de ipſo facere, & pati.

Ita ſane in libris de ortu, atq; interitu hiſtoria proſecutus eſt, atque diſtinxit, non de eo, quod dum nutriendi, aut ſentiendi vim habet, facit, aut patitur: ſed generatim, atq; communiter de ipſo facere, atque pati ſermonem habens. Vnde & nunc ita dixit. Dictum fuiſſe in vniuerſalibus de ipſo facere, atq; pati ſermonibus. Neq; enim ſimpliciter librum ipſum de ortu, atq; interitu vniuerſalem appellat: ſed ſermones illos, qui ibi de ipſo facere, atque pati conſcripti fuere.

QVINQVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

HABET autem dubitationem propter quid non & ſenſuum ipſorum fit ſenſus.

EXPOSITIO.

Ad particulam illam, dictum quidem fuit, vt opinor, referũtur hæc verba, Habet autem dubitationem.

dubitationem. Communiter quidem enim inquit, in illis de ipso facere, atque pati, dictum fuit. Dubitatio q; illa, quæ in sensibus contingere videtur, ex iisdem illis rationibus soluenda est. Verum quænam est dubitatio? & propter quam causam ista videtur esse dubitatio? Nunquid quoniam cum viuax, atq; cognoscendi vim habes, actio sit: neq; suiipsius, neq; suiipsius instrumentorum cognoscendorum vim habet: ceu quæ a seipsa excitetur: & nisi antea motum fuerit sensorium: quod ab aliquo eorum, quæ extrinsecus existunt patiatur. Viuax nanq; illud est, quod intrinsecus, atq; a seipso agit, mouetq; corpora. Sed ipsum nequaquam vt illa moueantur, indiget, quo propriam agat actionem. Propter quid enim non sensuum ipsorum fit sensus. Neq; ita intelligendum, vt Alexander exponit, vt sensus sensoriorum loco posuerit. Neq; enim par, conueniensve est, loco instrumēti id quod vtitur, afferre. Atq; id inuestigans infert.

Interrogatio.

Responsum

ET PROPTER quid absq; iis, quæ extra non faciunt sensus, inexistente igne, & terra, & aliis elementis.

Insunt profecto in instrumentis elementa. Verum, haud vt Plutarcho videtur in Empedocleni philosophus inuehitur: qui in ipsis sensibus elementa collocarat. Id nanq; iam cō futauit. Tantumq; nunc abest, vt confutet: vt etiam defendat propter dubitationem istam, quæ apparet. Dubitatio itaq; est: propter quid vita quæ sentiendi vim habet cum cognoscere quoq; valeat: non suiipsius quoq; cognoscendæ vim habeat: cum ea ipsa a seipsa in seipsam excitetur: sed corpora solum cognoscere possit, & ab illis quoq; moueatur. Sin autem & sensibilibus indiget, quæ corpora sint: quo accedat ad ipsam sensibilium cognitionem, propter quam causam haud in ipsa excitatur sensoria præsentia: quæ etiam sensilia sunt: quia ex quatuor ipsis elementis constant. Propter quid, nanq; inquit, non sensuum ipsorum fit sensus? Primo nanq; dubitat, propter quid haud suiipsorum percipiendorum vim habent. Deinde & propter quid absq; iis, quæ extra, non faciunt sensum. Hoc est, cur non agunt sentiendo. Id nanq; illud est, vt sensus præsentibus sensum faciāt: licet aliquid eorum quæ extra non adsit. Quia elementa in ipsis insint sensoriis.

QVORVM est sensus secundum se, aut accidentia his.

Elementorum nanq; sensus est, aut iuxta ea, quæ per seipsis insunt: aut iuxta ea, quæ alia ratione ipsis contingunt. Nanq; terræ duritiem sentimus, quæ per se ei accidit: & quēcunq; præterea eius colorem, atq; magnitudinem.

PATET igitur, q; quod sentiēdi uim habet, nō est actu, sed potestate solū. Quapropter non sentit. Quemadmodum quod comburi potest, non comburitur ipsum per se, sine eo quod comburēdi uim habeat. Cōbureret nanq; seipsum, & nihil indigeret eo, qui actu ignis sit.

Ex his soluit dubitationem apparentem. Illud nanq; a seipsa in seipsam excitari, eius uitæ est, quæ perfecta sit: quæq; prope actum permaneat. Quæcunq; vero haud a seipsa excitatur: aut ad ea, quæ extrinsecus collocata sunt, vergit, haud ex se sufficiēs est: sed aliquo alio indiget. Et propter hanc causam, potestate quadam ratione imperfecta est, tanquā ea, quæ ad actionem obeundam alio indigeat: aut eo scilicet ad quod tendat: aut eo a quo excitetur. Verum quæ ex altera tantum parte indiget: quæ quidem a seipsa excitatur: in ea vero quæ extrinsecus collocata sunt, fertur: aut ab iis quæ extrinsecus collocata in seipsam conuertitur: haud omnino est imperfecta, neque potestate solum. Quæ vero & ab aliquo eorum quæ extra sunt, mouetur: & eorum quæ extrinsecus sunt, percipiendorum solum vim habet: ita, vt vtraq; ex parte indigeat: potestate tantum est. Vita nanque quæ sentiendi vim habet, quæ cognoscere valeat postrema existens: & aliorum quoq; cognoscēdorum in primis, non autem suiipsius facultatem obtinet. Atque ab iis quæ extrinsecus collocata sunt, mouetur: haud tamen ita, vt quæ sine anima sunt: sed tanquam illa, quæ intrinsecus excitetur: quo & viuax actio sit. Consequitur autem passionem illam præcedentem, quæ

in ſenſorio ab iis,quæ extrinſecus collocata ſit:atq; circa illud intrinſecus excitatur. Atque perficitur ex eminentia rationum,quæ intus. Ab iis vero quæ extra perfici dicitur: quippe quæ perfecte inde excitetur:ex paſſione ſcilicet illa,quæ ab illis in ſenſoriis fit. Quēadmodum panem eam dicunt habere vim,vt appetitionem moueat:haud tamen ita accipiētes, vt in eam aliquid agat:ſed quod ea a ſeipſa in illum excitetur. Et quemadmodum quoque Plato corpus vitiorum animæ cauſam ſuſtinere inquit:haud ita nempe intelligens, vt aliquid in eam agere dicat:ſed quod illa propter nimiam curam circa corpus ex ſeipſa deterior reddatur. At vel ipſa quoq; imaginatio eorum quæ extra ſunt,percipiendorum tantū vim habet:& principio a paſſionibus ſenſorii mouetur. Verum poſt primum illum motū a ſeipſa quoq; imagines promouet. Agit q; licet exteriora illa non adſint. Senſus vero ſem per illorum præſentia indiget:quo agat. Propter quam igitur cauſam non eſt ſenſuū ſenſus? Quoniam conuerſio illa in ſeipſum ad eam ſpectat actionem,quæ ex ſe perfecta ſit. Senſus autem in poteſtate totus poſitus eſt. At propter quam quoq; cauſam ea non percipit elementa,quæ in ſenſorio reperiuntur? Quādoquidem ſenſorium a ſenſibili pati oportet:quo ſenſus ad actionem reducatur. Nihil autem a ſeipſo patitur. Quemadmodū neq; quod comburi poteſt comburitur abſque eo,quod comburendi vim habeat. Secundæ illi itaque dubitationi per hæc Ariſtoteles obuiam profectus eſt. Quoniam,quemadmodum neque comburi poteſt abſq; eo,quod comburendi vim habeat, comburitur:ita profecto neque ſenſorium a ſeipſo pati valeat. Sed age,cum actu ignis in ſenſorio exiſtat:quonam pacto non mouet ſenſum? Quoniam neque ignis,qui extra exiſtit in ipſum agit ſenſum: ſed in ſenſorium. Nihilq; ipſum in ſeipſum agit.

Interrogatio.
Reſponſum
Dubitatio.
Reſponſum
Dubitatio.
Reſponſum

QVINQVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

QVONIAM autem ſane ipſum ſentire dicimus dupliciter. Quod nanq; poteſtate audit,& intuetur,audire,atq; intueri dicimus,licet dormiat. Et quod iam agit, dupliciter dici poſſet,& ſenſus. Alter quidem,ut poteſtate:alter uero,ut actu.

EXPOSITIO.

Quemadmodum ipſum ſentire inquit,duplex eſt,poteſtate ſcilicet,atq; actu: ita dupliciter dicitur & ſenſus. Significat autem apud hunc ſenſus ſubſtantiā huius animæ. Ipſum vero ſentire actionem. Ac recte cuiuſmodi ſit ſubſtantia ex actione coniectura aſſequitur. Erit itaq; & ipſa quoq; ſubſtantia,aut poteſtate,aut actu. Haud tamē iuxta illud quod poteſtate primum,atq; imperfectiſsimum. Illud nanque in priuatione poſitum eſt. Sed iuxta ſecundum. Qualia,quæ iuxta ſcientem quidem,ſed non agentem conſiderantur. Iā enim ea ficta ſunt,atq; formata forma,quæ ſentiendi vim habeat. At & huiuſmodi quod poteſtate imperfectum exiſtit. Perfectio nanq; in actione collocata eſt. Perfecta q; illa eſt ſubſtātia,quæ ſecundum naturam agit. Quæ vero nunquam agit, ab ea deſeritur perfectione, quæ ſimpliciter dicitur.

EODEM autem modo & ipſum ſentire,quodq; poteſtate eſt,& quod actu.

Cum ab actione ad ſubſtantiam deuenerit:tanquam ex eo quod a cauſa efficitur,in ipſam cauſam:iudicat maiori doctrina refertum eſſe ex cauſa illud videre,quod a cauſa effectum ſit:& ex ſubſtantia ipſam actionem.

QVINQVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

PRIMO quidem igitur,tanquam idem ſit,ipſum pati,& ipſum moueri, atque agere dicimus. Eſt enim motus actus quidam. Imperfectus quidem, ut in aliis dictum fuit.

EXPOSITIO.

Cum dixerit ipſum ſentire antea quidem in ipſo moueri, atque pati contingere:cum q; deſcenderit ad id quod poteſtate:quod diſtingui aduerſus id,quod iam agit,dixit: & quia de eo in ſenſu ſecundum actum ipſo moueri,& pati,atque agere vſus eſt:id ipſum innuit.

Atq;

Atque ſe excuſat de vocabulo illo actus: quippe cum eo recte quodam modo & de motu quoq; loquens vtatur. Quia quemadmodum in naturali auditione dictum fuit, Motus actus eſt imperfectus. Qui nanq; perfectus, atq; impartibilis haud profecto eſt motus. De ipſo autem pati, atq; moueri, qua ratione inter ſeſe differant, nihil præterea philoſophus determinat. At ſiquidem proprie aliquis ipſum pati de eo motu intelligat, qui iuxta paſſibilem fit qualitatem, patet quemadmodum motus ipſe latius ſe extendit. Sin vero ex illa conuerſione, atq; mutatione ſimpliciter, quæ ab altero omnino fit, accipiat: in idem ipſum mutari cum ipſo pati duci, videri poſſet. Nanq; omnis mutatio ab altero fit, atq; in conuerſione collocata eſt. Nunquid autem, quæ ſecundum ſubſtantiam, aut quale, aut quantum fit, in conuerſione omnino poſita eſt? & quæcunq; quæ efficiendi vim habens, aut ex eo, qd̄ præter naturam, in id quod ſecundum naturam, aut contra fit. In conuerſione nanq; illa collocata eſt, quæ ſecundum totum fit, dum aliquid mutatur: quia alias cum aliis diſponitur, atq; ordinatur. Quæcunque vero & eandem ſeruat cum aliis compoſitionem: & in eo quod ſecundum naturam manet: cum nō patiatur: ſed faciat, id quod mouetur, diuerſam locorum tranſmutationem: vt & in quarto naturalis auditionis a nobis dictū fuit: nequaq̄ in ipſo pati collocanda eſſet. Quoniam neq; in conuerſione mutatio hæc poſita eſt. Sed iā iis, quæ ab Ariſtotele dicuntur, attendendum. Pati proprie

OMNIA autem patiuntur, & mouentur ab eo, quod efficiendi uim habeat, atq; actu ſit.

Id profecto quod actu ſit: quod patiens poteſtate hactenus fuit: poſtea vero actu exiſtit. Siquidem in eo, quod perpeſſum ſit, collocetur: efficienti ſimile redditur. At neq; attritio caliditatem habet: licet ipſam faciat: neq; flagellum vibices. Neq; enim pati oportet ipſum efficiens, quod efficit: ſed agere. Et hac ratione eſt actu efficiens: tanquam id quod in ipſo patiente perficitur: haud tamen patiendo: ſed agendo. Non ſolum itaq; ſecūdum Platonem: ſed & ex Ariſtotelis ſententia quoq; in ea cauſa, quæ efficiendi vim habeat, formæ eorum quæ perfecta ſunt, antea acceptæ fuere: neq; ita, vt patiantur, ſed agant, atq; in ſubſtātiam conſtituant. In quibus actus idem cum ſubſtantia ipſa eſt.

QVAPROPTER interdum quidem ut a ſimili patitur: interdum autem a diſſimili, quemadmodum diximus. Patitur quidem enim quod diſſimile eſt: quod uero paſſum ſimile factum eſt.

Quod nanq; adhuc patitur, poteſtate ſimile eſt, nō autem actu ei, quod facit. Quod autem iam paſſum ſimpliciter ſimile.

QVINQVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

DIVIDENDVM autem & de poteſtate, & actu.

EXPOSITIO.

Ex his nanq; & ipſum quoq; pati diiudicabitur. Quoniam in conuerſione, atq; diſpoſitione, quæ alias alia ſit, poſitum conſpicietur. Non autē in ea mutatione, quæ ſecūdū actū.

NVNC enim ſimpliciter dicimus de his. Eſt quidem enim ſic ſciens aliquid, ut diceremus hominem ſcientem. Quoniam homo ex ſcientibus, atq; ex habentibus ſcientiam. Eſt autem, ut iam dicimus, ſcientem habentem grammaticam. Vterq; autem horum, haud eodem modo potis eſt. Sed alter quidem, quia genus huiuſmodi ac materies. Alter uero, quia ubi uoluerit potis eſt contemplari: niſi aliquid impedimento fuerit ex iis, quæ extrinſecus.

QVINQVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

QVI uero iam contemplatur, cum actu ſit, atq; proprie ſciens, hoc ipſum. a. Ambo quidem igitur primi ſecundum poteſtatem ſcientes. Sed alter ex eruditione mutatur: & qui perſæpe ex contrario uarietur habitu.

EXPOSITIO.

Particula illa ſimpliciter,pro eo,quod eſt,indeterminate in exordio huius particulæ po ſita fuit.Propter quæ exemplo ſcientis duplicem vim eius,quod poteſtate oſtendit. Quo rum alterum ad ortum imperfectam præbet aptitudinem.Alterum vero ad ipſam ſpectat actionem:ſed iuxta habitum,qui iam ad agendum paratus ſit:attamen non agit: atq; hac ratione perfectionem non aſſequitur.In tribus nanq; quod perfectum collocatum eſt, In ſubſtantia ſcilicet,poteſtate,atq; actu. Quilibet quidem igitur homo poteſtate ſciens eſt: quippe qui aptus,atq; natus ſit,eruditione imbui.Atq; id genere,hoc eſt, humanæ natu ræ ineſt.A materia q; huiuſmodi quod poteſtate ſtat.Tanquam id,quod quia fiat, atque aliunde recipiat,perficitur.Quapropter adiūctum fuit illud,ac materies.Qui vero iam ha bitum ſcientiam gignere valentem recepit:attamen nō agens:neq; ad idem potis eſt.Neq; enim ad ortum,ſed ad contemplationem ſpectat.Neq; iuxta eam poteſtatem,quæ a mate ria ſtat:ſed iuxta eam,quæ formalis eſt:ſed partibilium rerum.Nō ſolum quia diuellatur actio a ſubſtantia:ſed quia potius diſiuncta ſit.Et quia non ſemper agat,aut quia nolit:aut quia ab aliquo impediatur.Quæ quidem ambo vel ipſe Ariſtoteles indicauit, ex eo,q uod cum volucrit,eum ad contemplandum potem eſſe dixerit:niſi aliquod allatum fuerit im pedimentum.Patet enim quemadmodum aliquando quidem vult: verum cum voluerit impeditur.At licet is ab impartibili illa perfectione deſeratur:& ab eo,q; ſemper in fine repe riatur:aliquando tamen,quatenus ei datum eſt,perfectus redditur.cum iam ſcilicet contē pletur.Primi vero illi duo ſcientes imperfecti quodam pacto ſunt,atq; ſecundum poteſta tem ambo.Verum alter quidem perficitur alteratione quadam,quam ex eruditione acqui rit.Quæ ortus,atq; generatio quædam eſt:haud ipſius animæ mutatæ.Alteratio nanque continuus,atq; omnino diuiſibilis eſt motus.Anima vero prope terminos permanet. Sed ipſius quidem animæ collectim.Quæ licet aliquando ex eo appulſu,qui intrinſecus con citatur,in habitu ſcientiam pariente poſita ſit:attamen circa ipſum animal conſpicitur alte ratio.Quemadmodum in ſeptimo naturalis auditionis hæc expoſita fuere. Illud vero, & qui perſæpe ex cōtrario varietur habitu, Ariſtoteles dixit:aut quia iuxta plures particula rium rationum appulſus,& qui perſæpe fiant,collectus poſtea, atq; perfectus innaſcitur habitus.Aut pro eo,quod eſt,interdum,perſæpe dixit.Quod mihi quoque magis placet. Manifeſte nanq; in libris demōſtratiuis,aliā eſſe inquit,ex negatione imperitiam,aliamq; contrariam.Eamq; veritate ſola priuatam exiſtere:hanc autem vel ad falſitatem oppoſitā accedere.Interdum ita q; mutatio,quæ ad ſcientiam accedit,ex falſa opinione recedit: atq; ita ex contrario fit habitu.

ALTER uero ex eo,quod habeat ſenſum,aut grammaticam,nō agat autem, ad ipſum agere alio modo.

QVINQVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

NON eſt autē ſimplex neq; ipſum pati.Sed id quidē interitus quidā a cōtrario.

EXPOSITIO.

Quo quidem enim perite atq; ſcientiam pariēdo agat,neq; omnino opus eſt,vt inſtru mentum aliquod varietur.Niſi in ebrietatibus,aut ægritudinibus,aut ſomnis ſit. Quo ve ro ſentiendi vim habeat,pati aliquid oportet.Haud tamen iuxta paſſionem, quæ in gene ratione ſubſtantiali fit:ita vt quod ſentiendi vim habeat,gignatur.quod dum iuxta ſubſtā tiales mutatur ſpecies,euenit.Sed iuxta quaſdam euenientes, atq; eas paſſibiles mutatur qualitates.Quare alio quoq; modo.Antea vero q̄ illud alio modo,dilucidū philoſophus reddat:quoniam duplex poſitum fuit,quod poſſibile:adhuc quod & ipſum quoque pati duplex ſit,nobis in memoriam reducit.De vtroq; nanq; propoſitum fuit loqui. Quorum alterum interitus quidam,atq; mutatio a forma in priuationem eſt:& a cōtrario mutatur: vt calidum exempli gratia a frigido.Quo ad calidi priuationem accedens,frigido agenti ſi mile reddatur.Cui calidi quoq; priuatio adiuncta,atq; inſita eſt.

Alterum

ALTERVM uero, ſalus potius, eius, quod poteſtate eſt, ab eo, quod actu eſt, & ſimile. Ita, ut poteſtas ſeſe habet ad actum.

Exacte, atq; de induſtria particulam illam potius, philoſophus noſter adiecit. Quoniã licet aliquid in generatione, atq; ortu concurrat, quod perficiendi vim habeat: attamen ipſum patiens ab hoc mutatur: quod iam actu eſt id, quod poteſtate ipſum patiens. Vnde ſimile ipſum patiens facienti dicitur. Sed tanquam id, quod poteſtate ſit, illi quod actu exiſtat. Hoc itaq; pacto cum duplicem vim ipſius patiin medium Ariſtoteles adduxerit: declarabit, quod reliquum erit: quonam pacto quod habitum poſſidet alio modo ab ipſo non agere, ad ipſum agere accedit.

CONTEMPLANS nanq; fit, quod habet ſcientiam. Quod uel non eſt alterari: in id nanq; collatio fit, & in actum, aut diuerſum genus alterationis.

QVINQVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

QVAPROPTER non recte ſeſe habet dicere ipſum ſapiens cum ſapiat alterari. Quemadmodum neq; ipſum ædificatorem cum ædificet. Quod quidem igitur in actum ducit, ex eo, quod poteſtate eſt, iuxta id, quod intelligit, atq; ſapit: non doctrinam, ſed aliam denominationem habere iuſtum eſt. Quod uero ex eo, quod poteſtate eſt, diſcens, atq; accipiens ſcientiam, ab eo, quod actu eſt, quodq; eam habet uim, ut docere poſſit: aut neq; pati concedendum, ut iam dictum fuit: aut duos modos eſſe alterationis. Alteram quidem in priuanteis affectus mutationem, & alteram in habitus, atq; naturam.

EXPOSITIO.

Hæc iungenda ſunt, cum eo, quod ſuperius dictum fuit, cum dixit. ad ipſum agere alio modo. Cum ſuperius de ambobus locutus ſit: & de eo, ſcilicet, quod ſecundum ſenſum agit: & de eo, quod ſecundum grammaticam, & ſimpliciter ſecundum ſcientiam. Illudque eſt, quod alio modo. Adhucq; qua ratione ſciens ex ipſo non agere ad agere mutetur, tradit. Poſtea uero de eo, quod ſentiendi vim habeat, locuturus: atq; eorum diuerſitatem admoturus. Acceſſus autem ille, qui ex habitu ſcientiam pariente in ipſam cõtemplationem fit, alteratio non eſt. Quoniam alteratio mutatio quædam corporata in qualitate eſt. In cõtemplatione vero, quæ ſecundum ſcientiam fit: nihil corporata opus eſt mutatione. Niſi, aut ægrotare, vt dictum fuit, aut dormire, aut ebrium eſſe ei contigerit. Tunc enim nõ tanquam ſimul acturum: ſed tanquam impedimentum non allaturum mutari oportet. Sed ſola exiſtente animata collatione in actionem ex habitu non agente pertranſit. Quod perſpicuum quoq; eſt. In id nanq; collatio illa ſpectat: & in actum eius, quod ſcientiam habet: in ipſum q; agere, quod a ſeipſo perficitur: corpore abſq; vlla affectione permanẽte. Quapropter huiuſmodi mutatio, alteratio non eſt: aut alterum alterationis genus. Quoniam Ariſtoteles neq; alterationem, neq; omnino motum, mutationem animatam appellãdam ducit. At cum non ignoraret Platonem motum vocantem: non iuxta corporatos motus, aut & alterationes, alterationis ideo diuerſum eſſe genus inquit. Verum ipſum quidem ſapiens cum ſapiat, minime alterari, nulla admiratione dignum eſt. Quippe cũ actio animæ ex ea ipſa ſit. Quo itaq; pacto nonne & ædificator cum ædes fabricet abſq; vlla alteratione permanet? Nunquid autem illud dicendum eſt: quod licet is corporis motu ſecundum locum vtatur: haud tamen eo, qui ſecundum qualitatem? Si itaq; qui corpore vtitur, non alteratur: multo quoq; magis qui corpore non vtitur, neq; alterabitur. Deinde vero philoſophus diſcrimen affert: quod inter illum animæ tranſitum reperitur: qui ex imperitia in ſcientiam, & qui ex habitu in actum progreditur. Quoniam ille quidem ex doctrina, atq; diſciplina perficitur: cuiq; conſequens eſt & corporea quædam mutatio, vt in ſeptimo naturalis auditionis dictum fuit. Ille vero ex collecto quodam rationum appulſu a ſeipſo fit. Corporata igitur quædam alteratio eruditionem cõſequitur: propter relationẽ ſcilicet illã, quæ a ſenſu per memoriã in rationes fit. Nequaquam tamen eruditio, alteratio eſt. Nanq;

Dubitatio. Reſponſum

& ipſa iuxta quandam animæ actionem ex rationibus fit. At & corporata quoq; alteratio, quæ eruditionem conſequitur, non eſt paſſio. Siquis de ſolo interitu, atq; mutatione ea, quæ ad priuationem tendit, ipſum pati intelligere voluerit. Quemadmodum & communis quoq; vſus obtinet. Aut alio modo paſſio eſt. Siquis pati dicere, atq; appellare voluerit, quod mutatur aut in habitum, aut formam, aut ſtatum ſecundum naturam. Verum cum hæc philoſophus de illo pati determinarit, quod ſcientiæ gignendæ vim habet: & de eo loquens, quod ſentire valeat, infert.

QVINQVAGESIMANONA PARTICVLA.

EIVS autem, quod ſentire ualeat, prima quidem mutatio fit a generante. Vbi uero genitum fuerit, habet iam tanquam ſcientiam, & ipſum ſentire. & quod ſecũdum actionem præterea conſimili modo dicitur cum ipſo contemplari.

EXPOSITIO.

Quoniam vita ipſa quæ ſentiẽdi vim habet, haud ſimpliciter animæ eſſe dicebatur: ſed illius eſt animæ, quæ cum corpore iuncta ſit. Ideo vna cum animali & eius quoq; ortus, generatio ve ſubſiſtit. Quæ prima eſt eius, quod ſentiendi vim habet, mutatio: quæq; illud ad eſſe ducit: atq; eruditioni ex proportione reſpõdet. Ita, vt, qui genitus ſit, cum eo, quo habitum ſuſceperit, proportionem habeat. & ipſum quoq; ſecundum actum ſentire conſimili dicitur modo cum ipſo contẽplari. Cõſimili quidem modo dicimus, quia ex his in vtroq; perfectio adeſt. & quia in ipſo ſentire iudicium animæ collocatum eſt. atq; intrinſecus, & ex rationum appulſu fit. Hoc itaq; pacto, conſimili modo, dictum fuit.

DIFFERT autem, quoniã huius quidem, quæ actionis efficiendæ uim habent, extrinſecus, quod cerni, atq; audiri poteſt. Eodẽq; modo, & reliqua ex ſenſibilibus.

SEXAGESIMA PARTICVLA.

CAVSA uero, quia eorum quæ ſingularia, qui ſecundum actum ſenſus. Scientia autem eorum, quæ uniuerſalia. Hæc autem in ipſa quodam pacto ſunt anima.

EXPOSITIO.

Hoc eſt, quod opus eſt, ſenſorium aliquid pati ab ipſis ſenſibilibus: quæ extrinſecus, nõ autẽ in eo, quod ſentit, reperiuntur. Quæ ipſius actionis efficiendæ vim habere dicuntur. Non tanquam ea, quæ iudicium immutent: ſed vt quæ paſſionem potius aliquam in ſenſorio efficiant: ex quo actio illa, quæ iudicandi facultatem obtinet, excitatur. At quæ ſciri poſſunt, haud eiuſmodi ſunt, vt efficiendi vim habeant. Neq; enim in paſſionem deſinũt: aut extra id, quod ſciendi vim habeat, exiſtunt. Eorum nanq; quæ ſingularia ſenſus eſt: eorum autem quæ vniuerſalia, ſcientia. Sunt autem ſingularia iſta corporata: & partibilia, atq; ex cauſis effecta, & vbiq; extrinſecus reperiuntur: cum anima nequaquam corporata ſit: neq; partibilis, & animaliũ cauſa appareat. Vniuerſalia vero reperiuntur in anima: non ea, quæ de ſingularibus dicuntur. Nanq; ea, in ipſis ſingularibus exiſtunt, & ſola mentis apprehenſione ab anima ſeparantur. Quæ vero ſciri poſſunt, longo interuallo ea ſuperãt quæ ſenſibus comprehẽdi poſſunt. Quo etiam ſpatio ſcientia ſenſui præſtat. Sciri autem poſſunt, quæ in anima exiſtunt. Verum ita vniuerſaliter, quæ ſciri poſſunt, inquit: vt & in quinto eius tractationis, quæ poſt naturalia legitur: primam philoſophiam vniuerſaliter ſeſe habere, pronuntiat: licet circa ea, quæ ſeparabilia, atq; immobilia ſint, ipſam collocarit,
,, atque huiuſmodi ibi verba affert, inquiens. Sin autem eſt aliqua ſubſtantia mobilis, ipſa
,, prior, & philoſophia vniuerſaliter: quoniam ita prima. Et quæ in anima itaque exiſtunt, vniuerſaliter: tanquam prima, & cauſæ particularium. Cæterum quoniam primæ in primis, atque cauſæ intelligibiles ſunt formæ: quæ impartibiles, atque omnino ſuiipſarum ſunt ſubſtantiæ: quæ vero in anima reperiuntur, ex ea perficiuntur conuolutione, quæ rationis particeps eſt: ideo haud impartibiliter iunctæ, ſecundoq; loco hæ ſunt cauſæ. Propter hancque cauſam vniuerſaliter omnium primæ ſunt cauſæ intelligibiles illæ. Ad

læ. Ad quas per intellectum ſcientia defertur. Intellectu nāq; terminos cognoſcimus. Termini vero ipſæ ſunt formæ. Hæq; non primo, ſed ſecundo in anima exiſtunt: & tanquam cum ea, quæ intelligibilibus iuncta ſit. Ob idq; in ea eſſe dicuntur quodam pacto: quoniā ex ea coniunctione, quam cum intellectu obtinet.

QVAPROPTER intelligere quidem in eo, cum uoluerit.

In eo, hoc eſt, in illo, quod intelligendi vim habeat, accipere poſſumus: ſiue in eo intellectu, qui in anima reperiatur: ſiue in ea anima, quæ in intellectum excitetur: ſiue in ipſo homine ſciente. Quia intus habeat intelligibiles formas. ex quibus, tanquam ex cauſis, & ſecunda non ſine vera ſcientia, cognoſcit.

SENTIRE uero haud in ipſo. Neceſſarium nanq;, adeſſe ipſum ſenſibile.

Hoc eſt, haud in eo, quod ſentiendi vim habeat. Quoniam adeſſe oportet quod ſentiri poſſit: quod atomum, atq; extrinſecus ſit. Neq; ſolum eſſe, ſed & adeſſe ei, quod ſentiendi vim habeat. Quo & agat aliquid in ſenſorium: & propter huius paſſionem anima, quæ ſentiendi vim habeat, vbi prompſerit communes ſenſilium rationes, quæ in ipſa reperiuntur, conuenienter cum illa paſſiones cognoſcat, quod ſenſile, iuxta propriam actionē: prope ipſius tamen ſenſibilis formam permanens.

EODEM præterea modo id ſeſe habet & in ſcientiis ſenſibilium: & propter eandem cauſam. quia ſenſibilia eorum, quæ ſingularia, & eorum, quæ extra.

Quæcunq; ſcilicet ſcientiæ non formis, neq; iis tantum, quæ rationem participent, contentæ ſunt: quemadmodum quæ contemplandi vim habent. Sed ſimul comprehendunt, & ſingularia, & quæ extrinſecus exiſtunt. Cuiuſmodi illæ ſunt ſcientiæ, quæ agendi vim habeant: & artes illæ quæ in efficiendis rebus collocatæ. Hæ nanq; ſenſibilibus præſentibus indigent.

SED de his quidem explicare, occaſio eſſe poſſet, & rurſum.

SEXAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

NVNC autem determinatum ſit tantum. Quia cum haud ſimplex ſit: quod poteſtate dicitur: ſed alterum quidem, quemadmodum diceremus puerum poſſe ducē agere: alterum uero ut eum, qui in ætate perfecta cōſtitutus ſit: ita ſeſe habet, & quod ſentiendi uim obtinet.

SEXAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVONIAM autem abſq; nomine eorum differentia: determinatumq; fuit de ipſis, quod diuerſa: & quonam pacto diuerſa: uti autem neceſſarium eſt ipſo pati, & ipſo alterari, tanquam propriis nominibus. Quod autem ſentiendi uim habet, poteſtate eſt, quale quod ſenſibile iam actu: quemadmodum dictum fuit. Patitur quidē igitur, haud ſimile exiſtēs. Vbi uero paſſum fuerit, ſimile redditū eſt: & eſt quale illud.

EXPOSITIO.

De eo, quod eſt, quonam pacto illa vniuerſalia, & illud contemplari in nobis eſſet, dicta fuere. Manifeſtius autem de his in tertio philoſophus locuturus eſt. Propter quæ concludit: quemadmodum iuxta ſecundum illud ſignificatum, eius, quod poteſtate, quod ſentiē di vim habet in animalibus pati, atq; alterari dicitur. Licet haud proprie. Quoniam nequaquam anima eſt, quæ patiatur, aut alteretur: ſed inſtrumentum. Neque illud ita, vt ex aliqua paſſione vim corrumpendi habente id patiatur: ſed ſecundum ortum, atque generationem. Tametſi ea ſubſtantialis dici non debeat. Quæ tamen huiuſmodi eſt, vt ex ſe perfecta ad actionis receptionem exiſtat. Quemadmodum & ſubſtantialis illa ad ipſius ſubſtantiæ ſentiendi vim habentis in corpore præcedebat. Erit itaque quod ſentien-

di vim habet poteſtate, quale ipſum ſenſibile iam actu. Id quidem enim non poteſtate, ſed actu determinatum quapiam forma eſt. Quod vero ſentiendi vim habet nondum, anteaquam agat, abſolutum. Sed poteſtate exiſtens, iuxta ſecũdum ſignificatum eius, quod poteſtate, poſtea in ipſo agere collocatur iuxta ipſius ſenſibilis formam: haud tamen ita vt patiatur. Neque enim id album, aut calidum efficitur, ſed agit. Non tamen quia faciat: quemadmodum cauſæ illæ, quæ efficiendi vim habent: ſed iudicando, atq; cognoſcẽdo. Digreſſio ppulchra. Ipſa vero affectio, ſeu paſſio qualis qualis ſit, in ipſo permanet ſenſorio. Verum quando prope ipſius ſenſibilis formam in ſenſu, qui ſecũdum actum fiat, quod ſentiendi vim habet, permanet: cum omnis conſiſtat cognitio, ex contractione illa in vnum: atq; ex comprehenſione impartibili eius totius, quod cognoſcitur: præcedere oportet ipſius ſenſorii affectionẽ: propter appulſum illum vitæ ſentiendi vim habentis: qui ad ea, quæ extra fit. Quæ quidem vita ſentiendi vim habens, aut non ſine inſtrumentis agere poteſt: aut primo ipſa excitatur: atq; mouet inſtrumẽtum. Vnde patet, quod haud earum eſt affectionum, quæ in ſenſoriis fiunt. Sed vna cum his, & illas quoq; formas percipit: quæ reperiuntur in corporibus. Illudq; etiam manifeſtum hinc redditur: quod ſenſorium haud ita ab iis, quæ exiſtunt, patitur: vt ea, quæ anima carent, pati ſolent. Tanquam viuens nanq; patitur. Vnde neq; omnino paſſio hæc eſt: neq; penitus aliunde. Sed iuxta propriam actionem: & ſimul mouetur, atq; agit. & quod huiuſmodi ſimul affectio, atq; actio exiſtit. Quod quidem cũ a ſenſibilibus ex excitatione illa, quæ vitæ exiſtentis in ſenſorio ad illa ſpectantis fiat, ſimile illis redditur formis: quæ in ipſis ſenſibilibus extant. Verum id nondum ſenſus eſt. Quia haud pura eſt actio. Sed partibilis eſt, atq; corporis formam refert, & non ſine tempore extenditur. Senſus nanq; impartibiliter & principium, & media, & fines ipſius ſenſibilis comprehendit: & actu eſt. Cum iudicium ſit perfectum. Atq; in ipſo nunc ſimul totus collocatus eſt: cum iuxta ipſius ſenſibilis formam, nõ autem extrinſecus adiiciatur. Quemadmodum ſignum in cera extrinſecus admouetur. Neq; enim id viuax eſt. Neq; cum profunditate progreditur. Neq; præterea prope actum cognoſcendi vim habentem ſeipſum ſiſtit. At id intrinſecus a ratione illa ſenſibiliũ, quæ in anima antea accepta fuit, promitur. Haud tamen ex vita illa, quæ inſtrumentum, tanq̃ inſtrumentum viuum reddit: ſed ex ea, quæ ipſo vtitur, tanq̃ viuente. Quo cum exempta fuerit a corpore, & impartibiliter agat: & ſenſibilium cognoſcendorum vim habeat. Vnumq; percipiat, haud ſecundum coactam, atq; in anguſtum redactam illam coniunctionem, quæ in atomis reperitur: ſed iuxta formalẽ illam: quæ atoma cauſam eorum complectendo comprehendere valeat. Quod tamẽ vnũ vnicuiq; conuenienter quadret. Vna nanq; albi ratione, omnia particularia, quæ alba ſint, anima ſentit. Anima nanq; eſt, quæ iudicat, ex conuenienti diſcuſſione eius, quod cognoſci debet. Conueniens autem, perceptio eius illa eſt, quæ ex ſubſtantiali eius proprietate ortum habet. Senſibilibus igitur ſimilis anima redditur: non quia ab eis aliquid accipiat: ſed quia agat iuxta rationem ipſis conuenientem. Verum quando hæc communiter de omni ſenſu determinata fuere, ad ea, quæ ſequuntur, iter dirigendum eſt.

SEXAGESIMA TERTIA PARTICVLA.

DICENDVM autem iuxta unũquenq; ſenſum de ſenſibilibus primo. Dicitur autem ipſum ſenſibile tripliciter. ex quibus duo quidem ſecundũ ſe dicimus ſentire: Aliud uero ſecundum accidens. ex illis autem duobus, alterum quidem propriũ eſt uniuſcuiuſq; ſenſus. Alterum aũt commune omnium. Dico aũt proprium quidem, quod non contingit alio ſenſu ſentire: & circa quod non contingit deceptum eſſe: ut uiſus coloris, & auditus ſoni, & guſtus humoris.

EXPOSITIO.

Quandoquidem ab iis, quæ oppoſita ſunt, ut quæ ad aliquid inter ſeſe referuntur, de unoquoq; horum contemplatio fit: iuxta illud, quod a principio propoſitum fuit: ideo iure de ſenſibilibus primo philoſophus mentionem facit. Et q; tripliciter dicatur, nobis proponit. Quo, quæ ſecundum aceidens dicuntur, remouens, de iis tantum verba faciat, quæ

per

per ſe. Et ex his, quæ quidem primo, quæq; ſecundo horum ſenſuum unoquoq; cognoſcantur, edocet. Ambo nanq; per ſe ſunt, & propria ſcilicet, & communia. Sed primo quidē ipſa propria. Quandoquidem etiam proprie ad hæc uniuſcuiuſq; ſenſus ſubſtantia ſpectat. Secundo autem loco, communia. Quoniam una cum propriis omnino, & præcipue, & magis percutiendo agant in ſenſorium. At quonam pacto communia omnium eſſe Ariſtoteles inquit? Magnitudinem nanq;, atq; figuram, uilus, atq; tactus ſolum comprehendunt. Forſan quidem igitur illa particula omnium, pro eo, quod eſt, plurium, dicta fuit. Nunquid uero magnitudinem auditus quidem perſpicue percipit? Nam q; magnum, aut paruum, quod deorſum cum ſono latum fuerit, iudicat. At & olfactus quoque, & guſtus eam percipiunt: quia iuxta plures, aut pauciores transferantur partes, dum alter quidem, quod bene oleat: alter uero, quod dulce ſit, comprehendit. Cæterum & ipſius quoq; figuræ forſan: licet non exacte, at per quandam ſimilitudinem, aut ſenſuum, aut ſenſibilium fieri poſſet, ex his cognitio. Quoniam aut æqua quodam modo interualla ſunt: aut unum aliquod admodum ſuperat. Hac ita q; ratione inter ſe differunt, propria, atq; communia ſenſilia. Quia hæc ad plura, illa autem ad unum tantum ſenſum ſpectent. Et quia quæ ad unum pertinent, abſq; ulla deceptione ſenſum illum moueant, qui ea reſpicit. cum ſcilicet ſecundum naturam ſeſe habuerit: & ex conuenienti diſtantia egerit: neq; ab ullo corpore interpoſito impedietur. Quemadmodū uiſus ab aere craſſo impediri ſolet, aut ab aliquo eorum, quæ extrinſecus collocata ſunt. Hæc nanq; admouenda quoq; ſunt. Licet haud ita perſpicue ab Ariſtotele nūc afferantur. Illa uero quæ plurium ſunt ſenſuum, haud ita exacte incidunt. Quoniam cum unuſquiſq; ſenſus propriorum præcipue ſit, una cum illis, & communia quoq; comprehendit. Neque quemadmodum ipſum album uiſus iudicat: eadem quoque ratione & magnitudinem eius, quod cernitur, conſiderat. Sed exacte ipſum colorem percipiens, figuram inepte cognoſcit. Cum & interdum decipiatur, utpote quod in circulum redactum rectum intuens, & quod directum obliquum. At nunquid propria ipſa ſenſilia tanquam magis paſſionibus obnoxia, ac magis corporata, ſenſui melius congruunt: quippe qui cognitio corporis formam referens ſit. Excepto tamen lumine, quod ob maximam ſui actionem a uiſu exacte cognoſcitur. Communia uero, quæ magis a forma ſtant, minorem quoq; conuenientiam cum ſenſu habent. Haud tanquam ea, quæ haud omnino ſenſu, ſed ratione ſola cognoſcantur, quemadmodum ſubſtantia: ſed tanq̄ illa, quæ ſenſu quidem apprehēdi poſſint: uerum haud ita perſpicue, ut ipſa propria.

Dubitatio.

Reſponſum primum.

Secundum.

Reſponſum tertium.

TACTVS uero plures quidem habet differētias. Sed unaquæq; iudicat de his, & non decipitur, quod color, neq; quod ſonus.

Quoniam his ex illis eſt, qui paſſibilium qualitatum comprehendendarum in primis uim habet. Quippe, cum ex ſenſibus maxime patiens ſit. Multæ autē ſunt paſſibiles qualitates: quarum cognoſcendarum tactus, tanquam propriorum ſenſibilium, uim habet. Hæq; ſunt caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, durities, mollities, aſperitas, lenitas, grauitas, leuitas. Siquidem uel hæ paſſibiles ſunt qualitates.

SED quid quod coloratum, aut ubi, aut quid ipſum ſonans, aut ubi. Quæ quidē igitur huiuſmodi, dicuntur propria uniuſcuiuſq;.

SEXAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

COMMVNIA uero, motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Quæ nanque huiuſmodi nullius ſunt propria. Sed communia omnibus. Nanq; tactui motus quidam eſt ſenſibilis, & uiſui. Per ſe quidem igitur ſunt ſenſilia hæc.

EXPOSITIO.

Quæ quidem colore affecta ſit ſubſtantia decipitur: quoniam ſecundum accidens ſubſtantia a ſenſu cognoſci poteſt. Vbi uero, quia ſecundo, interualli ipſius magnitudinem percipit: cum magnitudo commune ſit ſenſibile.

SEXAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

SECVNDVM accidens autem dicitur ſenſibile, ut ſi album ſit Diaris filius. Secundum accidens nanq; id ſentit: quoniam albo euenit id, quod ſentit.

EXPOSITIO.

Quemadmodum Diaris eſſe filium, atq; ſubſtantia rerum: aut quod haud nunc agẽti ſenſui contingit: quemadmodum dulce mellis, viſui. Hæc inquam ſecundum accidens ſunt ſenſibilia. Tãquam illa, quæ in ipſis ſenſibilibus inſint. Vt & caluum mederi dicimus: quoniam medico accidit eſſe caluo. Neq; accidens ſolum ei, quod per ſe huiuſmodi: ſed & ipſam quoq; ſubiectam ſubſtantiam, niſi quatenus ſubſtantia, huiuſmodi ſit: ſecundum accidens, dicimus. Quẽadmodum & hominem dominum eſſe, aut ſtatuas efficere. Quoniam non quatenus homo. Hac eadem itaq; ratione & ſubſtantia ſenſibus ſubiecta ſecun
Dubitatio. dum accidens: quoniam non quatenus ſubſtantia. At quonã pacto albo, quod ſentimus,
Reſponſum quod ſubſtantia ipſa acciderit, recte dici poſſet? Contrariũ nanq; potius verum. Nũquid autem & id verius. Album nanq; ſubſtantiæ accidit, iuxta ipſum eſſe: & tãquam id, quod ſuum eſſe per ſubſtantiam ſortiatur. Subſtantia vero ipſi accidit albo, iuxta id, quod ſenſibile: quia præcipue, atq; per ſe ſenſibile eſt. Quia vero vna cum albo exiſtit, & ipſa quoq; eius, quod ſenſibile fructum percipit. Licet ipſa ſecundo ſenſibilis non ſit: quemadmodum communia ſenſilia. Sed quia vna cum eo exiſtat, quod ſenſile. Vnde & ratio quoq; excitatur ad cognitionem de ea: quæ tamen cognitio opinandi tantum vim tunc habet. Hacque ratione homo domino contingere in prædicamentis dictum fuit.

VNDE & nihil patitur, quatenus tale a ſenſibili. Ex iis uero, quæ per ſe ſenſibilia, propria uere ſunt ſenſibilia: & ad quæ ſubſtantia apta eſt, cuiuſcunq; ſenſus.

SEXAGESIMASEXTA PARTICVLA.

CVIVS quidem eſt uiſus, id eſt uiſibile.

EXPOSITIO.

Nihil patitur, quod ſentit ab albo: quatenus albus Diaris filius eſt. Quoniam neq; ſecũdo, neq; omnino Diaris eſſe filium per ſe ſenſibile eſt. Si autẽ primo per ſe ſenſilia propria ipſa ſunt. Communia nanq; licet per ſe exiſtant, attamen ſecundo ſunt. Et cauſæ quoque ſunt ipſa propria communibus, cur ſenſibilia ſint. Vnde & vere propria ſenſilia erunt. Atq; hanc ob cauſam ipſe Ariſtoteles dixit, quod vniuſcuiuſq; ſenſus ſubſtantia, apta, atq; nata eſt ad hæc. Apta nanq; eſt, & ad ipſa quoq; communia: ſed non tanquam vnaquæq;. Sed ex communiori quadam ſubſtantia. Quatenus autem ipſa, & ex propria ſuiipſius ſubſtãtia, ad propria ſpectat. Vnde & neceſſario in propriam vniuſcuiuſq; ſubſtantiam, non ex communibus, ſed ex propriis ad vniuſcuiuſq; ſubſtantiã ſpectantibus, adducimur. Quoniam ad hæc ex ſe ſenſus aptus, atq; natus eſt. Neq; enim in magnitudinem tanquam viſus dirigitur: ſed in colorem. Qui actu quidem prope formam eius in intuendo conſtitutus fuit: antea vero, ex ipſo poſſe effingebatur. Neq; enim a ſeipſo ſolo, neque intrinſecus ſenſus perficitur: neque extrinſecus tantum ab ipſo ſenſibili: ſed ab hoc quidem ſenſorio patienti. Quodq; affectionem ſimilem facienti patitur. At viuaciter ſenſorium ipſum patitur: atq; affectio in actionem a forma ſtantem deſinit: quia ex appulſu, eminentia ve rationũ, anima quæ ſentiendi vim habet, ſenſibile cognoſcit: propeq; eius formã ſtat. Quoniam igitur & perfectio vniuſcuiuſque ſenſus, & vis ex ipſius ſenſibilis forma determinatur: viuaciterq;, atque agendo, & cognoſcendo, & propter hanc quoque cauſam perficiendo ipſe ſenſus id eſt. (Conueniens nanq; illa ſecundum naturã actio ſubſtantiæ ipſi agenti exiſtit.) Iure ex propriis ſenſibilibus in vniuſcuiuſq; propriam ſubſtantiam adducimur: tanquam ex accidenti manifeſtiore, & quod corporis effigiem referat, hoc eſt, ab ipſo ſenſibili, ad id ducamur, quod ſubſtantiale ſit, & viuax, & ſine corpore, atq; ratione comprehẽdatur. A viſu vero Ariſtoteles orditur, tanquam a ſenſu manifeſtiſſimo, atque honore dignisſimo. Tum propter collectam illam actionem. Tum quia maximam agendi vim ha-

bet:minimamq; patiendi. Tum quia propter illam luminis formam,cum ſole proportionem habet. Verum quando ad id quod viſibile ſit,viſus ipſe ſpectat,quid ipſum viſibile exiſtat,philoſophus tradit.

VISIBILE autem eſt,colorq;,& quod ratione quidem licet dicere, ſine nomine autem eſt. Dilucidum uero erit,quod dicimus progredientibus maxime.

Quandoquidem corpus omnino eſt,quod ſenſibile,patet quemadmodum & quod viſibile huiuſmodi erit. Ipſum vero viſibile corpus,aut in ſeipſo habet id, ex quo proprie dicitur viſibile:quod per ſe Ariſtoteles viſibile dicit:aut aduentitie cauſam,propter quam cernatur,recipit. Quemadmodum aer,qui per lumen videtur. Et quod in ſeipſo cauſam cur videatur,habet,aut in lumine ſolum cernitur,vt color,& quæcunque ea ratione lucida. Quippe quæ ſatis ſuperq; poſſint medium illud pellucidũ actu perficere, aut in tenebris tantum. Quæcunq; aliquem quidem ſplendorem habent:haud tamen huiuſmodi,vt potis ſit,lumen emittere,vt quorundam piſcium ſquamæ,& fungi,& ligna quædam putrefacta,atque cornua. At & alia reperiuntur,quæ & in lumine,& in tenebris aſpici queunt. Quemadmodum ignis,qui in tenebris quidem cernitur. Cum neq; aliunde lumen adſit: neq; ipſe ſatis ſuperq; ſit,ad omnem illum medium aerem illuſtrandum. In lumine vero, cum quod pellucidum actu ab eo reddatur pellucidum. Aut cum & in ſolis lumine videatur. Licet ſolis lumen nihil ei largiatur,quo videatur. Erit itaque huiuſmodi omne quod cernitur,vt aut ex aduẽtitia quadam perfectione cernatur:quemadmodum quæ actu pellucida. Aut inſitum id habeat,quod videatur. Atq; id,aut non ex ſe ſufficiens: ſed lumine, quo actu cernatur indigens,vt quæ coloribus imbuta ſunt,aut ex ſe ſufficiens,vt oẽ quod ſplendeſcit,atq; igneum eſt. At & ex hoc,aliud quidem ad omne medium perficiendum ſufficiens eſt:quemadmodum ſol,qui ex æquo cernatur interuallo: & qui nunquam ex ſe obſcurus efficitur. Aliud vero aliquando quidem mediũ omnino perficere poteſt:quia neq; obſcurum redditum ſit:& parum ſit,quod mediũ. Ita,vt in proprio lumine videatur. Aliquando vero aut propter obſcuritatem,aut quia procul abeſt,non illuſtrat mediũ omne. Vnde & id ipſum quoq; in tenebris aſpicitur. Par autem eſt, omne quod cernitur, aut lumen eſſe,aut cum lumine cognationem habere. Ipſe quidem ignis,atq; ſol, cum luminis generandi vim habeant,manifeſte huiuſmodi exiſtunt. At & luminis cum eo omni, quod lucidum ſit,cognatio,atque affinitas adeſt,vt vel ex ipſo ſenſu patet. Quare ſi ex poſitione aliqua adauctum fuerit lucidum illud,quod in cornibus, atq; iis, quæ huiuſmodi ſunt,reperitur:vel id quoque lumen emitteret. Nanque iam lignum quoddam noctu viſum fuit:quod lunæ lumen per totam domum redderet. Cæterum colores quoque tanq̃ lumina quædam ex Platonis ſententia:& tãquam extrema illius pellucidi, quod in ſolidis corporibus poſitum eſt,vt Ariſtoteles vult:& tãquam ea,quæ illa ſunt prædita vi,vt quod actu pellucidum mouere queant:& quæ haud alia cernantur ratione, q̃ quia & ipſa a lumine illuſtrentur,ſuam cum lumine conuenientiam,atq; affinitatem indicant. At ad ipſa iam noſtri philoſophi verba accedendum eſt.

VISIBILE autem eſt,colorq;,& quod ratione quidem licet dicere, ſine nomine autem eſt. Dilucidum uero erit,quod dicimus progredientibus maxime.

Comprehenſum ex his illud omne fuit,quod ſecundum ſe uiſibile ſit. Cuiuſmodi color eſt,& quod nomine carere philoſophus inquit. Quod nanq; ſplendeſcens, atq; igneũ eam habet uim,ut quod illuſtrare queat,ſignificet. Illud autem quod in tenebris tantũ appareat:ut,quod in fungis,ſiue gladiorum capulis,ſquamiſq; reperitur,nequaquã. Quapropter non omne id,quod præter colorem per ſe uiſibile eſt, nomen ſortitum eſt. Siue una cum lumine ſemper exiſtat. Siue in ſolis tenebris conſpiciatur. Siue & in tenebris, & in lumine appareat.

VISIBILE nanq; quod dicimus eſt color. Id aũt eſt,quod in eo,quod p ſe uiſibile. Per ſe autem,non ratione:ſed quia in ſeipſo habet cauſam,cur ſit uiſibile.

SEXAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

OMNIS autem color id mouere poteſt, quod actu pellucet: & id eſt eius natura. Quapropter haud uiſibilis abſq; lumine. Sed oīno quilibet color i lumine uiſibilis.

EXPOSITIO.

Loco eius, quod eſt, aliquod viſibile. nunc viſibile dictum fuit. In hoc autem noſter philoſophus manifeſtum reddit omne, quod per ſe viſibile. Id nanque inquit eſt, quod in eo, quod viſibile per ſe. Neq; enim color, aut ſplendor: ſed quod coloratum ex colore: & quod ſplendore ſplendeſcit, cernitur. Vtrunque q; eſt, quod ſcilicet coloratum, & quod ſplendeſcit per ſe viſibile, non autem ratione. Quoniam neq; in ipſius colorati definitione, viſibile, tanquam ex eius ſubſtantia ſumitur. Neque rurſum tanquam ex iis accidentibus, quæ per ſe inſint. Sed quia in ſeipſo habet cauſam, cur ſit viſibile. Hac q; ratione a pellucido diſtinguitur: quod haud ex aliquo lumine in ſeipſo inſito: ſed ex lumine ei accidenti, atque aduentitio cernitur. Cauſa nanq; quæ a forma ſtet, & quæ formalis dici queat, propter q̄ quod colore affectum cernatur, color eſt. Non tanquam color: ſed tanquam id, quod pellucidi mouendi vim habeat: ſed ita, vt ei inſite, atq; innate inſit. At & lumen quoq; in cauſa eſt, propter quam aer videatur. Sed ita, vt aliquando quidem accedat: & rurſum recedat: aere tamen permanente. Ob quæ, cum differentias eorum, quæ per ſe viſilia ſunt Ariſtoteles tradiderit: de colore poſtea antea alia omnia loquitur, ipſum definiens. Haud tamen quatenus color, vt in libro de ſenſu, & ſenſilibus fecit. Sed quatenus viſibile diuerſa quadā ratione ab aliis omnibus viſibilibus. Tanquam id, quod eam habeat vim, vt quod actu pellucidum moueat: id inquam pellucidum, quod ipſum ambit. Quando euenit & ipſum quoq; actu illuſtrari. Pellucidum autem eſt, quod per ſeipſum totum aliquādo quidem ſine lumine exiſtit: aliquando autem illuminantis præſentia illuminatur. Atq; id actu pellucidum. Poteſtate vero antea quam lumen receperit. Color nempe effuſus ab eo, quod actu pellucidum, & lumine ipſe quoq; perfectus, mouet quod actu pellucidū. Haud tanquam illud alterans, aut conuertens, aut affectionem immittens. Id nanq; earum qualitatum proprium eſt, quæ paſsibiles dicuntur. Quæ non ſine conuerſione, atq; affectione iis adſunt, a quibus recipiuntur. Quibus q; indigēt ea omnia, quæ fiunt. Quo ad formarum receptionem apta reddita ſint. Vbi vero apta effecta fuerint, haud amplius ex affectiōe, ſed ex præſentia illa, quæ agendi vim habet, a formis perficiuntur. Quemadmodum vita cori adeſt: quemadmodum figura domui: quemadmodum q; bona valetudo, & quemadmodum ſcientia, iis quæ horum recipiendorum vim habent. Vt & in octauo naturalis auditionis diiudicatum fuit. Quo ita q; corpus aliquod ad lumen recipiendum aptum reddatur: paſsibilibus qualitatibus indiget. Id autem ei euenit, dum aer, aut aqua, aut vitrum fit. Vbi vero iam aptum redditum fuerit, ſi quod illuſtret adſit, abſque vlla affectione, & actu perficitur. Formæ nanq; id ipſum, hoc eſt, actus, atq; perfectione ſunt. Quoniam paſsibiles illæ qualitates, haud ſimpliciter formæ ſunt: ſed ſiquidem formæ, paſsibiles quoque. Quippe quæ cum generatione cōmixtæ ſint: atq; in mutatione appareant: & imperfectione plenæ exiſtant. Vnde & vna cum illa mutatione, quæ ab eo, quod imperfectum, ad id quod perfectum emergunt. Quæcunq; vero formæ, atq; perfectiones ſunt, eæ accedūt & actu, & collectim. Quapropter viſibile abſque lumine, nequaq̄ exiſtit. Illuminatum nāq; eſt, quod actu pellucidum: cuius mouendi vim color habet. Verum id quod poteſtate tantum pellucidum mouere non valet. Quod enim illuminatum non eſt: quodq; ab eo non continetur, quod actu pellucidum, non cernitur. At dictum etiam fuit, qua ratione mouēdi vim habeat. Quoniam non iuxta affectionem, atq; conuerſionem aliquam id agit: ſed ſecundum actum, atq; perfectionem: & præſentiam quādam, quæ a forma ſtat: ſed haud ex ſubſtantia illius ducta ſit. Cuiuſmodi ipſa vitæ præſentia eſt. Nam actionem quandam conſequitur: quæ a ſubſtantia naſcitur: & poſt ſubſtantiam progreditur. Cuiuſmodi affectiones, atq; habitus exiſtunt

Formę qd?

QVAPROPTER de lumine primo dicēdū, quid eſt. Eſt ſane aliqd pellucidū.

Forſan

Forſan quidem enim, vt iam a nobis dictum fuit, & omne, quod cernitur, aut lumẽ eſt, aut cum lumine cognationem habet. Color quidem igitur, cum in lumine omnino cernatur, neceſſario ipſius luminis rationem, iis demonſtrare debet, qui de viſibili, atq; viſu, aliquid diſcere cupiunt. Verum quoniam lumen pellucidi perfectio eſt: quid ipſum ſit pellucidum antea accipiendum eſt. Neq; enim ita ſeſe lumen habet, vt ipſa intellectio: quæ in ſubſtantia a qua adducta fuit, permanet: atque adeo eadem cum ipſa ſubſtantia efficitur. Sed & lumen quidem actus eſt. Non tamen idem cum eo, quod facit: neq; in ipſo manet. Licet neq; diuellatur. Sed vna cum progredienti is iunctus eſt: atq; aliunde infertur. Licet haud ita, vt cum vlla affectione id faciat: ſed potius non ſine collecta quadam perfectione. Cum conuenientia quædam vbiq; in eo quod recipiendi vim habet, reſpectu illius quod accedit, conſideretur. Ita, vt ex altero, in alterius quoq; notitiam perueniri poſſit. Poteſtate itaque id, quod recipiendi vim habet, illud eſt: quod iam actu exiſtit, quod receptum fuit. Actus autem, & terminus, atq; perfectio illa eſt natura, ex qua determinatur, quod receptum fuit. Idque actu eſt. Poteſtate vero, quod recipiendi vim habet. Exempli gratia, bona valetudo, ex qua, & quod bene valet, & quod bene valere poteſt: id quidem imperfecte, illud autem perfecte: quemadmodum & quod recipiendi vim habet, & quod receptum fuerit: a conceſſo determinatur actu. Atq; ipſa quidem ſcientia, quæ naturam conſequitur, ex definitione, & quæ actu determinantur, cognoſcit: & quæ recipiendi vim habent: tãquam ea, quæ ab imperfecto quodam illorum veſtigio, formantur. Ariſtoteles autem nũc inueſtigans, adhuc ab iis, quæ de cauſis effecta ſunt: & tanquam ab iis, quæ reſpectu noſtro prima ſint: ad ea, quæ natura prima, atq; cauſæ exiſtant, aſcendens: & ab impfectis ad perfecta: ex his perfectionem cognoſcit. Hacq; ſane ratione ex pellucido, quod tanquam materia, lumini ſubſtratum eſt, & ex eo perficitur: quoniam & actu fiat pellucidum: cuiuſmodi lumen ſit, cognoſcimus. Quãdo haud ipſi formæ in primis: ſed ei, quod illuminatum ſit, ſenſus inhærere ſolet. At dicere aliquis poterit, nonne & ipſa forma manifeſtiſſime patet? Quid nanq; lumine manifeſtius? Verum ſimplex quidem luminis proprietas quo ad illam ſimplicem apprehenſionem ſpectat, noſtræ intellectioni ex ſenſu ipſo nota fit. Quod autem ſine corpore exiſtat: & quod non affectio, ſed actus ſit, ratiocinando colligimus. Partim quidem ipſum per totum pellucidum progredi videntes. Partim vero quia, cum tum præſens, tum abſens ſit, nullo vtitur tempore. Affectiones nanq;, non ſine tempore accedunt, atq; recedunt. Corporaq; quæ cum materia exiſtant, haud ſeſe mutuo pertranſcũt. At ignis, qui a lumine prouenit, corpus cum materia eſt. Aerq; qui eius recipiendi vim habet, huiuſmodi exiſtit. Nunquid igitur ſubſtãtia etiam eſt? quemadmodum vita illa, quæ ab anima corpori conceditur. At licet vita corpori collectim adſit, atq; rurſum abſit: attamẽ neceſſe eſt præcedere plenum compoſiti ortum: atq; illius abſentiæ interitum accidere. Vitaq; præterea contrariorum recipiendorum vim habet. Animalq; perſpicue ſubſtãtia eſt. Quare & vita, quæ illius determinandi vim habens forma eſt, ſubſtantia erit. At neq; aer illuminatus, tanquam illuminatus ſubſtantia eſt. Quemadmodum neq;, qui aliunde calorem adeptus eſt. Neq; vel aer ipſe, vel lumen contrariorum recipiendorum vim habet. Neq; mutatio quæpiam eius præſentiam præcedit: neq; abſentiam conſequitur. Verum id hoc eſt, actus eſt: qui haud in pellucido, tanquam in ſubiecto inſitus eſt: ſed ſeparabiliter ei adeſt: atq; ipſum perficit. Ita, vt nunquam ab eo, quod ipſum adducit, ſeparetur: ſed in illo ſedeat, atque illi hæreat. Quapropter & eo quidem tranſpoſito, ſimul tranſponitur. Haud tamen ſi id, quod recipit, quacunq; ratione mutetur, ſimul quoq; mutatur.

Dubitatio.

Reſponſum

Dubitatio.

Reſponſum

SEXAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

PELLVCIDVM autem dico, quod eſt, quidem uiſibile. Non per ſe autem uiſibile: ut uno uerbo dicam: ſed propter alienum colorem. Huiuſmodi autem eſt aer, & aqua, & multa ſolidorum. Neq; enim quatenus aer, aut quatenus aqua pellucidum. Sed quoniam eſt natura, exiſtens eadem in his ambobus, & in perpetuo ſuperiori corpore.

EXPOSITIO.

Cernitur quidem lumine non ſolum quod pellucidum: ſed & quod colore affectum. Differentia autem eſt: quoniam alterum quidem, quod ipſum pellucidum eſt, quatenus illuminatum ſolum cernitur. Secundum quod pellucidum. Alterum vero etiã quatenus colore affectum. Vnde id quidem per ſe viſibile: quippe quod in propria natura colorem contineat. Qui quidem color, illud erat, quod in lumine cernebatur. Pellucidũ vero haud per ſe viſibile: quoniam lumen ei aduentitium quid eſt. Quod quidem lumen id tantum erat, quod in pellucido cernebatur. Licet enim idem pelluceat, atq; colore affectũ ſit: quẽad modum cornu, & gypſus. Attamen quatenus pellucida, & hæc quoq; ſolo lumine cernũ tur. At quænam ipſius pellucidi natura ſit: nouit quidem Ariſtoteles in aliis, & quod determinatum pellucidum. Nunc autem ſermonẽ habet & de pellucido indeterminato. Quod illud eſt, quod aliunde per ſeipſum totum, atq; adeo & a ſeipſo lumen recipit: & ea ratione redditur viſibile. Atq; hæc pellucidi natura eſt. Quæ nequaquam aptitudo eſt ad lumi nis receptionem, per ea tota, quæ hac ratione apta, atq; nata ſunt.

SEXAGESIMANONA PARTICVLA.

LVMEN autem eſt huius actus pellucidi, quatenus pellucidum.

EXPOSITIO.

Ita quidem eius eſt actus, vt qui perficiendi vim habeat. Sed non tanquam is, qui ab eo omnino progrediatur. Illud autem quatenus pellucidum dictum fuit: quoniã quatenus huiuſmodi, eius perfectio lumen eſt.

POTESTATE uero in quibus id eſt, & tenebræ.

Quandoquidem & cœleſte corpus etiam pellucidum dictum fuit, atq; eſt: quod ſemper actu eſt: tanquam id, quod in ſe cauſam, quæ luminis efficiendi vim habet, contineat. Simul nanq; luminis emittẽdi facultatem corpus cœleſte obtinet, atq; pellucidum eſt. Vnde licet a cono telluris impediatur aliqua eius particula, quin a ſolis lumine illuſtretur: haud tamen propter hanc cauſam in tenebris collocatum eſt, propter proprium lumen, quod obtinet. In quo autem quod poteſtate reperitur, quemadmodum in aere, in eo, non ſolum lumen, ſed etiam tenebræ locũ habent. Si itaq; luminis priuatio, tenebræ ſunt, non duabus cum poteſtatibus pellucidum erit: cum aliquando quidem lumini, aliquando vero tenebris ſubiectum erit. Sed iuxta eandem vim, interdum quidem perficietur lumine, interdum autem non, ſed tenebris. Sin autẽ haud priuatio ſit, ſed & ex ſe actio telluris: quæ tenebras efficiat, non quia obiiciat: ſed quia quandam proprietatem largiatur, lumini contrariam: quemadmodum ſeſe habet frigidum erga calidum, & nigrum erga album, tunc duplices amborum erunt poteſtates. Quarum altera ex ea aptitudine conſiderabitur, quæ ad ipſum illuminari ſpectat: altera vero ex ea, quæ ad ipſum tenebris effundi. Neq; enim ſola luminis abſentia tenebræ egebunt: ſed & aliqua quoq; præſentia. Ariſtoteles autem tenebras a priuatione ſtare, huiuſq; in claſſe collocari voluit. Licet enim lumini tenebras contrarias dicat: at non tanquam formam formæ oppoſuit. Sed ne tanquam priuationem habitui: tanquam priuationem formæ nos opponere voluit. Priuatio nanq;, & forma mutuo inter ſeſe mutantur. At a priuatione in habitum mutationem fieri impoſſibile eſt.

LVMEN uero, quaſi color eſt pellucidi, ubi fuerit actu pellucidum ab igne, aut tali. Exempli gratia, quod ſurſum corpus. Nanq; huic aliquid ineſt unum, & idem. Quid quidem igitur pellucidum, & quid lumen dictum eſt.

Quoniam quemadmodum quæ colore affecta ſunt ex colore: ita & quæ pellucida ex lumine cernuntur. Attamen lumen haud color eſt: ſed quaſi color. Quia nõ quemadmodum color, iis quæ colore imbuta ſunt, inſitus eſt: ita & lumen pellucidis, quatenus pellucida. Ab igne autem, aut a præſtantiori corpore fit. Quoniam, quemadmodum diximus, haud ipſius pellucidi actus erat, vt ab eo. Sed tanquam is, qui eius perficiendi vim obtine-

ret.

ret. Cœleſte vero corpus licet vna & luminis emittendi vim habeat, & pellucidum ſit: attamen diuerſum ei eſt, pellucido eſſe, atq; luminis emittendi facultatem obtinere.

QVONIAM neq; ignis, neq; omnino corpus, neq; fluxio corporis ullius. Eſſet enim corpus aliquod & ſic.

Non de pellucido, ſed de lumine id philoſophus affert: atq; aduerſus Timæum ſermonem dirigit. Apud quem quo pacto ignis ſpecies lumen ſit, declaratur: & qua ratione diurnum lumen, & viſus defluxus vbi coagmentata fuerint, vnum corpus conſtituere dicuntur. Quæ ex Iamblichi commentariis aduerſus Timæum ſumi poſſunt.

SED ignis, aut talis alicuius præſentia in pellucido.

Illud quidem talis alicuius de eo ſolo intelligendum eſt, quod luminis emittendi vim habeat. Præſentiam vero accipere debemus: non in loco poſitam: ſed quæ habeat vim perficiendi, quod ipſam recipiat. Idq; ex ea nanciſcatur actione, quæ ipſius illuminantis ignè di vim habeat. Quæq; haud in affectionem, ſed in actum deſinat.

NEQVE enim duo corpora ſimul poſsibile in eodem eſſe.

Omnium confeſsione ea intelligere debemus, quæ cum materia ſint. Quo itaq; pacto in aere ignea lux eſt? Neque enim quia partes illæ in minutas particulas redactæ ſint, per poros mutuo pertranſit: quemadmodum ponit Proclus. Sed quia tum totus aer luminis particeps factus per ſeipſum totum conſpicitur. Tum quia luminis continuitas nõ ſeruaretur, cum eiusipſius cauſa. Tum quia non iuxta omnem ſuiipſius particulam illuminãs ageret, dum ab eo impeditur, quod reſiſtit. Neq; tota eius ſuperficies cerneretur a nobis: cum collectim noſtri quoq; radii, vt inquiunt, per pellucidi poros pertranſeant. At qui eſſe poterit luminis motus ſecundum naturam? Nanq; cum corpus ſit, aliquem habere debet. Verum neq; qui in circulum fertur. In primis nanq; qui in rectum tendit, ei conuenire videtur. At neq; qui in rectum tendit, conuenit. Contrarii enim ſunt, qui ſurſum, ac deorſum verſus fiunt. Hiq; ambo eidem nequaquam. Lumen autem tum ſurſum, tum deorſum, tum in obliquas omneis parteis ſeſe eodem modo diffundit. Cæterum qua etiam ratione vllus ſine tempore erit motus. Eſſet enim celerior & eo, qui totius cœli: cum in quatuor horis per ſextãtem feratur. Lumen autem aſtri ſimul cum exortu inſenſibiliter exurgat, vt ipſi dicerent. Cum ex rei veritate vbiq; exiſtat.

SEPTVAGESIMA PARTICVLA.

VIDETVR QVE lumen contrarium eſſe tenebris. Sunt autem tenebræ, priuatio huiuſmodi habitus ex pellucido. Quare patet, quod & huius præſentia lumen eſt: & non recte Empedocles, neq; ſi aliquis alius ita dixit. Vt feratur lumen, atq; ſit aliquando inter terram, & continens, nos autem lateat. Id nanq; eſt, & præter eam, quæ in ratione ueritatem, & præter ea, quæ apparent. In paruo quidem enim interuallo, latere poſſet. Ab ortu autem ad occaſus latere, magna admodum petitio.

SEPTVAGESIMA PRIMA PARTICVLA.

EST autem quod coloris quidem recipiendi uim habet, quod ſine colore. Soni, autem, quod ſine ſono. Sine colore autem ipſum pellucidum: & quod cerni non poteſt, aut quod uix cernitur. Cuiuſmodi uidetur, quod tenebricoſum. Huiuſmodi autem quod quidem pellucidum: ſed haud cum fuerit actu pellucidum: uerum cum poteſtate.

EXPOSITIO.

Id quoq; eo tendit, vt luminis naturam declaret: ſed ita, vt haud corporata habeatur: verum in perfectione ſuum retineat eſſe. In abſentia quidem enim, atq; priuatione tenebræ collocatæ ſunt. At non corporis. Neq; enim minorẽ occupat locum tenebricoſus aer: neq;

rarior apparet:neq; collecta in ſolis occaſu,aut in ignis extinctione facta fuit corporis ſecũ dum locum diſtantia.Sed quemadmodum tenebræ luminis eſt priuatio:quod ſane habitum philoſophus appellat,tanquam eius perfectionem,quod ipſius luminis particeps exiſtit:in abſentia nanq; illuminantis tenebræ ſunt cõſtitutæ:ita lumen huius præſentia eſt. Præſentia autem habitus,atq; perfectio dicitur.Huius autem,aut ignis ſcilicet, aut alicuius,quod huiuſmodi.His nanq; refertur. Quoniam ex illa progreditur actione,quæ agẽdi vim habet.At cum dixerit,lumen eſſe colorem ipſius pellucidi:ipſum quoq; nunc pellucidum abſq; colore ex ſe exiſtere inquit.Hac enim ratione recte recipere valet, quod accidit:vt ipſum colorem:cum nihil quod intimum,atq; inſitum,& proprium ſit ei impedimentum afferat,quod aliunde aduenit.Non ſolum autem quod colore caret, ſed & quod cerni non poteſt,aut quod vix cernitur ipſum pellucidum abſq; lumine eſſe inquit. Quoniam id quoque tenebricoſum dicimus.Cum cerni non queat,hoc eſt,primo illo appulſu non cernatur.Quoniam autem quod tenebræ ſint,viſus ipſe diiudicat: quemadmodum quilibet etiam ſenſus proprii,atq; ſui ſenſibilis priuationem:haud quia aliquid intueatur, tenebras viſus diiudicat:ſed quia non intueatur:cum tamen id experiatur: atq; hac ratione illud quoq; ſimul ſentiat.Propter hancq; cauſam & de eo meminit, quod vix cernitur. Idq; ipſius pellucidi ſine lumine exiſtentis proprium eſt,quacunq; ſcilicet ratione cerni:licet haud ex primo illo appulſu.Quoniam ipſi quoque colores ſine lumine cerni non poſſunt,At neq; iis qui intueri nitantur vllum ſuiipſorum ſenſum concedunt.

Hic illud habe,qđ Auer. alio traduxit, qđ ſcilicet oẽ recipiens debet recepti naturа carere.

Qua ratiõe pellucidũ a coloribus differat.

EADEM nanq; natura,aliquando quidem tenebræ,aliquando autem lumẽ eſt.

Eadem quidem natura pellucidi.Eſt autem aliquando quidem tenebræ,aliquando autem lumen:quia vtriuſq; ſpeciatim recipiendi vim habet.

SEPTVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

NON omnia autem uiſibilia in lumine ſunt:ſed ſolum uniuſcuiuſq; proprius color.Nonnulla enim in lumine quidem non cernuntur. In tenebris autem faciũt ſenſum,ut quæ ignea apparent,atque fulgent. Vno autem nomine hæc carent:ut fungus,cornu,capita piſcium,& ſquammæ, & oculi . Sed nullius horum proprius cernitur color.

EXPOSITIO.

Dubitatio.

Reſponſum

Hæc quidem enim lucida ſunt:nequaquam tamen lumen emittere queunt:quæq; nomine carent,& in tenebris cernuntur.At quonam pacto ſolum proprium vniuſcuiuſque colorem in lumine cerni inquit?Nanq; & pellucidum illuminatũ cernitur.Nunquid pellucidum haud quia aliud ſit,in alio cernitur lumine:quemadmodum color? Cum ſecundum ſe lumen actus ſit pellucidi.At cum dixerit qua ratione pellucidum cernitur,cũ actu fuerit pellucidum:& qua ratione colores: deinceps & quæ in tenebris cernuntur, tradit. Exempli gratia,quæ ignea inquit,& fulgent.Haud tamen eiuſmodi exiſtentia, vt lumen faciant.Neq; enim tunc amplius in tenebris cernerentur.Sed quemadmodum carbones, & nebulæ rubentes,& natifulgidæ, & quæcunq; abſq; eo,quod lumen emittant in tenebris fulgent.Quorum nullius proprius cernitur color:ſed illud lucidum tantum.Quandoquidem & horum quoq; color in lumine viſitur.Ipſa vero ſine lumine fulgent.

PROPTER quam quidem igitur cauſam hæc cernuntur,alia ratio.

SEPTVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

NVNC autem tantum manifeſtum ſit,q; quod quidem in lumine cernitur, color.Quapropter etiam non cernitur ſine lumine.

EXPOSITIO.

Ipſe quidem nunc cauſam non admouet.Perſpicua autem eſt. Quia cum lumen præcipue viſibile ſit:& quod lumen reddere queat,lucidum eſt.Quod quidem igitur ita lucidum,& ipſum quoq; viſibile eſt.& propter lumen,& pellucido, & iis, quæ in lumine cernuntur,

nuntur,cauſa eſt,vt cernantur.Quæ vero huiuſmodi non habent luciditatem, vt potis ſit lumen emittere:aliis quidem vt cernantur,cauſæ eſſe non queunt: ipſa vero propter fulgorem cernuntur,& in tenebris ſolis.Quia vbi a lumine illuſtrata fuerint,ſuam non dete gunt luciditatem.Ita,vt primo quidem cernatur,lucida luminis cauſa. Deinde vero lumẽ ipſum,& quæ actu pellucida.Attertio loco,quæ colore imbuta. Eaq; vbi a lumine perfecta fuerint,ex affinitate illa,quam cum eo ſeruant.Siue lumina quædam,ipſi quoq; colores,vt Plato voluit,ſint.Siue extremitates determinati pellucidi exiſtãt. Præter hæc aũt alia ratiõe cernũtur,quæ in tenebris aſpiciũtur.Atq; vltra hæc oĩa alio quoq; modo,ipſum lumẽ.Cæterũ illis Ariſtoteles finẽ iponẽs,quæ de colore tradita ſunt,hæcq; ſcriptioni mãdat. Ordines eorum quę cernuntur.

ID nãq; erat ei,ipſum colori eſſe. quod eſt,eã habere uim,ut mouere poſſit,quod ſecundũ actũ pellucidũ. Actus autem pellucidi,lumen eſt.Signum aũt huius,manifeſtum.Si enim aliquis poſuerit,quod habet colorẽ ſupra ipſum uiſum, nõ uidebit.

Ei tanq̃ viſibili ſcilicet non autem tanq̃ colori.Simpliciter autem viſibili colori. Atq; id, vbi & ipſe a lumine perficiatur.Quoniam quod in tenebris poſitum eſt, aerem extra illuminatum non mouet.Quod vero illuminatum fuit mouet:haud tamẽ ita,vt patiatur:ſed & quemadmodum illud quod actu illuminat.Nanq; & color, qui lumine perfectus fuerit,& ipſe quoq; in id,quod actu pellucidum agit.Nequaq̃ vero patiendo,ſed agẽdo:quippe cum aliquam ei largiatur,actionem.Largitur autem ex ſe vbi a lumine perfectum fuerit.Atq; perfecto ipſo pellucido,viſum per id quod actu pellucidum,tanq̃ medium,nõ autem primo mouet.Quoniam ſimul quoq; ipſum pellucidũ agit, in eo ipſius viſus motu: dum a colore,qui cernitur concitatur:quẽadmodum & vectis a manu ad lapidis motũ impellitur.Atq; huius rei illud ſignũ eſſe poteſt:q̃ id quod colore affectũ,ſi ſupra ipſum viſum impoſitũ fuerit,non cernitur:quippe quod abſq; pellucido viſum mouere nõ poſſit.

SED ipſe quidem color mouet quod pellucidum. exempli gratia, aerem. Ab hoc autem cum continuus ſit,mouetur ſenſorium.

SEPTVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

NEQVE enim recte id dicit Democritus,qui arbitratur,ſi ſit uacuum quod medium,cerni poſſe exacte,uel ſi formica in cœlo ſit.Id enim eſt impoſſibile. Dũ nãq; patitur,quod ſentiẽdi uim habet,ſit ipſum ĩtueri.Ab ipſo quidẽ igitur,qui cernitur, colore impoſſibile.Relinquitur aũt a medio.Quare neceſſariũ aliquod eſſe mediũ.

EXPOSITIO.

Mouetur quidem a colore ipſum pellucidum:quippe quod inde actum recipiat. Atq; mouet ſenſorium,tanq̃ id,quod huius actus particeps fieri queat.Verum nequaq̃ tanquã id,quod ex ſe ſine corpore agat,atq; moueat aſpectum:quemadmodum ferrum, quod calefactum fuerit:licet ignis qui calefecit,non adſit,attamen calefaciendo agit.Sed color actũ traducit:quemadmodum & vectis lapidem cum a manu mouetur.Vnde & ipſum pellucidum recedente colore,haud amplius iuxta illum,aſpectum mouet.Sin autem ex ſe pellucidum aſpectum moueret,eius ſenſum eſſe oporteret,non autem illius,quod colore affectum ſit.Nunc autem & illud,& medium percipimus interuallum. Ac manifeſtius hæc a me in breui illo ſermone Theophraſti de rebus naturalibus diiudicata fuere.Verum hoc in loco Ariſtotelis verba confirmantes,ipſum quidem colorem mouere dicimus quod pellucidum proxime.Ab hoc autem,quod continuum exiſtit,vt inquit,neq; ſolum viſui:ſed & colori intelligit:quo ex continuitate proximum iuxta vtrunq; extremum,intelligat motum.Ab hoc inquam mouetur ſenſorium.Licet haud ita medium,tãquam illuminatum percipiamus,vt ex ſe aſpectum moueat.Nanq; quæ lucida ſunt,aut colores ita ex hoc intuemur:vt haud ex ſe aſpectum moueat: ſed ita ex hoc,vt vna agat cum eo,quod viſibile exiſtit:atque eius actum perducat.Ac quando infert,poſt id,quod contra Democritum dictum fuit,ab ipſo quidem igitur,qui cernitur colore,impoſſibile:relinquitur autẽ a medio,ſubintelligendum eſt,illud proxime.Quoniam a colore mouetur ſenſorium:dum p

pellucidum vehitur ad ſenſorium dantis actus: qui ſeparabiliter, atq; immixte per mediũ defertur. Vnde & collectim adeſt: & ſimul totus exiſtit: & diuerſorum quoq; colorũ in eodem actus reperiuntur. At quamnam ob cauſam impoſsibile eſt, quod ſentiendi vim habeat ab ipſo colore quod cernitur, proxime moueri? Nũquid quoniam lumine opus eſt, & aſpicienti ad colores percipiendos: & ipſi quoq; colori ad aſpectum ipſum mouẽdum? Ambo itaq; lumine complicari oportet. Vnde & mediũ actu pellucidum eſſe oportet: quo vtrunq; ab eo perficiatur. Quapropter non omne ſimpliciter, quod cernitur, aſpectui impoſitum cerni negat: ſed quod colorem habeat. Quod nanq; lucidum eſſet, cerneretur. Niſi propter immoderatam vim ſenſum hebetaret.

Dubitatio. Reſponſum

INANE autẽ ſi fuerit, non quod exacte: ſed omnino nihil cernetur. Propter quã quidem igitur cauſam, colorem, neceſſarium in lumine aſpici, dictum eſt.

Secundum eorum ſcilicet ſententiam, qui medium inani excipiũt. Non ſolumq; quod colore affectum: ſed nihil omnino cernetur. Quãdoquidem enim lumen, pellucidi actus eſt, neq; medium cerneretur. Pellucidum nanq; actu eſſe debet, medium quod cerni valeat. At neq; quod colore affectum. Quoniam nõ illuminat viſum, atq; colorẽ quod actu pellucidum, exiſtenti medio inani. Cæterum neq; aliquid eorum, quæ lucida ſunt. Nanq; eorum emittentium actio, dum medium pellucidum eſt, aut poteſtate, aut actu perfertur.

IGNIS autem in ambobus cernitur, & in tenebris, & in lumine. Et id ex neceſſitate. Quod nanq; pellucidum ab hoc fit pellucidum.

Quæ quidem enim obſcure, atq; imbecilliter ſplendeſcens aliquid habent: & non poſſunt illuſtrare, in ſolis tenebris quod poteſtate pellucidum mouent. Non quia illuminẽt: ſed ita, vt per ipſum cernantur: cũ ea ratione coloribus abundent: vt ſine lumine moueant pellucidum. Propter imbecillitatem autem ſplendoris, haud in lumine quoq; cernuntur. Quod non eam ob cauſam, vt opinor, euenit: quia illa lucida in ærem illuminatum non agant: ſed quia viſus propter affectionem illam, quæ a maiori lumine iniicitur: quod debilius exiſtit, præterea intueri non poteſt. Ignis autem propter maiorem luciditatem, quippe quæ luminis quoq; perficiendi vim habeat, in lumine conſpicitur, vel diurno. Atq; omnino licet alterum illuminans ſit: quod non prohibeatur ab immodico cerni interuallo. Siue in eo lumine, quod ab eo perfectum ſit. Quemadmodum qui noctu vicini ipſum intuẽtur: quiq; eius præterea lumen percipiunt. Ad quod & illud quoq; adiectum fuit: & id ex neceſsitate. Quod eſt in lumine conſpici. Cum ſcilicet id nanq; addendum eſt, in proprio cernatur lumine. Quandoquidem ignis huiuſmodi eſt: vt in id quod actu pellucidum, quod poteſtate erat, & ipſe quoq; ducat. Cernitur autem & in tenebris ab iis, qui longius progrediuntur, ignis in nocte. Quoniam aut adeſſe oportet ipſum mouens ei, quod mouetur: aut ad illud ferri ipſam mouentis actionem. Medio itaq; vacuo exiſtenti, nequaq; id quidem moueret, illud aũt moueretur. Neq; illa ſola aptitudo ad ipſum pati, ſatis, ſuperq; exiſteret. Inſtat autem Alexander aduerſus Ariſtotelem, tanquam aduerſus eum, qui de ſolis viſilibus locutus uidetur: quique nihil de ipſa actione intueri ualente dixerit: de qua tamen ſe uerba facturum pollicitus eſt. Atque pro eo reſpondẽdo inquit: quemadmodum dixit, moueri uim illam, quæ cernendi uim habeat ab eo, quod actu pellucidũ: & quæ fit actu, quod ipſum uiſibile erat. In fine que præterea huius libri, eum uniuerſaliter de omni ſenſu loqui aſſerit: tanq; de eo, qui ſenſilia abſque materia recipere ualeat. Hæc quidem igitur pulchre, atque recte dicta ſunt. At illud quoque adiiciẽdum eſt: quod licet ſenſorio nõ ſine affectione actio illa adſit: attñ in ipſa uita, quæ ſentiẽdi uim habet, iuxta propriã actionẽ ſenſiliũ cõprehẽſio fit: quæ haud extrinſecus recipitur: ſed rationũ appulſu, ppe ſenſiliũ formas pmanet: neq; a ſenſilibus patitur: ſed iuxta ea cognoſcẽdo, non aũt efficiendo agit.

SEPTVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

EADEM præterea ratio & de ſono, & odore eſt. Nullum nanq; eorum tangens ſenſorium facit ſenſum.

Expoſitio.

EXPOSITIO.

Eadem quoq; ratio eſt, quatenus vt ipſe confeſtim infert, per aliquod medium extrinſecus exiſtens, in his quoq; actio perfertur, atq; deducitur.

SED ab odore quidem & ſono medium mouetur. Ab hoc autem ſenſoriorum utrunq;. Quando uero ſupra ipſum aliquis impoſuerit ſenſorium, ſonans, aut olens nullum ſenſum efficiet.

Dictum iam fuit, qua ratione a medio ſenſorium mouetur: non tanquam ſcilicet ab eo, quod per ſe moueat: ſed tanquam ab eo, quod actionem ab ipſo ſenſibili perferat. Propter quam itaq; cauſam, ſi ſupra ipſa ſenſoria ſenſilia ponantur, nō ſentimus? Forſan propter conuenientiam. Aut quoniam vel eo per quod, opus eſt. Quemadmodum & vecti egemus in motu illo lapidis, qui a manu fit. Interrogatio. Reſponſum

DE TACTV autem, & guſtu, habet quidem ſeſe eodem modo. Non apparet autem. ob quam uero cauſam, poſtea erit perſpicuum.

Nanq; & in his medium quoddam reperiri vult. Verum non apparere: quia intus, non autem extra, medium exiſtit.

SEPTVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

MEDIVM autem, ſoni quidem aer.

EXPOSITIO.

Aer nunc mētione dignus iudicatus fuit: ceu is, qui manifeſtius vim illam ſonū pferētē obtineat. Qm̄ & aqua aliquid præſtat. Licet minorem perferendi facultatem habeat, q̄ aer.

ODORIS uero, nomine carens. Communis nanq; ſane quædam affectio in aere, & aqua eſt. Quemadmodum & pellucidum colori: ſic habenti odorem, quod in ambobus ineſt his. Videntur nanq; & aquatilia animalium, habere ſenſum odoris. Sed homo quidē, & ex pedes habentibus, quæcunq; reſpirant, non poſſunt odorare, non reſpirantia. Cauſa uero & de his poſtea dicetur.

Quod nonnulli εὐῤῥόγμον appellant, illud eſt, quod odoris perferendi vim habet: quodq; pellucido ex proportione reſpondet. Quemadmodum enim id, luminis, atq; coloris, atq; eorum quæ cernuntur omnino actu perficitur: ita quod ἀκουστὸς, hoc eſt, ſonum perferre valens, dicunt, ad ſonorum receptionem: quodq; εὐῤῥόγμον, ad odorum receptionem aptum. In aereq;, atq; aqua id ſonum perferre valens reperitur, In eo vero, quod. Sed homo quidē, philoſophus dixit. Licet nihil reddiderit illi particulæ quidem: attamen quid reddi debeat, patet. Illud nanq; eſt. Quæ autem non reſpirant. Propter quam vero cauſam, hæc quidē vel non reſpirantia odorent: illa vero reſpirantia nequaquam, poſtea indicabit.

SEPTVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

NVNC autem primo de ſono, & auditu determinemus. Eſt autem duplex ſonus. Alter quidem actus quidam: alter uero poteſtas. Alia quidem enim non dicimus habere ſonum, ut ſpongiam, lanas. Alia uero habere: ut æs, & quæcunq; ſolida, atq; leuia. Quoniam poſſunt ſonare. Id autem eſt, inter ipſum medium, atq; auditum immittere ſonum actu.

EXPOSITIO.

De auditu determinandum eſt: quandoquidem poſt viſum perfectior aliis exiſtit ſenſibus: longiuſq; profertur. Eſt autem duplex ſonus. Alter quidem enim actus quidam: alter autem poteſtate. Et quod quidem actu, aliquando reſpectu ipſius eſſe ſubiectorum dicitur: aliquando autem non quatenus ſunt, ſed quatenus ſentiuntur. Cera nanq; quæ iam alba eſt, cum actu ſit alba, poteſtate interdum viſibilis eſt. Quæ vero præterea etiam flaua eſt, & alba quoq; exiſtit poteſtate. Quæ autem & alba eſt, & cernitur, iuxta vtrunque, actu

eſt. Hac eadem ſane ratione & ſonus: quidam quidem poteſtate eſt, atq; id ipſum ſonus. Cum ſolida, atq; leuia ſubiecta fuerint, & quæ ſonum facere queãt. Quoniam in iis, quæ haud huiuſmodi ſint, ne poteſtate quidem ſonus exiſtit. Alter autem actu: qui iam factus eſt, licet nemo audierit. Qui quidem ſonus actu eſt. Poteſtate vero, tanquam is, qui audiri valeat. Quoniam cum audietur, actu tum eſt, tum ſenſibilis reperitur. Et de eo, quod iuxta ambo actu, dictum fuit illud. Id autem eſt, inter ipſum medium, atq; auditum immittere ſonum actu.

SEPTVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

EST autem, qui ſecũdum actum ſonus, ſemper alicuius ad aliquid, & in aliquo. Percuſſio nanq; eſt, quæ facit. Quapropter uel impoſſibile, uno exiſtente, factũ eſſe ſonũ. Diuerſum nãq; uerberãs, & quod uerberatur. Quare ſonãs ad aliquid ſonat.

EXPOSITIO.

Alicuius quidem, hoc eſt, verberantis. Ad aliquid autem, ad id, quod percutitur. In aliquo q;, hoc eſt, in eo, quod ſonum perfert: quod q; actum ex percuſsione receptum traducit. Cum & ambo ſolida fuerint: aut alterum ex iis, quæ inter ſeſe incidũt. Ac maior quoq; occurſus fit: ſi & leuia, & intẽſa, & aſpera illa fuerint. & medium ſatis ſuperq; recipere, atq; perducere actum illum: qui ex ipſis redditur, queat. Quapropter nequaquã in vacuo fieri poſſet. Quandoquidem corpus eſſe oportet, quod perferẽdi vim habeat. & aliquod ex iis, quæ hanc ſoni perferendi facultatem obtinent.

PERCVSSIO autem non fit abſq; latione. Quemadmodum autem diximus, haud quorumcunq; percuſſio ſonus. Nullum nanq; ſonum reddunt lanæ, ſi percuſſerint, aut percuſſæ fuerint.

Oportet enim quod percutere debet, aliunde accedere, atq; occurrere ei, quod percuti debet. Ita, vt medium corpus ſit, inter id quod percutere, & quod percuti debet. Quandoquidem nihil reperitur inane. Atq; id illud eſt, in quo ſonus eſt: cum ſoni perferendi vim habeat: atq; collectim comprehenſum propter celeritatẽ lationis infractum maneat. Tunc nanq; recipit ex percuſsione actum.

SED æs, & quæcunq; leuia, & caua. Aes quidem, quia leuis. Caua uero refractione, multas faciunt percuſſiones poſt primam. Cum nõ poſſit exire, quod motũ fuit.

Haud ea nunc nobis philoſophus tradit, quæ ſimpliciter ſoni emittendi vim habeant: ſed quæ facile emittant: quæ ſolida eſſe oportet. Quemadmodum æris exemplum indicat. Et leuia. Quo aer, qui medius excipitur: cum vnam in ſuperficiem, quæ ſonum emittere valeat, incidat, infraſtus ſeruetur: & in vno toto actum recipiat. Caua vero ſonant: quia perſæpe fit percuſsio aeris, qui intercipitur, propter celerem percutientis lationem: cum is adhuc infractus permaneat: atq; non ſine vehementia motus ſit: & in cauis illis extet inuolutus: & perſæpe illa percutiat: quoniam non ſine difficultate exire poteſt.

SEPTVAGESIMANONA PARTICVLA.

PRAETEREA auditur in aere, & aqua, ſed minus. Non eſt autem ſoni proprius aer, neq; aqua.

EXPOSITIO.

Aer quidem ille, qui in pelliculis illis aurium comprehenſus eſt, auditus eſt inſtrumẽtum. Corpus vero, quod extra ſoni perferendi vim habet, nõ ſolum aer, ſed & aqua quoq; exiſtit. Licet aqua minus aere huiuſmodi ſit. Tanquam ea, quæ tum craſſior exiſtat: tum auditus vias obſeret. Non eſt autem ſoni proprius neq; aer, neq; aqua. Media nãq; ita ipſi ſono cauſæ ſunt, vt recipiendi vim habeant: non autem efficiendi. Hæq; propriæ ſunt cauſæ. Quæ nanq; recipiendi vim habent a materia ſtant. Niſi profecto illud aliquis obiiciat, quod ipſe aer, cũ a flagello, aut virga percutitur, ſonat. Quãdo duas quoq; ſubit rationes:

& eam inquam a quo efficitur ſonus: & eam in quo, & eſt præcipuus tunc, vt a quo. Non autem tanquam is, qui recipiendi vim habeat. Quatenus autem de iis, quæ recipiendi vim habent, dictum fuit, quod haud propria ſint.

SED oportet ſolidorum percuſſionem fieri mutuam: & erga aerem. Id autem fit, cum permanet percuſſus aer, neq; diffuſus ſit. Qua propter ſi uelociter, atq; uehemẽter percuſſus fuerit, ſonat. Oportet enim præoccupare motum percutientis diuiſionem aeris. Quemadmodum ſi aceruum, aut cumulum harenæ uerberet aliquis, qui feratur uelociter.

Duobus modis, vt opinor, quod dictum eſt, intelligi poteſt. Nanq; cum duo ſolida ſeſe mutuo percutiunt: & medium quoq; aerem, qui in illa latione excipitur: ſi ſonus fieri debet: percuti neceſſe eſt: & permanere, neq; diffuſum eſſe: propter velocitatem, & vehementiam percuſſionis: cum percutientis motus aeris diuiſionem anteuertat. Quemadmodum in celeri illa volutatione vaſorum plenorum fit: cum aqua, quæ in ipſis reperitur, non effundatur: atq; os perſæpe deorſum vergat: quia tunc velocitas in volutatione illa aquæ effuſionem anteuertit. Et quemadmodum ipſe quoq; Ariſtoteles aſſerit, de cumulo, qui verberetur. Exempli gratia tritici ibi collocati, aut alicuius huiuſmodi rei. Aut ſi feratur aceruus harenæ, aut tritici. Si præter vehementiam, & velocitatem quoq; verberatio retineat. & propter hanc cauſam occupet diſperſionem harenarum hactenus prope ſe exiſtentium. Percuſſio nanq; ipſas diſſipat. Quæ vero vehemens, atq; velox fuerit, propter velocitatem quidem diſperſionem anteuertit. Ac nõ ſecus incidit, atq; ſi vnus ſit cumulus, aut aceruus. Propter vehementiam autem ſonum reddit. Hac itaq; ratione ſententia hæc, quæ propoſita eſt, intelligi poteſt. Quo ſimul ſolida ſeſe mutuo, atq; medium percutiant aerem. At & alio quoq; modo dicere valemus: quo tum quidem ſeſe mutuo ſolida percutiant: tum vero ſolida ipſa percutiant aerem. Quemadmodum percuſſio illa aeris a flagello indicat: cũ maneat, atq; non diffundatur aer. Aliaq;, quæ haud ab iis diſſimilia ſunt, quæ dicta fuere, aperire queunt.

OCTVAGESIMA PARTICVLA.

ECHO autem fit, cũ ab aere, qui unus eſt, propter uas terminans, atq; prohibens ſcindi, rurſum aer reiectus ſit, tanquam pila.

EXPOSITIO.

Videtur quidem Ariſtoteles de Echo dicere: aerẽ a principio percuſſum: qui feratur ad aliquod vſq; ſolidum, leue, atq; cauum: ac cum quaſi vas fiat propter cauitatem: manentẽ vnum, atq; infractum, & collectim incidentem in lene, atq; cauum ſolidum, retrorſum tanquam pilam repercuſſum inde ferri: atq; id illud eſſe, quod vocãt Echo. Verum, vt opinor, recte Alexander cenſet Ariſtotelem exiſtimare fieri Echo, cum neq; primus ipſe percuſſus aer ad vas uſq; feratur: neq; rurſus a vaſe is ipſe repercuſſus ad eum uſq;, qui percuſſit, reuertatur. Id quidem igitur recte cenſet. Neq; enim æquum eſt, adeo uelocem fieri propter percuſſum aeris lationem: atq; opus eſt, quemadmodum de iis, quæ proiiciuntur dictum fuit, quod mouet ſemper ei adeſſe, quod mouetur. Cæterum vtrum illud recte ſentiat, inueſtigandum eſt. Scribit nanq; ſic. Sed primus quidem aer percuſſus, propter volocitatẽ percuſſionis continuus, atq; indiuiſibilis permanens, eum, qui poſt ſe, figurat ſimili percuſſione, quemadmodum ipſe a percuſſione figuratus fuit. Is autẽ rurſus eum, qui poſt ſe. Et ita non ſine continuitate ad uas uſq; progreſſus fit. Quouſq; enim validior data percuſſio diſſipatione aeris ſit: eouſq; permanet: dum alius ab alio figuratur. Quod demonſtratum fuit fieri, & in iis, quæ proiiciuntur. Poſtremus ſane, qui prope uas percuſſus, atq; figuratus fuit, cum prohibeatur a vaſe vlterius diſſipare percuſſionem, retro a ſolidi repercuſſione reiectus: quemadmodum pila a ſolido aliquo, eum qui poſt ſe percuſſit, atq; figurauit, atq; ita rurſus ſucceſſio in iiſdẽ percuſſionis, atq; ſoni fit. Aduerſus quæ omnia, quæ quidem Alexandri ſunt, inſtare aliquis poſſet: quippe cum in figura ſonũ collocẽt: & pcuſſionis ſucceſſionẽ non determinẽt. Vtrũ primus ille aer pcuſſus eum, qui ſe ſequitur,

Digreſſio ad uerſus Alexandrum.

percutiat: quemadmodum etiam figurare aperte dicitur. & quænam esse posset, aeris, ab aere continuo, atq; vno permanente percussio, & præsertim percussio, quæ soni emittendi vim habeat? Nunquid ea fieret, dum solidum ipsum percutiens primum aerem, atq; eũ qui illum sequitur, & rursum eum, qui post illum existit, percutit? At omnino si diuisionẽ hic aliquam mente concipiamus, neq; manet adhuc infractus sonans ille aer: & vnicuiq; adesse oportebat ipsum percutiens. Mihi itaq; persuadeo, quod non quemadmodum illuminantis præsentia in pellucido, & ipsius quoq; coloris præsentia in eo, quod actu pellucidum confestim agebat, quod visibile futurum erat: ita & ipsius solidi sola præsentia in eo, quod solum perferre valeat, sonum agat. Sed percutiens agit. Id autem est, affectionem immittens. Percussio nanq; affectio est. Sonus autem non affectio, sed actio percutientiũ est: quæ absq; vlla dissolutione ei, quod sonum perducere valeat, propter illam affectionem, quæ ex percussione fit, adest. Vnde affectio illa præcedit. Atq; totus quidem aer affectus est: quatenus & actio illa se diffundit. Qui etiam vnus, continuus, atque infractus permanet. Verum haud ex seipso in primis toto. Sed ex ea suiipsius particula, quæ apud solidum reperitur. Vna vero cum reliquis ipse quoq; fere afficitur. Ac magis quidem, atq; prius cũ proximis illis, eius quod antea affectum sit, particulis: postea vero, atq; minus cũ iis, quæ longius absunt. Quam etiam ob causam & magis, & celerius audiunt, qui propinquiores sunt, q̃ qui longius recesserunt. Ex mensuris nanq; affectionis, tum vehementia, tum celeritas, tum contraria determinantur. Haud igitur percutiuntur, aut figurantur secundæ particulæ a prioribus: sed vna afficiuntur, atq; vna formantur ab eo, qui ex principio percussit, atq; egit. Cum partibiliter affectio disipetur, propter partibilitatem eorum, quæ afficiuntur, quæ corpora sunt: & priora haud quæ sequuntur, percutiant: sed percussionem perferant, atq; deducant. Atq; aeri toti, qui percussionem patitur, absque vlla dissolutione actio illa soni faciendi vim habens, adest. Neque enim alia ratione tota vbique eadem esset. Quatenus pertransit aer. Pertransit autem quatenus per aerem affectio illa a percussione facta traducitur. Qui quidem aer infractus, atq; continuus, & vnus permaneat. Quando igitur vnus is aer solido alicui appellat: ita, vt haud amplius recta eodem modo cum prioribus particulis continuitatem seruet, propter obiectionem illam, quæ a solido fit: sed aut iuxta seipsum affectum & actionem seruet: aut iuxta eum, qui sibi adiunctus est in solidi partes, actio illa eius, quod a principio sonũ emisit, feratur: ea tunc de qua nũc loquimur, perficitur Echo. Non quia solidum percutiatur, atq; emittat sonum: sed quia quod a principio sonum emisit, adiutore in repercussione vtatur, quod solidum, atque leue, & cauum sit. Vnde propter leuitatem quidem infractum seruat aerem: qui quidem plurimus simul adductus est: quiq; Echo illa absoluitur, & non diffunditur: & propter hãc quoq; causam manifestius perficitur. Propter repercussionem autem vetat vlteriorem actionis progressum: atq; simul quoq; causa est, vt in eadem reflectatur. Hac itaq; ratione & Aristotelicum illud intelligendum est, quod, rursum aer reiectus sit, tanquam pila. Non tanquam is aer sit, qui secundum lationem moueatur: sed tanquam is existat, qui actu vim emittendi soni habeat, non sine ipso tamen sono.

VIDETVR autem semper fieri Echo, sed non manifesta. Quoniam contingit in sono, quemadmodum & in lumine. Nanq; lumen semper refringitur. Neq; enim fieret omnino lux, sed tenebræ, extra id, quod soli expositũ. Sed non ita refringitur, quemadmodum ab aqua, aut ære, at & aliquo alio leuium. Ita, ut umbram faciat, qua lumen determinamus.

OCTVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

IPSVM uero inane recte dicitur proprium audiendi. Videtur nanq; esse inane aer. Is autem est, qui facit audire, cum motus fuerit continuus, & unus. Sed quia fragilis est, non resonat: nisi lene sit, quod percussum fuit. Tunc enim unus fit simul, propter planitiem. Vna nanq; ipsius lenis planities.

EXPOSITIO.

Cum omnino ſcilicet aliquid ſonet. Quemadmodum & in lumine euenit. Nanq; lumẽ ſemper refringitur. Refractionemq; appellat, non ſolum actionem illam luminis, quæ a ſolidis iuxta æquales angulos in oppoſita ſit: ſed & eam, quæ ab humidis: quæ a iunioribus græcis, ἀνάκλασις, dicta fuit. Ex ambobus nanq; omnino lumen refringitur. At non in iis tantum locis, quæ ſoli expoſita ſint. Licet haud huiuſmodi poſtea ſit, vt omnino vmbrã efficere poſſit: quemadmodum quod ab aqua, aut ab ære refringitur. Imitatur autem luminis refractionem ſonus qui in obliquas parteis defertur. Quod nanq; ſonus, quemadmodum & lumen recta potius progrediatur, illud indicat: quod ab iis melius, atq; facilius auditur, qui recta aurem adiiciunt. Repercuſſionem autem poſtea Echo eſt, quæ imitatur. Vmbram autem Echo illa quæ facile audiatur. Vmbræ vero carentiam illa aſſequitur Echo, quæ propter imbecillitatem exaudiri non valet. Ipſum vero inane recte dicitur proprium ipſius audire. Ex eorum nempe ſententia, qui aerem inanem dixere. Atque, vt ipſe quoq; Ariſtoteles infert, ita dicitur proprium, vt haud efficiendi vim habere putetur. Id nãque nequaquam conceſſum fuit. Sed ceu id, quod producendi vim habeat, atq; hac ratione audire efficiat. Illud præterea nobis in memoriam philoſophus reuocat, quod leue eſſe oportet, quod percuſſum eſt, quo ſonus inde reddatur. Nanq; ſi plana ſit ſupficies eius, quod percutitur: vnus & aer qui intercipitur, remanet: quia non frangitur acumine, atque depreſſione eius, quod percutitur.

Similitudo inter Echo, & luminis refractionem.

OCTVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

SONI igitur faciendi uim habet, quod mouere poteſt unum aerem continue ad auditum uſq;. Auditus autem inſitus aeri.

EXPOSITIO.

Soni quidem faciendi uim habere dixit, quod aerem mouere poteſt. Ita, vt non ſolũ poteſtate: ſed actu quoq; moueat. Vnum autem aerem dixit: ita, vt infractum permanere debeat, quod mouetur, ſiue id aer, ſiue aqua ſit. Præſertimq; quod ſoni perferẽdi facultatem obtinet, nunc intellectum fuit. Ac qua ratione vnum philoſophus intelligat, ex continuitate indicat. Neq; enim ita vnum aer eſt, vt quod indiuiſibile eſt. Neq; vt quod ratiõe vnum. Sed vt continuum. Illa vero verba, ad auditum vſque. Non quod omnino audiatur: ſed quod audiri poſſit, ſignificant: licet audiẽs ipſe non adſit. Auditui vero inſitus eſt aer, non qui extra reperitur. Neq; enim ille innatus eſſe poteſt. Sed qui cum ipſo a natura colligatus, tanquam inſtrumentum eſt. Huiuſmodi autem eſt, qui & viuens eſt: & ex ea perficitur vita, quæ audiendi vim habet. Quemadmodum & humidum quod in oculis, ex ea, quæ intuendi facultatem obtinet.

QVONIAM autem id in aere eſt, cum mouetur quod extra, quod intus quoque mouetur.

Quoniam ſcilicet auditus in aere eſt. Hac nãq; ratione inſitus erat ille aer, qui intus exiſtit: & in hoc vita ipſa audiendi facultatem obtinens, collocata eſt. Quæ tum quidem tanq̃ viuacis inſtrumenti innati effingendi poteſtatem habet: tum autem tanquam ea, quæ huiuſmodi inſtrumento vtatur, exiſtit. Quoniam igitur id in aere eſt: hoc eſt, in eo, quod ſonum perferre valet, quod extra mouetur: & quod actu iam ſonũ perfert: vna & ipſe quoq; mouetur, ſonum ſuſcipiens. Cum a primo quidem percutiente, vel ipſum quoque ſenſorium afficiatur. Verum perducatur poſtea ipſa actio a percutiente per id, quod ſonũ perferre valet, ad inſitum id.

QVARE haud ubiq; aĩal audit. neq; ubiq; pertranſit aer. Neq; enim ubiq; habet aerem pars illa quæ moueri debet, & animatũ. Quemadmodum pupilla humidum.

Neq; enim vbique ſane aerem animal habet. Huiuſmodi inquam aerem, qui inſitus ſit vitæ illi, quæ audiendi facultatem obtineat: & qui hac abſoluatur natura.

OCTVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

IPSVM quidem ſane ſono carens, aer: quoniam facile frangitur. Vbi uero prohibitus fuerit frangi, huius motus ſonus.

EXPOSITIO.

Generatim apud Ariſtotelem illud ſono carens indicat, quod ſonum non agit: & quod ſoni recipiendi facultatem non habet. Simpliciter quidem igitur aer, quatenus aer ſono caret, quia facile diſſipari poteſt. Id nanq; aeris quoq; conſtituendi vim obtinet, quod facile diſſipetur, atq; ſcindatur. Vbi autem prohibitus fuerit ſcindi, & motus erit, aut ab eo, quod primo ipſum percutit: aut ab eo, quod primo quidem aliud, ſecundo vero loco ipſum aerē affligit: tunc profecto ſonat. Cum ſcilicet percuſſio prohibuerit, ipſum ſcindi. Ita, vt haud quatenus aer: ſed quatenus is qui diſſipari poteſt, vetetur: atq; ita ſonet.

QVI uero in auribus fabricatus fuit, immobilis eſt: quo exacte ſentiat omnes differentias motus.

Auditui inſitus aer circundatus fuit ſolidis: ne a percutiente proxime moueretur. Quo exactus fiat ſenſus ad omneis motuum differentias percipiendas. Opus quidem enim eſt ſenſorium etiam aliquid pati. Sed affectio, paſſio ve illa moderata eſſe debet. Quo actio illa, quæ iudicandi poteſtatem nacta eſt, valida ſit: neq; ab affectione obtuſa, hebeſq; reddatur. Eſſe autem poterit moderata affectio: ſi proxime percutiatur. At quo exacte ſentiat: non vehementer pati debet: ſed pure agere. Vehementior nanque affectio iudicio impedimentum affert.

PROPTER hæc autem, & in aqua audimus. Quoniam non accedit ad ipſum inſitum aerem. At neq; ad aurem propter conuolutiones. Cum uero id acciderit, nō audit. Neq; ſi pellicula laboret. Quēadmodum quæ ſuper pupilla pellis cū laboret.

Propter hæc philoſophus inquit. Quoniam inquam, inſitus ille aer in auribus fabricatus fuit: atq; ſolidis corporibus circundatus eſt: & proxime non mouetur a percutiētibus. Quoniam enim obſitus eſt aqua ad inſitum aerem non peruenit. Nanq; ſi ingrederetur, aut frigefaciens, aut humectans, aut illum craſſiorem reddens, eius quoq; audire valētem actionem hebetaret. Cum q; in aurem aqua ingreſſa fuerit auditui impedimento eſt. At nō facile propter illas conuolutiones ingreditur. Quemadmodum autem pellucidi quid ea tunica obtinet, quæ cornea dicitur: quæ inſitum viſionis inſtrumentum, quod ipſum eſt humidum complectitur: quæq; media eſt inter illud pellucidum quod intus, & quod extra reperitur: & cum laboret viſui impedimētum affert: ita & pellicula quæ inſitum aerem complexa eſt: quæq; ſoni perducendi vim habet: quæq; media exiſtit inter id, quod intus, atque extra huiuſmodi eſt: vbi laborauerit, ſeſeq; præter naturam habuerit, auditum omnino impedit.

OCTVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

AT ET indicium audiendi, aut non, perſonare ſemper aurem, tanquam cornu. Semper enim proprio quodam motu mouetur aer, qui in auribus. Sed ſonus alienus, ac non proprius.

EXPOSITIO.

Extrinſecus quidem proxime ab aliquo inſitum percuti ſpiritū, aut craſſum reddi, aut omnino perturbari natura nolens, ſepimentis illis, atq; aurium conuolutionibus iter obſtruxit. Vnde & immobilem illum eſſe antea dictum fuit: quippe cum ab iis, quæ ſonorū emittendorum vim habent, haud proxime moueatur. At quia viuit, ſemper ex ſe mouetur. Manum itaq; auri admouentes, & parum per intro impellentes, ſonum, qui fit, audimus: cum anguſtus reddatur ſpiritus, qui intus per aurem exiſtit: ac dum mouetur in aures propter anguſtias offendat: eaq; ratione ſonum faciat. Quemadmodum & ſpiritus ille, qui in ea immittitur cornua, quibus tibicines vtuntur. Audiendi itaq; indiciū eſt ipſum perſonare.

perſonare. Quoniam viuaci motu ſpiritus mouetur. Neq; enim in aurium impulſu ſonat. Ipſum vero non ſonare, non audiendi quoq; initium. Quia cum laboret, aut nihil omnino, aut imbecilliter ſpiritus moueatur. Quoniam autem in aere ſonus fit, aut dum ſolidum mouetur, atq; aerem percutit: aut dum aer mouetur, atq; ſolido incurrit: cumq; hoc modo in auribus ſonum fieri prodiderit, illud tanquam cornu philoſophus addidit. Nãq; canens cornu ſonat, dum ſpiritus mouetur, atq; in ſolidum offendit. Semper quidem igitur proprio quodam motu aer ille in auribus exiſtens, mouetur. At non ſemper ſonat. Sonus nanq; alienus eſt, & non proprius. Id autem eſt: quod haud ex proprio ipſius motu, dum ex ſe aer mouetur, ſonitus fit. Sed cum vel ipſe in aliud quid, vel aliud quid in ipſum aerem incidat. Hacq; ratione ſonitus dicitur alienus.

ET propter id inquiunt audire inani, & ſonãti. Quoniam audimus eo, quod habeat determinatum aerem.

Quicunq; non recte aerem inanem dicunt: & nos quoq; inani audire inquiunt. Quandoquidem inſito illo aere audimus, tanquam proximo inſtrumento: donec validus ſit. Quod Ariſtoteles ſignificare volens, ſonãti, addidit. In illa ſcilicet impulſione manus, quæ ea ratione fiat, qua dictum fuit. Et quoniam audimus eo, quod determinatum habeat aerem. Determinatus quidem igitur eſt, non qui circunſcriptus ſit. Id nanq; vel extrinſecus, atq; aliũde ei accidere poſſet. Sed qui viuaci effingatur, atq; formetur ſono. Audimus autem nos, qui compoſiti ſumus: aut & qui ex tota anima conſtamus: audimus inquam eo, quod habeat determinatum aerem. Hoc eſt, vita illa, quæ audiendi vim obtineat: quæque aere ipſo tanquam inſtrumento vtitur.

OCTVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

VTRVM autem ſonat, quod uerberatur, aut quod uerberat, aut & ambo, modo uero diuerſo? Eſt enim ſonus motus eius, quod poſſit moueri modo eo, quo quæ ſaltant a leuibus, cum aliquis detruſerit. Haud ſane omne, quẽadmodum dictum fuit, ſonat, quod uerberatur, & quod uerberat. Vt ſi percuſſerit acus acum. Sed oportet quod uerberatur æquale eſſe. Ita, ut aer collectus ſaliat, atq; concutiatur.

EXPOSITIO.

Hæc quidem erant propria ſoni, quæ verberant. & quæ verberantur. Illa vero eius recipiendi vim habebant, vt quæ ipſum perducunt. Dictum autem fuit, quemadmodum perſæpe vnum, atq; idem ambas ſuſcipit rationes. Aer nanq; ille ſimul eſt, qui verberat, & qui verberatur, & qui ſonum quoq; recipit. Eodemq; modo & aqua. At vtrum magis propriũ ſit, quod verberat, aut quod verberatur, inueſtigat. Atque illud infert, quod ambo propria ſane ſunt: licet diuerſo quodam modo. Nanq; alterum tanquam id, quod facit: alterum vero tanquam id, quod patitur. Verberat enim quod mouetur, atq; occurrit. Illudq; quatenus occurrit, verberatur. Quod autem ambo ſint propria, illud demonſtrare poteſt: quoniam quod ſoni perferendi vim habens intercipitur: non ſecus exultat, ac quæ a leuibus ſaltant, cum aliquis ea truſerit. Quia cum non ſcindantur, neceſſe eſt ita exilire, vt vnum maneat, atq; continuum. Quod ipſum ſit percuſſum, aut quod primo, atq; præcipuo vna cum aliis percuſſis affectum fuit. Ita q; percuſſum fuerit, vt percuſſionem anticiparit: atq; percutientis actionem illam ſonandi vim habentem: quæ ante diſſipationẽ ei tributa fuerit, anteuerterit. Motuſq; is, qui nequaquam latio eſt: quemadmodum eorum quæ ſaltãt: ſed velox percuſſionis, atq; actionis ſucceſſio: ſimilis redditus fuit exilitioni illi, quæ a planis, ac leuibus fit, cum quis trudat. Quoniam non ſine percuſſione is quoq; fit: quæ ſolidorum, atq; planorum, & collecta eſſe debet: & ei ab his ad alia tranſeundum eſt. Quãdo igitur, & quod verberat, & quod verberatur latitudinem quandam habere oportet: & æquale, hoc eſt, leue, atq; planũ eſſe debet. Ita, vt aer multus exceptus, collectus exiliat, atq; cõcutiatur: iure nõ ſolũ qđ verberat latitudinẽ quandã habere debet: ſed & qđ verberatur: qđ ſoni quoq; ppriũ eſt. Rurſumq; illud exilire, pcuſſiõis, & ſoni celerẽ ſucceſſionẽ ĩdicat.

OCTVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

DIFFERENTIAE autem ſonantium, in ſono qui ſecundum actum, declarantur. Quemadmodum enim ſine lumine non cernuntur colores: ita neque ſine ſono quod acutum, & graue.

EXPOSITIO.

Ex actione, inquit Plato, vires, atq; ſubſtantias rerum cognoſcimus. Quemadmodum itaq;, quod ſoni emittendi vim habeat ex ſono colligimus: ita & quod huiuſmodi ſonum emittere queat, ex huiuſmodi percipimus ſono. Quemadmodum enim ſine lumine non cernuntur colores: ita neq; ſine ſono, quod acutum, & graue. Vbi haud per acutum, & graue ſonos ipſos noſter Ariſtoteles intelligit: ſed quæ ſonũ emittere acute, aut grauiter queunt. Quo & hæc cum iis, quæ præceſſerunt, conueniant. Sonantia autem dicta fuerunt: quoniam quemadmodum lumen a coloribus diuerſum quid eſt: ita & ſonus ab acuto, & graui. At hic illud diſcriminis adeſt: quod lumen quidem coloribus cauſa eſt, vt cernãtur, tãquam id, quod efficiendi vim habeat. Sonus autem in cauſa, vt acutum, & graue cognoſcantur eſt, tanquam perfectio, quæ ipſorum ſignificandorum facultatem obtineat.

HAEC autem dicuntur per tranſlationem ab iis quæ tanguntur.

Vocabula, quibus de iis, quæ audiuntur loquendo vtimur, haud ita ſeſe habere philoſophus inquit, vt quæ de iis quæ tanguntur, in vſu ſunt. In iis nanq; quæ tanguntur acuto nõ graue, ſed obtuſum oppoſitum facimus. Cæterum res eodem modo ſeſe habere, ex quadam proportione, vt aperte dicturus eſt, ſentit.

ACVTVM quidem enim mouet ſenſum in paruo tempore multum. Graue uero in multo parum.

Acutum quidem nunc illud inquit, quod audiri poſſit. Senſumq; intelligit, qui ſentiendi vim habeat. Verba vero illa, in paruo multum, eam habent vim, vt indicent, quod celeriter, & per longum interuallum, atq; longo permaneat tempore huiuſmodi, vt exaudiri queat. Quemadmodum & graue in multo parum, dicitur. Quoniam & ſero auditur: & minus pertranſit interuallum: & breuiori tempore permanet. Neq; hæc ita Ariſtoteles literis commendat, vt ſua ex ſententia loqui videatur. Sed aliorum potius ita ſentientium verba ſequitur. Atq; in Timæum ſpectare videtur: qui acuti, grauiſq; ſoni cõcentum fieri voluit: cum acutum præripiat, atq; celerius auditum moueat: atq; a principio quidem vehementius, poſtea autem debilius. Quando qui cum eo concors eſt grauis ſimilis deſinenti, ac iam ceſſanti acuto incidens, lenis, ac minime aſper propter ſimilitudinẽ redditur. Quippe cum acutum primo auditum mouerit, atq; aliquandiu permanſerit: graue vero id poſtea agat. Ariſtoteles vero haud ex veloci, ac tardo, acutum, atq; graue diiudicandum cenſet: ſed proportionem ſeruare vult cum acuto, atq; obtuſo illo, quod in magnitudinibus reperitur: quorum alterum pũgit, alterum impellit. Ita, vt acutum illud, quod in ſonis exiſtit, ingrediatur, ac fere iuxta profunditatem percutiat. Graue fere ſuperius, ac cum aliqua colliſione appareat. Quemadmodum quæ aliis impoſita ſunt, atq; impellunt. Vnde cum & aliorum quoq; philoſophus opinionem recitarit, ait.

ET nequaquam ſane uelox ipſum acutum: quodq; graue tardum. Sed fit huius quidem propter uelocitatem motus huiuſmodi. Illius uero propter tarditatem. Et uidetur proportionem habere, cum acuto circa tactum, atq; obtuſo. Ipſum quidem enim acutum, quaſi pungit. Ipſum autem obtuſum fere impellit: quia mouent: alterum quidem in paruo: alterum uero in multo. Quare contingit id quidem uelox, illud autem tardum eſſe.

OCTVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

DE ſono quidem igitur, hac ratione determinatum ſit.

Expoſitio

EXPOSITIO.

Licet enim celeritas acumen consequatur, quemadmodum ex sonis, qui procul fiunt, eluceſcit. Nanq; in iis, qui prope exiſtunt, aut non fit: aut ſenſu illa acuti prænotio comprę hendi non poteſt. Attamen ea diuerſa eſt proprietas: & quæ propriam quandam naturā indicat. Quamuis ergo, celeritas, vt diximus, acumen conſequatur, grauitatem autem tarditas: nequaquam tamen idem dici queunt. Sed huius quidem philoſophus inquit, propter celeritatem huiuſmodi fit motus: hoc eſt, ipſius acuti: qui in paruo tempore multum, & propter celeritatem dixit, hoc eſt, iuxta celeritatem: non autem ſecundum acumen. Illud nanq; in paruo tempore ſenſum mouere, eam habet vim, vt celeritatem, non autem acumen præſtet. Quemadmodum & motus ille, qui in multo tempore parum, tarditatē, non autem grauitatem indicat. Vnde licet grauis, atque acuti huiuſmodi dicamus eſſe motus: haud ita tamen dicemus, vt grauis, atq; acuti reuera eſſe intelligamus: ſed velocis potius atq; tardi. Quemadmodum enim acutum, atq; obtuſum, quod in magnitudinibus reperitur: quæ ex figuris huiuſmodi ſunt: ita, vt alterum quidem pungat, alterum autem impellat: quia id quidem in paruo tempore mouet: illud autem in multo: ideo alterum contingit eſſe velox, alterum autem eſſe tardum. Secundum accidens nanq; quodam pacto, & non ſecundum ſe, velox ipſum acutum, aut tardum quod obtuſum. Ita & quod in ſonis acutum, & graue, non quatenus talia: ſed quia quadam ratione conſequitur, acutum, atq; tardum obtinent. Atq; hæc quidem eorū quæ propoſita ſunt, exiſtit ſententia. Quantū aūt ad ipſa ſpectat Ariſtotelis verba, ſi haud ita ſcriptio ſeſe habeat, vt dicat. Non ſane velox acutū. Sed ita. Sane velox acutū. Ita interpretāda erit, vt eū inſtare dicamus aduerſus id quod pſpicue falſum. Quod illud eſt, quod velox, atq; acutū idē eſſe aſſerit: & quod graue, atq; tardū. Quorū etiā cauſa ſua ex ſententia philoſophus diiudicat qua ratiōe fiat, acuti quidem motus in paruo: grauis vero in multo. Quoniam non ſine celeritate, atq; tarditate hi motus fiunt. Rurſumq; in illis verbis. Ipſum quidem enim acutum quaſi pungit: obtuſum vero fere impellit: quia mouent, alterum quidem in paruo, alterum vero in multo. deeſt, alterum quidem eſt velox, alterum vero tardum. Eo nanq; pacto recte infertur illud. Quare contingit, ac fere ſecundum accidens dictum fuit, quod quidem acutum, vt ſit velox, quod autem obtuſum, tardum.

VOX autem ſonus quidam eſt animati. Ex inanimis enim nullum uocem emittit. Sed per ſimilitudinem dicitur uocem emittere. ut tibia, & lyra. & quæcunq; alia ex iis, quæ carent anima: extenſionem habent, & cantum, & locutionem. Videtur enim quod & uox hæc habeat. Multa autem animalium non habēt uocem, ut quæ ſine ſanguine ſunt. & ex iis, quæ cum ſanguine piſces, atq; id iure, atq; æque.

Vox ſpecies quædam ſoni eſt: quæ in aliis reperitur animalibus, atq; in eo, quod ratione vtitur, atq; hoc pacto vna eſt, & tanquam ea quæ ſignificandi vim habeat: quæ cū multis commertium habere poſſit. Vnde & propriam quoq; rationem aſſecuta eſt. Illud autē perſpicuum eſt, quod in iis ſolis vox reperitur, quæ cum anima ſint: & quod tibia, atq; lyra per ſimilitudinem vocem emittere dicuntur: quia extenſionem habet. Quæ quidem extēſio eam indicat vocē, quæ haud ſine interuallo a muſicis eſſe dicitur. Qualis quæ canit, quoq; extat: quam muſica imitantur inſtrumenta. Extenſionem quidem igitur in voce, cā tus imitatur. Sonorum autem interuallum locutio illa, quæ ſyllabis diſtincta eſt. Illud vero perſpicuum eſt, multa animalium vocem non emittere: quæ illa ſunt, quæ nō reſpirāt.

SIQVIDEM aeris motus eſt ſonus. Sed qui dicuntur uocem edere, ut qui in Acheloo piſces ſonant branchiis, aut aliquo alio huiuſmodi.

OCTVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

VOX autem eſt animalis ſonus: & non quacunq; particula. Sed quoniam omne ſonat uerberante aliquo, & aliquid, & in aliquo. Id autem eſt aer. Iure uocem emittent ea ſola, quæcunq; recipiunt aerem.

EXPOSITIO.

Cum aeris dixit, eius intellexit, qui expirando emittitur. Neq; ſonum omnem accepit: quãdoquidem & in aqua quoq; fit: ſed eum qui vocem emittere valeat. Ac cum infert. Sed quoniam omne ſonat verberante aliquo, & aliquid, & in aliquo. Id autem eſt aer. Illud in aliquo illud profecto in primis ſignificat, quod ſoni emittendi vim habeat: & quo in voce opus eſt. Quoniam vel aqua ſoni perferendi vim habet, licet minus q̃ aer. Propter quam ergo cauſam? nonne & in aqua vox auditur? Nunquid quoniam ex imaginatione vox fit, quæ ſignificandi vim obtineat? Illud autem ſignificare, ad eam ſpectat vitam, quæ perfectior ſit: quæq; cum aliis commertium habere poſſit: & quæ imaginationem directam obtineat. Ita, vt inſtrumentis vtatur calidioribus, atq; purioribus in requiſitis elemẽtis. Quapropter & cor habent, quæ vocem emittunt: & in aere viuunt. At & vox, quippe quæ præſtantiſsima in ſonis ſit: quia a perfectiori vita procedit: & in eo in primis fit, quod ad eam perferendam aptum ſit.

Interrogatio. Reſponſum

IAM enim reſpirato utitur natura ad duo opera, quemadmodum lingua, ad guſtum, & locutionem. Ex quibus guſtus quidem neceſſarius. Vnde & pluribus ineſt. Interpretatio uero cauſa ipſius bene. Ita & ſpiritu ad eam caliditatem, quæ intus. ut neceſſarium. Cauſa uero in aliis dicetur.

Neceſſario quidẽ propter refrigerationem calidi, quod circa cor, atq; propter excitationẽ eo natura vtitur, quo ventilet. Nam ſi immobile permaneat, extinguitur. Ac niſi refrigeretur interficit animal caloris abundantia. Præterea & eo etiam utitur, quo fuliginoſas illas feces ibi conſtitutas educat. Hæc quidem igitur omnia licet plura ſint opera, communem habentia neceſsitatem, tanquam vnum propter id dicuntur, & ab Ariſtotele tradita ſunt, tũ in tractatione de animalium particulis, tum in eo libello, quem de reſpiratione conſcripſit, atque inſcripſit.

ET AD uocem, quo inſit ipſum bene.

OCTVAGESIMANONA PARTICVLA.

INSTRVMENTVM autem reſpirationi guttur.

EXPOSITIO.

Platonice & ipſe quoq; Ariſtoteles noſter, quæ ad ipſum eſſe ſpectant, diiudicat. In quibus & neceſsitas eorum quæ ad ipſum bene attinent, conſideratur. Cuiuſmodi vox ſimpliciter eſt: quæ quo ſignificandi vim habeat, atq; nos inter nos verſari poſsimus, facta fuit. Ipſaq; adhuc magis interpretatio: quæ & ſermonem quoq; perficit. Quod nanq; guſtus ſit neceſſarius perſpicuum eſt: cum nutritionẽ adiuuet. Ex qua ipſum poſtea eſſe animalibus adeſt. Inſtrumentum autem reſpirationi guttur: aut arteria, quæ aſpera dicitur: per quam egreditur, atq; ingreditur aer, quem reſpiramus. Qui tamen haud ipſam omnino relinquit. Quoniam non eodem modo hæc, quo aliæ arteriæ comprimitur, atq; concidit. Cum id prohibeat eius durities, atq; craſsities. Ita, vt ſemper in ſe aerem retineat. Quo ab illo aere, qui expirando emittitur: quiq; detentus aliquãdiu fuit: quiq; collectim eiicitur, nõ ſolum in voce percutiatur arteria: ſed & qui in ipſa continetur aer.

CVIVS autem cauſa, & particula eſt hæc pulmo.

Quod quidem primo, atq; magis proprie cuius cauſa cor. Proximus tamen arteriæ finis, pulmo eſt. Quoniam is proxime reſpiratione eget. Primo nanq; cor. Id enim calidiſsimum eſt. Atq; inde pulmo, propter propinquitatem, quam cum illo habet.

HAC enim particula plurimum habent calorem pedibus gradientia, quam alia. Indiget autem reſpiratione, & qui circa cor locus primus. Quapropter neceſſariũ, cum quod intus reſpirat, ingredi aerem.

Nonageſima

NONAGESIMA PARTICVLA.

QVARE percussio respirati aeris ab anima, quæ in his particulis ad uocalem arteriam, uox est. Haud enim omnis animalis sonus uox, quēadmodum dicebamus.

EXPOSITIO.

Per ea, quæ pedibus gradiuntur, illa philosophus intelligit, quæ haud aquatilia sint. Ex quibus quæ respirant, aliis pedibus utentibus calidiora existunt. Hac particula, pulmone scilicet: atq; adhuc magis corde. Quippe quæ magis excitata sint propter uitæ perfectionem. Quare percussio respirati aeris ab anima fit, quæ in his particulis reperitur. Quoniā enim omnia ab aliquo mouentur: ab anima q; uiuaces fiunt motus: quo ipsum mouens philosophus indicaret, exacte ab anima dixit. Neq; quemadmodum Alexander, qui secundum animam interpretandum censuit. Illud nanq;, a quo, eam habet uim, ut quod mouere possit, indicet. Quemadmodum illud, iuxta quod, quod a forma stet, atq; formale dicatur, manifestat. Ipsius quidem animæ aliud quidem est iuxta quod: tanquam id, quod uiuacis instrumenti determinandi uim habeat. Quod etiam solum Alexander respicit. Aliud uero, ut id a quo. Quod instrumento utitur. Quod uiuens quoq; corpus mouet. Anima itaque, quæ in illis existit instrumenti particulis, quæ respirandi uim habent, hoc est, quæ ipsis utitur: cum per has se parumper cohibuerit, atq; collectim inspiratum aerem mouerit: atq; per hunc aerem in arteria permanentem percusserit: & ipsam quoque arteriam: ex appetitione quadam quæ significandi uim habet, uocem format. Quæ id ipsum, hoc est, huiusmodi percussio est.

LICET enim lingua sonare, quemadmodum tussientes. Sed oportet animatum esse ipsum uerberans, & cum imaginatione aliqua. Significandi nanq; uim habens quidā sonus est uox. Et non respirati aeris, quēadmodum tussis. Sed hoc uerberat.

Quod quidem sonus, qui in lingua reperitur, non sit uox: quemadmodum neq; qui in manibus, perspicuum est. Tussis nanq; uideri posset uox, quoniam in arteria a respirato spiritu fit. Nequaquam tamen est. Quoniam tussis uiolentus est occursus respirati aeris ad ipsam arteriam, non autem secundum appetitionem. Vox uero ex appetitione fit. & ita, ut haud sine medio aer ille respiratus arteriam percutiat. Quod contingit in tussi. Quoniā uel pituitam in ipsam deuenientem, aut aliud quoddam solidum, aut humidū natura eiicere nititur. Sed per aerem in illa arteria existētem id agit. Ita, ut aer qui respiratur detentus, qui postea collectim aerem intus existentem uerberet, per eum q; arteriam percutiat. Atq; id philosophus indicat dicens, quod sonus uox est, non respirati aeris, quemadmodū tussis. Qui quidem aer absq; ullo medio arteriam percutiat. Sed hoc profecto, qui respiratur, animatum uerberat. Id nanq; illud animatum dictum fuit.

EVM qui in arteria ad ipsam.

Ita, ut contineatur, qui a collecto motu eius, qui respiratur, mouetur: atq; arteriæ uehementius occurrat.

INDITIVM autem quod non possunt uocem emittere quæ respirāt: neq; quæ expirant: sed quæ continent. Mouet nanq; id, qui continet.

NONAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

MANIFESTVM nanq; & propter quā causam pisces sine uoce. Neq; enim habēt guttur. Hanc aūt particulā non habēt, quia nō recipiunt aerē, neq; respirāt. Sed qui dicūt, qđ uocē emittūt pisces, aberrant. Propter quā igitur causam, alia est ratio.

EXPOSITIO.

Mouet quidem enim qui respirat, cum animatus sit, atq; moueatur ab anima, utaturq; aere illo, qui respiratur, non ad ex inspirandum, aut expirandum: sed cohibēdo. Quo hoc

collectim aerem illum in arteria existentem verberet: atq; eum arteriæ illidat. Vnde nequaquam fieri potest, vt simul aliquis respiret, atq; vocem emittat. Siquidem vox in retentione respirati aeris collocata est: atq; illo eius motu, qui in ipsa arteria fit. Respiratio vero in decursu aut extra, aut intra ad pulmonem posita est. De piscibus vero tanquam non respirantibus, in tractationem de particulis animalium, cum ibi de iis philosophus locuturus sit, reiicit. Aqua nanq; pro aere, & branchiis loco pulmonis, ad id calidi refrigerandum, quod circa cor, existit, vtuntur.

NONAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

DE ODORE autē, & odorabili, minus facile determinari potest, q̄ de eis, quæ dicta sunt. Neq; enim dilucidum, quale quid est odor: ita, ut sonus, aut lumen, aut color. Causa uero, quoniam sensum hunc non habemus exactum.

EXPOSITIO.

Quod neq; exactus, neq; certus, atq; perfecte elaboratus ille nobis sensus, qui odorādi vim habeat, adsit, indicio est, cum haud manifeste subiectum cognoscat, quidnam sit: eo sane excepto, quod quatenus odorabile illud percipit. Neq; enim tanquam visibile solum, sed & tanquam lumen, aut & tanquam colorem, & huius quoq; species visus cognoscit. Auditusq;, & tanquam sonum, & eius quoq; diuersitates. At haud ea ratione sensus qui odorandi vim habet, quid subiectum sit cognoscit: licet neq; omnino etiam illud ignoret. Siquidem alius quidem dulcis est. Alius vero acerbus, aut austerus, aut acutus. Sed haud manifeste dignoscit. Ita, vt id ex nostro quoq; præcipue sensu cognoscamus. Patetq; præterea id, quia neq; nomen cōmuni alicui odorabili positum fuit: quod subiectam eius naturam indicet. Atq; adeo particularia eius omnia nomina ex gustabilibus sumpta fuere. Inde nanq; & dulce, & acerbum, & amara venere. Verum haud ita in iis sese res habet, vt in tangibilibus: vbi licet commune quod esse potest sine nomine sit, propter eorum secūdum genus diuersitatem: haud tamē ex alio vllo sensu magis particularia nomina accepta fuere. At & id quoq; huius rei indicium esse potest: quod nullus odorabilia percipit, sine molestia, aut suauitate. Quod haud ita intelligendum est, vt horum tantum odoratum esse dicamus, vt excogitauit Plutarchus. Nanq; quod acerbum, aut dulce potius sit, comprehēdimus. Neque quod consimili modo cum gustu sese habeat, quemadmodum voluit Themistius. Gustus nanq; forsan humores quosdam absq; omni voluptate, atq; dolore percipit. In quibusq; quod suaue, aut molestum consequitur: quod iudicandi vim habet potius in iis qui secundum naturam gustant, valet: q̄ quod cum voluptate, & dolore nō sine affectione placet, aut refellitur. Odoratus vero multo magis prope id collocatur q̄ prope illud quod eam habet vim, vt quæ cum voluptate, aut dolore existunt, diiudicet. Nunquid igitur homo in causa est cum difficultate odorans: quippe qui sensus huius haud exacte particeps sit? Vnde & a multis in hoc animalibus superatur. Aut, vt Platoni videtur, ipsius olfactus natura huiusmodi est. Quoniam & odorabile ipsum semigenitum est. Neque in elementis reperitur: sed in iis, quæ in medio collocata sunt. Vbi haud illud colligendū est, quod formæ odorabilium imperfectæ sint. Omnis nanq; forma perfecta est. atq; adeo ipsa dicenda perfectio. Sed ita potius intelligere debemus, vt quæ has formas receperint, cōposita sint, non autem simplicia, & non sine mutatione subsistant. Aristoteles nāque in mixtione sapidi sicci cum communi aquæ, atque aeris humido, odorabile statuit. Nunquid autem, & quæ dictæ fuere sententiæ ambæ veræ sunt? Nanque & ipsum odorabile haud simplex est. Et ob hanc quoque causam odoratus nequaquam ita, vt alii sensus exiftit exactus. Homoque deterius hunc sensum participat: quam alia permulta faciant animalia. At quoniam ex altera tantum parte causam philosophus attulit, propter quam minus facile odor, atque odorabile determinari possint: quia inquā sensum hunc nō habeamus adeo exactum: suspicionem nonnullis mouet, quod id tantum ipse causam sustinere credat. In eo vero, quod quale quid est odor, dixit. Minime odorem vna cum odorabili interpretari debemus. Sed vna cum odore, & odorabile quoque sumptum fuisse existimādum. Quādoquidem

Forma potius pfectio q̄ perfecta.

doquidem odor ſecundū actum, ipſum odorabile quoq; eſt. Quo & illud, vt ſonus, aut lumen, aut color conuenienter inferatur: quod q; audibile, atq; viſibile cum odorabili.

SED peiorem multis animalibus. Difficulter nanq; homo odoratur.

Difficulter quidem homo odoratur: quoniam hoc in ſenſu vna cum affectionibus mixtum eſt iudicium. Vel aliorum ita q; ſenſuum reſpectu difficilius, atq; imbecillius ſuum munus exercet. Aliis autem animalibus peius. Haud quia de odorabilibus formis illa præſtantius obtineant iudicium. Id nanq; illis vel in quocunq; ſenſu euenire non poteſt. Atq; adeo in quocunq; ſenſu in illis confuſio iudicii cum ipſis affectionibus multo maior eſt, q̄ quo ad ipſum pertinet odorem in nobis reperiatur. Cæterum illa nos ſuperant, quia longius percipiunt quod odorabile ſit. quemadmodum vultures, & inſecta. & quia ex parua qualibet occaſione in odorem commouentur. Quemadmodum ea odora canum vis facit. Quæ vel veſtigium odore concitata, feras indagando conſequitur.

ET NVLLVM ſentit odorabilium ſine moleſto, aut ſuaui. quippe cum haud ſit exactum ſenſorium.

Non quia hæc ſola ſint, ſuaue inquam, atq; moleſtum. Sed quia alia hæc ſemper conſequuntur. Neq; quia vna cum aliis odorabilium differentiis, & quod in ipſis ſuaue, atque moleſtum diiudicat. Neq; enim hanc ob cauſam ſenſorium ipſum tanquam minime exactum refelliſſet. Contra nanq; id potius exactæ cognitionis ſignum eſſet. Sed illud philoſophus dicit quod vehementiori indiget affectione, & quæ maiorem vim in percutiendo habeat: quia inſtrumentum quod in nobis odorando vim habet, haud admodum ad iudicādum exactum, atq; certum eſt. Quo ad cognitionem excitetur. Ita, vt propter vehementiā ſuauis, aut moleſta reddatur affectio. Et propter hanc cauſam non ſine moleſto, aut ſuaui, ab Ariſtotele dictum fuit. Hoc eſt, nō ſine eo, quod eſt, moleſtia, aut voluptate affici: cū vehementiori ſenſorium indigeat affectione tanquam id quod haud exactum ſit. Id autē ei euenit, quia paratum non eſt ad facilem in iudicando actionem. Vnde neq; purum, afferre iudicium valet: cum ab affectione impediatur. Oportet quidē enim omnino aliquid ſenſorium a ſenſibili pati. Sed affectio quæ vehementior ſit actioni iudicandi vim habenti impedimento eſt. Secundum naturam ita q; in nobis eſt ſenſorium id, quod odorādi vim habet, quod vehementiori indiget affectione. Quemadmodum omnino indicat illud ſuauitate, aut dolore affici. Vnde & iure imbecillius, atq; obſcurius aliorum noſtrorum ſenſuum reſpectu dicitur obtinere iudicium.

NONAGESIMATERTIA PARTICVLA.

AEQVVM autem hoc pacto, & quæ duros habent oculos, colores ſentire.

EXPOSITIO.

Duros habente oculos non exacti ſenſorii exemplo vtitur. Nanq; in iis, quæ duros habent oculos, vt in cancro, ſenſorium quod intuendi vim habet, maiore, atq; vehementiore indiget affectione.

ET HAVD permanifeſtas ipſis eſſe differentias colorum. præterquam trepido atq; intrepido. Ita uero & odores hominum genus.

Haud quia aīalia iſta, quod trepidū, atq; intrepidum, nequaq̄ aūt colorē, aut differētias in colore exiſtētes ſentiāt. Neq; enim licet nullā ob cauſam timore affici, quēadmodū neq; etiam lætari. Sin aūt aliqñ quidem timent: aliqñ aūt contrario afficiūtur modo: profecto patet, quod & diuerſa quoq; viſilia ſentiunt. Colores aūt intuētur. Verū qđ neq; alia eos percipiāt ratione, niſi quia pcutiantur, aut lædātur, perſpicuū iā eſt. Ex quibus alterū quidē trepidū, alterū aūt intrepidū philoſophus appellat. Quia vis illa eorū aīaliū, quæ intuendi facultatē obtinet, nō mouetur, niſi vehemēter afficiatur. Atq; id illud īdicat, quod dictū fuit, præterq̄ trepido, & intrepido. Pro eo, qđ eſt, niſi timeant, & non timeant. Ita, vt illud intrepidum, haud negando pronuntiatū fuerit: ſed affectionē trepido cōtrarium indicare queat.

VIDETVR quidem enim proportionem habere cum guſtu. Et eodem modo ſpecies ſaporum cum iis, quæ odoris.

NONAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SED certiorem habemus guſtum: quia ipſe eſt tactus quidam. Hunc autem habet ſenſum homo certiſsimum. In aliis quidem enim ſuperatur multum ab animalibus. At quo ad tactum pertinet, multo aliis præſtantius iudicat.

EXPOSITIO.

Quemadmodum enim ſeſe olfactus ad odorabilia habet, ita & guſtus ad guſtabilia. Ordineq; mutato, vt olfactus ad guſtum, ita odorabilia, ad guſtabilia. Hæc autem affinitatem, atq; conuenientiam inter ſeſe ſeruant. Siquidē guſtabile ſapor eſt: qui eſt ſicci in aqua purgatio. Odorabile vero, ablutio illa ſapidi ſicci in communi aquæ, atq; aeris humido. Affinitas itaq;, atq; conueniētia olfactui cum guſtu eſt: quippe qui quod cognatum, atq; proximum ſit, percipiendi vim habeat. Sed certa cognitione guſtus olfactui præſtat: quia & is quoq; tactus quidam eſt. Tactum vero homo exactiſsimum habet: tū propter cutis tenuitatem, tum propter præclaram totius corporis temperationem.

Saporqd?

VNDE & prudentiſsimum eſt animalium. Inditium autem id, & in genere animalium ex ſenſorio hoc, eſſe ingenioſos, & tardos. ex alio autem nullo. Qui quidē enim duricarnes, tardi ingenio. Qui uero mollicarnes ingenioſi.

Ita, vt totum humanum inſtrumentum propter tēperationem ſufficiens ſit ad receptionem vitæ illius, quæ cum prudentia agat. Prudentiſsimum autem dictum fuit: aut quia & alia quoq; animalia, quæcunq; directam, atq; paratam habent imaginationem cōmunio ri quadam ratione, prudentiam participare dicantur, quemadmodum & equi quoq; virtutem dicimus. Aut quia etiam humanum ſolum animal, & prudētiam, & omnem etiam præſtantiam, inter ea, quæ ortui obnoxia ſunt, aſſequatur.

NONAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

EST autem quemadmodum ſapor is quidem dulcis, ille autem amarus: ita & odores. Sed alia quidem habent ex proportione odorem, & ſaporem. alia uero cōtra. Dico autem exempli gratia, dulcem odorem, & dulcem ſaporem. Eodem præterea modo & acerbus, & auſterus, & acutus, & pinguis eſt odor. Sed quemadmodum diximus, quia non admodum perſpicui ſunt odores, quemadmodum ſapores ab his ſumpta fuere nomina, ex ſimilitudine rerum. Dulcis quidem enim a croco, & melle. Acutus a porro, & iis, quæ huiuſmodi. Eodemq; modo & in aliis.

NONAGESIMASEXTA PARTICVLA.

PRATEREA uero quemadmodum auditus, & unuſquiſq; ſenſuum. Is quidē audibilis, & inaudibilis. Illeq; uiſibilis, & inuiſibilis. & odoratus odorabilis, atq; inodorabilis. Inodorabile autem, aliud quidem iuxta id, quod omnino impoſsibile habere odorem. Aliud uero, quod paruum habet, & imbecillem. Eodemq; modo, & quod inguſtabile dicitur.

NONAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

EST autem & odoratus per medium. exempli gratia, aerem, aut aquam. Nanq; aquatilia uidentur odorem ſentire. Conſimilique modo & ſanguinem habentia, & quæ ſine ſanguine ſunt. Quemadmodum & quæ in aere. Nanq; ex his quædā procul currunt ad nutritionem cum odorandi uim habeant.

Nonageſima

NONAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

VNDE & dubium uidetur, utrum omnia quidem eodem modo odorentur. Homo uero respirans quidem, non respirans autem, sed expirans, aut continens spiritum, non odoratur. neq; procul, neq; prope. Neq; si in naso intus positum fuerit. Et id quidem cum supra ipsum ponatur sensorium, insensibile esse, commune omniũ. Sed q; sine ipso respirare non sentiat, proprium in hoibus. Patet aũt experientibus.

NONAGESIMANONA PARTICVLA.

QVARE quæ sine sanguine sunt, quandoquidem non respirant, alterum aliquẽ sensum habere debent, præter eos, qui dicti sunt. Sed impossibile siquidem odorem sentiunt. Ipsius nanq; odorabilis sensus, & male, & bene olentis odoratus est. Præterea uero & corrumpi uidentur a uehementibus odoribus, a quibus etiam homo. ut bituminis, & sulfuris, & eorum, quæ huiusmodi. Odorari quidem igitur necessariũ: sed non respirantia.

CENTESIMA PARTICVLA.

VIDETVR autem hominibus diuersum esse sensorium id, ab iis, quæ aliorum animalium. Quemadmodum oculi ab iis, qui duros habent oculos. Hi quidẽ enim habent sepimentum, & tanquam uelamen, palpebras. Quas non mouens, neq; extrahens non cernit. Quæ uero duros habent oculos, nihil possident huiusmodi. Sed confestim cernunt, quæ fiunt in pellucido. Hoc itaq; pacto & odorandi uim habens sensorium aliis quidem intectum est, quemadmodum oculus. Aerem uero recipientibus habet tegumentum, quod respirantibus detegitur, dum dilatantur uenæ, atq; pori. Et propter id respirantia non odorãtur in humido. Necesse nanq; est odorari respirantia. Id autem facere in humido impossibile.

EXPOSITIO.

A saporibus quidem & ad odores traducta fuerunt uocabula, dulce, acerbum, & similia. Neq; temere. Propter quã ergo causam neq; a tangibilibus, neq; ab audibilibus? Quãdoquidem, ut iam dictum fuit, & quo ad ipsas res pertinet, affinitas est odorabilibus cum gustabilibus: ob illam sapidi ablutionem in communi aeris, atq; aquæ humido. Propter quid igitur non semper dulcem saporem dulcis consequitur odor? Quoniam interdum diuertit sapidum illud, quod abluitur. Diuerticulum autem id in aliquid quod eiusdem sit generis defert: aut in propriam rei priuationem. Dulcis quidem sapor croci, & mellis ad dulcem odorem ex gustu defert: qui in melle quidem cõuenit, in croco autem nequaquã. Sed diuersus iã est gustus qui haud hmõi existit, ab odore dulci existẽte. Q; aũt traducta, ac ex similitudine allata, nõ aũt primo in odorabilibus posita fuerint noía, eã habet vim, vt ipropria esse manifestet. Quis nanq; proprie dulcẽ, aut acutũ diceret odorẽ, nisi ad ea, quæ sese gustui offerũt, referret? Q; vero & odoratus, quod inodorabile oino ꝓcipiat, ex eo, q; non sentiat: neq; illud tantum quod vehementer sit inodorabile: sed & quod imbecilliter oleat, perspicuum. At & quod per aliquod medium, quod extra sit, & quod odorabilis actionem ad sensum perducat, permanifestũ est. Quodq; id aeris, atq; aquæ cõe sit: quod sane διὰ μέσου, hoc est, uim perferendi odoris habens, dicimus. Nanq; pisces odorantur in aqua, ad escam accurrentes, quemadmodum & quæ in aere. Non solũ enim in aqua, quæ sanguine careãt, reperiuntur: vt quæ testaceam cutim ibi habẽt: sed & in aere, ut quæ insecta dicuntur. Quæ uel non respirantia odorantur. Cum tamen aptus sit homo odorari, & quæcunq; odorandi uim habent, dum spiritum non attrahunt. Nam cum expirat, aut spiritum cohibet, non odoratur. Quo itaq; pacto illa licet neq; apta sint, respirãt? Forsan náq; alicui uideri posset, quod quia non respirent, neq; etiam odorentur: sed aliquo alio sensu, quæ odorabilia sunt, comprehendant. Quod nanq; percipiant, perspicuũ est, ex eo, quod

Dubitatio. Responsum

Dubitatio. Responsum

Dubitatio.

ad mel accedunt apes, vel longo interpoſito ſpatio, cum ſiccum ſit. Inſectaq; præterea iſta intereunt, atq; corrumpuntur propter fœtidos, atq; graueis odores. Sin autem odorantur, patet, quod ex ea, id poſſident vi, quæ odorandi facultatem habet. Id nanque odoratus eſt: ſenſus qui percipiendorum odorum vim habeat. Et illa itaq; aere vtuntur, qui odoris perferendi poteſtatem obtinet: quiq; actionem odorabilis perducit: vtuntur inquam aere, nõ tanquam eo, qui reſpirando trahatur: ſed tanquam eo, qui odoris perferendi vim habeat: quiq; hac ratione ad ſenſorium vſq; illud, quod odorandi vim aſſecutum ſit, accedat. Hoc enim pacto, & nos quoq; ipſo vtentes odoramur: vtentes inquam ipſo, tanquam odorem perferente, qui ad ſenſorium vſq; peruenĭat. Sed nos quo quidem accedat: adaperire tandem volumus: quæ hactenus acceſſui illi impedimento erant. Et adaperiẽdo aere, tanquã eo, qui reſpirando ducatur, vtimur. Illa vero inſecta nihil huiuſmodi adapertione indigẽt: quippe quæ quod impedimento ſit, non habeant. Hac autem ratione & oculi eorum, quæ duros ipſos habent, cum palpebris haud comprimantur, confeſtim intuentur, licet nihil moueant. Illud q; præterea dilucidum eſt: quod quæ reſpirant, in aqua odorari non queunt: quoniam neq; iis ibi reſpirare, conceſſum eſt.

Odoratusq; Reſponſum

EST autem odor ſicci: quemadmodum ſapor humidi. Odorandi uero uim habens ſenſorium, poteſtate huiuſmodi.

Cum nanq; abluitur ſapidum ſiccum, in eo, quod odoris perferendi vim habeat, odorabile fit, vt & in libro de ſenſu, atq; ſenſibilibus philoſophus dicturus eſt. Guſtabile vero, licet ſiccum ſit, attamen non ſit ſenſibile guſtui ex ſapore: niſi, vt paulo poſt explicabitur, humidum redditum fuerit. Poteſtate autem eſt, quod odorandi vim habet, quale ipſum odorabile dum agit, propeq; ſuiipſius formam collocatũ eſt. Quẽadmodum quilibet quoq; ſenſus prope proprii ſenſibilis formam permanet. Antea vero, q̃ agat, poteſtate eſt.

CENTESIMAPRIMA PARTICVLA.

GVSTABILE uero eſt tangibile quid. Et id in cauſa cur nõ ſit ſenſibile per medium, quod alienum ſit corpus. Neq; enim tactus. Et corpus præterea in quo ſapor, guſtabile in humido, tanquam materia. Id autem tangibile quid.

EXPOSITIO.

Non ſecundum ſe: ſed ſecundum ſubiectum. Secundum ſe quidẽ enim guſtabile, humor. In ſubiecto autem ſaporoſam qualitatẽ reperiri oportet, ſi actu guſtabilis eſſe debet Vnde quod guſtabile, tangibile quoq; ſubiecto eſt: humiditas nanq; tangibilis eſt. Nullũ autem tangibile tactum per aliquod mediũ mouet, quod extra ſit. Licet nanq; per aliquod medium, attamen illud proprium eſt. Quare neq; guſtabile per medium extrinſecus exiſtens, guſtum mouebit. Simul nanq; cum humido mouet. Humidum vero tangibile eſt. Illa vero verba, Neq; enim tactus. Illis reddita fuere, quæ antea poſita fuerant, quæ per medium, quod alienum ſit corpus dicebant. Et corpus præterea in quo ſapor, guſtabile in humido, tanquam materia, Vbi verba ita dirigere oportet. Et corpus, quod ſaporoſæ qualitati, quæ guſtabilis ſit, & in humido omnino reperiatur, ſubiectum, tanquam materia ſubſtratum ſit. Nequaquam enim quemadmodum quod pellucidum non colores, ſed actũ ab iis proficiſcentem recipit: ita & humidum ſaporis ſuſcipit actum: ſed & ipſum quoq; ſaporem. Vt & materia recipit formas, quæ ex ſola illa poſitione cum rebus, quarum recipiẽdarum vim habere dicitur, proportionem obtinet. Quoniam hic quidem tanquã accidens ſapor in humido eſſe dicitur: quippe qui in ipſo conſideat. Ibi vero tanquam formæ in materia: quippe quæ complectantur, atq; fulciant illam in ſeipſis.

QVAPROPTER & ſi in aqua ſimus, ſentiremus iniectum dulce. Non eſſet autem ſenſus nobis per medium: ſed quia mixtum eſt cum humido: quemadmodum in potabili.

Quippe cum haud actum dulcis aqua perducat: quemadmodum aer colorem perfert

actum: sed quia ipsa quoq; aqua dulcedinem patiatur: & tanquam dulcis in sensorium agat. Ideo haud erat, tanquam per medium.

COLOR uero, haud ita cernitur, quia misceatur. neq; fluxionibus.

Mixtio alicuius cum aliquo participationem huiusmodi indicat, quæ patiendi vim habeat. Color autem in aere absq; vlla dissolutione, atq; actu adest. Neq; enim coloratur aer, atq; ita in sensorium agit. Neq; corporatis suiipsius fluxionibus, quæ in sensorium ferantur, coloratum cernitur.

CENTESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVATENVS quidem igitur medio nihil est. Quemadmodum autem color, quod uisibile, ita quod gustabile sapor. Nihil autem facit sensum saporis absq; humiditate. Sed habet actu, aut potestate humiditatem, ut salsum. Facile nanq; ipsum liquefit, atq; linguam liquescere facit.

EXPOSITIO.

Quemadmodum in coloribus, & visu, est aliquid & medium alienũ, quod ipsum existit pellucidum: haud ita in gustu est aliquid medium extra. Vt quidem color sese habet ad visum, ita & sapor ad gustum. Fit autem gustabilis sapor: aut quia iam actu in humido existat: quemadmodum quod dulce ipsius mellis. Aut quia humefieri possit, vbi humefactus fuerit. Dum aut ipse effunditur a caliditate, quæ in ore reperitur, vt succi, ac liquores. Aut illa miscetur humiditate, quæ in ore est, vt piper. Sal vero ipsum dum liquefit ab humido, quod in ore seruatur, diffunditur: atq; linguam inde ipsum quoq; madefaciens mari humiditate miscetur cum ea.

CENTESIMATERTIA PARTICVLA.

QVEMADMODVM autem uisus est eius, quod uisibile, & eius quod inuisibile. Tenebræ nanq; inuisibiles. Iudicat autem & has uisus. Præterea & eius quod admodum lucidum. Nãq; id quoq; inuisibile. Alio uero modo q̃ tenebræ. Eodẽ præterea modo & auditus soni, atq; silentii. Ex quibus alterum quidem audibile. Alterum uero haud audibile. & magni soni, quemadmodum uisus lucidi. Quemadmodum enim paruus sonus inaudibilis modo quodam, & magnus, & uiolentus. Inuisibile autem, aliud quidem omnino dicitur, ut & in aliis, quod impossibile. Aliud uero si aptum, nõ habeat, aut difficulter. Quemadmodũ quod sine pedibus, & quod sine acino. Ita sane & gustus gustabilis, atq; ingustabilis. Id autem quod paruũ, & debilem habet saporem: aut quod gustus corrumpendi uim habeat.

EXPOSITIO.

Persæpe perspicue dictũ fuit, qđ vnusquisq; sensus præcipue, atq; prima illa sua notione proprium sensibile cognoscit. Quia vero non sentit, nisi periculum faciat, cum non appellit, neq; ex sua notione quicquam assequitur, proprii quoq; sensibilis priuationẽ percipit. Verum hanc quidem percipit ex defectu ipsius sensibilis. Cum nõ adsit subiecto illi, qui formæ cognoscendi vim habenti subiicitur. Cognoscit præterea sensus, sensibile illud, qđ immoderate excellit. Quod iure alio modo dicitur insensibile, atque ipsa dicatur priuatio. Oppositio nanq; dicitur modo. Propter formæ scilicet præsentiam, quæ superat, quod sentiẽdi vim habet. Neq; enim potis est ei, quippe cum nimium excellat, quadrare. Et rursum ex eo, quod non quadret, quod eius insensibile est, cognoscit. Hacque ratione visus quod valde lucidum nouit. & auditus fulmen, quod supra omnẽ modum se extollit. Gustusq;, quod gustus corrumpendi vim habet: quodq; eius actionem sua adiunctione debilẽ reddit. Cum quidem igitur insensibile dicamus: illud insensibile intelligimus, quod in subiecto secundum priuationem positum est: quodq; ei sensibili substratum, quod ex prima illa percipitur notione. Cum inquam formam nõ habeat, & vt habeat aptum sit. Aut si qui-

dem habeat, obſcure, atq; imbecilliter: quemadmodum illud ſine pedibus, atq; ſine acino interdum dicimus, vel de iis, quæ perfecte hæc poſſideant. Huiuſmodi igitur inſenſibile cognoſcit proprius vniuſcuiuſq; ſenſus. Quando vero inſenſibile loco negationis intelligimus, vt & vocem dicimus inuiſibilem, haud tunc omnino huiuſmodi ſenſibile proprio cognoſcitur ſenſu. Quandoquidem negatio & in ea quoq; fertur, quæ formæ ſubiecta nõ ſunt. Vnde & ipſe etiam Ariſtoteles in vno inuiſibili, quot dicatur modis permanſit. Quo cuiuſmodi inuiſibile viſus cognoſcat, ſciamus: cuiuſmodiq; nequaquam. Quod nanque cerni non poteſt, quemadmodum ſeſe habet, vox, viſus nulla ratione percipit. Quod vero aptum eſt, licet non habeat, aut obſcure habeat, attamen cognoſcit. Obſcure autem ſeſe habet, quod aut imbecilliter: aut quod eam habet vim, vt propter exceſſum lædat. Sic autẽ guſtus, & quod guſtabile, & quod inguſtabile percipit: haud attamen quod impoſsibile. Vnde id quidem philoſophus dimittit. Diuiditur autem inguſtabile illud, quod ſub ſenſum cadit: quia aut paruum, aut imbecillem habeat ſaporem, aut illam obtineat vim, vt guſtũ corrumpat. Illud autem, paruum, pro eo, quod eſt neq; omnino ex Atticorum cõſuetudine dictum fuit. Cum quod aptum eſt, vt habeat, nõ habeat. Aut quia id notum ex iis, quæ perſæpe dicta fuere iam ſit, nunc de induſtria Ariſtoteles præternittens: illud paruum intelligit, quod obſcurum, atq; debilem. Haud tamen ita loquens, vt idẽ ſignificet. Sed illud, vt mihi perſuadeo, innuẽs, quod guſtum moleſtia afficiat. Quod ipſum quoq; quadam ratione inguſtabile eſt. Quia quo ad ipſum ſpectat, non ſine mœrore guſtus exiſtat. Præter id autem, & quod corrumpendi facultatem habet, exiſtit.

VIDETVR autem eſſe principium quod potabile, & impotabile. Guſtus nanq; quidam utrunq;. Sed alterum quidem improbum, & quod corrumpẽdi guſtus uim habeat: alterum uero ſecundum naturam.

Eſt quidem forma guſtabilis ſapor. Sed quoniam is aut actu, aut poteſtate eſt humidus, ſi ſenſibilis eſſe debeat. Ante id autem quod poteſtate, quod actu exiſtit. Vnde quod actu humidum potabile, idq; iure principium. Appellat autem nunc potabile, ſapidum illud aqueum humidum, & blandum illum ſaporem, qui & in principio apparet. Quo impotabile ſit, vt ex iis manifeſtum eſt, quæ ab ipſo allata fuere, aqueum quidem humidũ: ſed quod ſine ſapore ſit, aut debilem, aut inſuauem ſaporem habeat, aut qui guſtus corrũpendi vim ſecum retineat. Neq; enim principium eſſe poſſet, niſi humidum ſit. Manifeſte autem illud improbum dictum fuit. In quo & quod nequaquam ſapidum, & quod difficulter, & quod inſuauiter comprehendendum fuit. Additum & illud nanq; fuit, quod corrumpendi vim habeat.

EST autem commune tactus, & guſtus ipſum potabile.

Nunc non ſolum quod ab impotabili ſuperius diſtinctum fuit intelligit: ſed quod ambobus commune potius eſt. Nanq; quod hic impotabile commune cum tactu eſt, tanquã humidum. & cum guſtu, quippe quod ex priuatione inguſtabile ſit, aut propter imbecillitatem, aut propter exceſſum.

CENTESIMAQVARTA PARTICVLA.

QVONIAM autem humidum ipſum guſtabile, neceſſe ſenſorium eius, neq; humidum eſſe actu, neq; impoſſibile humefieri. Patitur nanq; aliquid guſtus a guſtabili, quatenus guſtabile. Neceſſarium itaque humefactum eſſe, quod poteſt humefieri dum ſeruatur. Haud humidum autem, quod guſtandi uim habet, ſenſorium. Indiciumq;, quod neque perſicca exiſtens lingua ſentit, neque ualde humida. Ipſe nanque tactus eſt primi humidi. Quemadmodum cum præguſtans aliquis ualidum ſaporem, guſtet alterum. Et ut ægrotantibus amara omnia uidentur: quia lingua plena huiuſmodi humiditate ſentit.

Expoſitio

EXPOSITIO.

Quod quidē ſine ſapore illud ſenſoriū, quod guſtādi vim habeat, eſſe oporteat, manifeſtū iam exiſtit. Quandoquidē proprium guſtus ſenſibile ſapor eſt. Ne igitur ſapor ille, qui inſitus, atq; innatus ſit, aliquid afferat impedimenti, quin alios ſenſus iudicare queat, ſine ſapore ſenſorium ipſum eſſe oportet. Ita vero a ſaporibus affici poſſe debet, vt haud ſua ex ſubſtantia mutetur: ſed dum ſeruatur, atq; permanet, qualitatis illius particeps fiat. Ariſtoteles autem ne humidū quidem eſſe vult. Quoniam licet, haud humidi, quatenus humidi percipiendi vim guſtus obtineat: nequaquam tamen id abſq; humiditate agit. At ægrotatio quoq; eſſe ducitur linguæ ſiccitas? Ideo & ſecundum naturam quādam quoq; humiditatem habere debet, quamuis ſine ſapore: at tantam, vt haud quia aqua abūdet accedendo ſapidum illud humidum a ſuo munere remoueat. Nanq; & ſiccitas cum accedēte illa humiditate pugnans non permittit ſenſorium affici, atq; pati. Illudq; ſenſorium affici, ſaporē iudicare, qui in tangibili exiſtit, eſt. Vnde neq; quæ perſicca exiſtit lingua, neq; quæ valde humida facile ſentit. In primiſq; ſi ſapida humiditas illa, quæ in ipſa reperitur, ſit. Vt in iis accidit, qui regio morbo laborāt: aut in iis, qui aliud aliquod ſapidum antea guſtauerunt. Ipſe nanq; tactus eſt primi humidi. Quandoquidem haud per aliquod mediū, ſed ipſam iam lingua tangens a guſtabili patitur. Si itaq; quod circa ipſam reperitur humidum plus ſit, huius tāquam proximi tactus eſt. Ita, vt primum illud, quo Ariſtoteles vſus eſt, eam habeat vim, vt quod proximum ſignificet: aut humidū illud ſapidum, quod præexiſtit. Quemadmodum in iis apparet, qui ſapidum quippiam præguſtarint.

Obiectio. Reſponſum

CENTESIMAQVINTA PARTICVLA.

SPECIES autem ſaporum, quemadmodum & in coloribus, ſimplices quidem contrariæ. Dulce, & amarum. Iunctæ uero cum hac quidem pingue: cum illa autem ſalſum. At inter has acerbum, & auſterum, & acre, & acutum. Fere enim hæ uidētur eſſe differentiæ ſaporum. Quare quod guſtandi uim habet, eſt, quod poteſtate huiuſmodi. Guſtabile uero quod eam habet uim, ut actu id efficiat.

EXPOSITIO.

Quemadmodum in coloribus extrema ſunt album, & nigrum, alia vero inter hæc media. Ita in ſaporibus extremi dulcis, & amarus. Reliqui autem in medio conſtituti. Et extremi quidem ſimplices, quippe qui haud inter ſeſe mixti ſunt. Medii vero ex extremis mixti. Haud tamen tanquam ex illis commixti. Nanq; & ipſi ſimpliciter ſubſiſtūt. Sed propter ſocietatem quam cum vtroq; ex extremis habent, mixti interdum, vel mutuo dicūtur. Alii quidem igitur ſecundum formam inter ſeſe diuerſi. Acris vero auſteri intenſio eſſe videtur. Saporum itaq; formæ nequaquam comprehendi poſſunt. Sed omnes in has tāquam manifeſtiores reducere nituntur. Quapropter recte dictum fuit, Fere tot videri eſſe differētias. At cum dixerit philoſophus quid guſtabile ſit: quod guſtandi vim habeat: de quo etiā propoſuit ſe loqui velle: quod poteſtate huiuſmodi eſſe inquit. Quandoquidem cognitio quæ actu eſt, eo definitur, quod cognoſcitur: & prope eius formam permanet. Afficitur q; profecto inſtrumētū: atq; affici cogit ipſum guſtabile: quia id in inſtrumētū aliquid agat.

CENTESIMASEXTA PARTICVLA.

DE TANGIBILI autem, & tactu eadem ratio.

EXPOSITIO.

Quoniam quemadmodum in aliis ex eo, quod cognoſci poſſet, illius generis cognitionem contemplabatur: ita & nunc ex tangibili, quid ipſe ſit tactus, determinat. Duas attamē de eo dubitationes proponens. Quarum altera eſt, vtrū vnus ſit ſenſus, qui tangendi vim habeat, an plures. Quoniam & tangibilia quoq; plura ſunt: & diuerſorum generum eſſe videntur: atq; plurimas habent contrarietates. Altera vero dubitatio eſt: vtrum huius ſenſus ſenſorium, & quod ſenſui vim tangendi habenti ſubiicitur inſtrumentum primo, in iis animalibus, quæ ſanguinem habent, caro ſit: & in iis, quæ ſine ſanguine ſunt: quod ca

ni ex proportione reſpondet. Vel hæc quidem media ſunt: quemadmodum in primis illis tribus ſenſibus aer. Senſorium vero alterum quid. Atq; ita ipſe quoq; Ariſtoteles diiudicare videtur, primum inquam tactus ſenſorium, neq; carnem, neq; quod carni ex proportione reſpõdet, eſſe. Verum vt & ipſe in libro de ſenſu inquit, prope cor, & tactus, & guſtus collocati ſunt. Licet tum caro, tum nerui ſentiendi vim habeant, ſed haud primo. Id quod philoſophus inueſtigans, carnem ita deſcribit, vt nequaquam eam ſentiendi vim habere ſignificet: ſed mediis potius, hoc eſt, aeri, & aquæ ex proportione indicet, reſpondere. Declarat igitur ſermonem concludens, & tangibiles quidem eſſe dicens corporis differẽtias, quatenus corpus exiſtit. Quod vero illarum ſentiendarum vim obtinet, illud eſt, quod tãgere poteſt, & in quo ſenſus, qui tactus dicitur, primo ineſt. Quæ huiuſmodi particula poteſtate eſt. Quod illi primo adiecit. Quo pateat de quo quærat tangendi vim habente ſenſorio: vbiq; ipſum ſtatuendum ſit. & in quod ſpectans haud ſane cõcedebat philoſophus carnem eſſe ſenſorium. Ita vt primo cor tactus, atq; guſtus ſit ſenſorium. Caro vero cordis reſpectu eorum quæ media dicuntur, rationem ſubeat. At & ipſa quoq; ſentiendi vim habeat, licet ſecundo loco, id ei tribuatur. Id quod & ipſe quoq; Ariſtoteles aperte indicat: qui inſitum, atq; innatum, non autem alienum medium eſſe vult. Innata nanque medietas, & haud aliunde accerſita, cum ea vita cognationem habet, quæ principatum obtinet. At quá ob cauſam dicere aliquis poſſet, nonne & oſſa ſentiendi vim habent, cũ innata ſint? Quandoquidem reſpondebo neq; mediorum rationem ſenſus ipſius reſpectu ſeruant: quippe quæ ex vegetante vita innata ſint. Hac itaq; ratione ſecunda quæſtio determinatur. Quod vero antea in medium adductum fuit, nunquid plures eorum tangibilium, quæ enumerantur, ſenſus ſint: quia & plures quoq; eorum ſint contrarietates? Neq; enim licet vel vnũ omnium commune ſit ſenſorium: ſiue primum, ſiue innatum illud medium accipiatur: ſatis ſuperq; eſſe videtur ad fidem faciendam, quod vnus ſit. At quando & linguæ, quæ communis tactui, atq; guſtui exiſtit: licet ſenſus ipſi vnus non ſint: attamen vnum eſſe ſtatuit, qui tangendi vim habeat. Vbi & recte quoq; demonſtrat aliorũ vnumquenq; ad plures contrarietates referri. Atq; rurſum pulchre inueſtigat: quoniam licet plures dentur: attamen vnam quandam naturam in vnoquoq; ſenſu eſſe oportet: ad quam plures illæ reducantur: quemadmodum in viſu, lumen. Nanq; & color, tanquam lumen quoddam viſibilis eſt. In auditu autem ſonus. In odoratu odor. Qui ſapidum illud eſt, quod abluitur in communi aquæ, atq; aeris humido. In guſtuq; ſapor. Pulchre itaq; philoſophus inueſtigat, quid commune illud ſit, quod in tactu reperitur: quod licet nomine careat: attamen illud eſſe vult, quod corporum, quatenus corpora ſunt, determinandorum facultatem retinet. Quorum quidem corporum principia ſint quatuor elementa: hoc eſt, ea, quæ illorũ principia, quæ ortui, atq; interitui obnoxia. Eſt nanq; aliquid commune, quod tanquam forma determinans illa quæ fiunt, exiſtit: quod proprias habet ſibi conſequentes qualitates. Quæ quatenus ad ſitum pertinet, grauitas, & leuitas ſunt: & inter has qui medii collocati ſunt impetus. Quatenus vero ad mutuas eorum affectiones, caliditas, & frigiditas, & ſiccitas, & humiditas, & quæ ex mutuo harum complexu deductæ, lenitas, aſperitas, durities, mollities, quæq; huiuſmodi aliæ. Ita, vt iam nobis ab ipſo philoſopho traditum fuerit genus vnum tangibilium commune: quæ ipſa eſt res. Licet haud ei nomen impoſitũ fuerit. Cæterum ad ipſa iam philoſophi verba accedendum eſt. Eandem nanq; eſſe inquit de tangibili, & tactu rationem.

Dubitatio.
Reſponſum

SI ENIM tactus haud unus eſt ſenſus, ſed plures, neceſſarium & tangibilia pluta ſenſibilia eſſe. Habet autem dubitationem, utrum plures ſint, an unus.

CENTESIMASEPTIMA. PARTICVLA.

ET quodnam ſenſorium, quod tangibilis tangendi uim habeat? Vtrum caro: & in aliis quod cum hac proportionem habet, an non? Sed id quidem eſt medium.

EXPOSITIO.

Verum quidem eſt, & quod conuertitur. Quia ſi tangibile plura ſint ſenſilia, & tactus quoq;

quoq; plures exiſtunt ſenſus. At quãdo nunc ei præcipuus ſermo de tactu eſt, ab hoc initium facit. Quo cum demonſtrarit, quod haud plura ſenſilia ipſa ſint tangibilia, cõceſſam quoq; conuerſionem habeat, quæ haud ſine oppoſitione fit: & ea eſt, quod tactus vnus ſit ſenſus. Verum dubitationem eam Ariſtoteles repetens, vtrum ſcilicet vnus, an plures & alteram quoq; adiungit, quodnam eius quod tangendi vim habeat ſenſorium ſit. Vtrum caro, & quod in aliis ei ex proportione reſpõdet, an non. Per alia, ea cum intelligat animalia, quæ ſine ſanguine ſunt. Ac confeſtim quod ei videtur, demonſtrat. Quoniam id quidem medium eſt. & qua ratione medium ſit innuit dicens.

PRIMVM uero ſenſorium, aliud aliquid eſt intus. Omnis nanq; ſenſus, unius contrarietatis eſſe uidetur. ut uiſus albi, & nigri. & auditus acuti, & grauis. & guſtus amari, ac dulcis. In tangibili uero multæ ſunt contrarietates. calidum, frigidum, ſiccum, humidum, durum, molle, & ex aliis quæcunq; huiuſmodi.

Ita, vt caro ſenſorium quidem ſit: ſed ſecundum. Neque enim aliud eſſe primum ſenſorium poſſet. Sed ſimpliciter eſſet ſenſorium. Quemadmodum oculi humidum: & qui in auribus exiſtit aer. Neq; enim ibi adeſt medium ſenſoriũ, qui aer extrinſecus exiſtens, aut ipſa ſit aqua. Poſtea vero primam philoſophus dubitationem tractat. Quia videatur quilibet aliorum ſenſuum in vna verſari contrarietate. Is autem in pluribus.

CENTESIMAOCTAVA PARTICVLA.

HABET autem quandam ſolutionem ad hanc dubitationem. Quoniam & in aliis ſenſibus ſunt contrarietates plures, ut in uoce: non ſolum acumen, & grauitas: ſed & magnitudo, & paruitas, & lenitas, & aſperitas uocis, & huiuſmodi alia. Sunt præterea & in colore differentiæ huiuſmodi diuerſæ.

EXPOSITIO.

Perbelle tum quandam eſſe ſolutionem dixit: tum ad eam ſolam dubitationem, quæ ad plures contrarietates pertinet. Adducturus nanq; & alteram eſt de eo, vtrum vnus, an plures ſint ſenſus. Quoniam haud vnum videtur eſſe commune tangibilium genus. Cui cum præſens non occurrat ſolutio: ſed ei tantum, quæ ex pluribus contrarietatibus naſcitur, cum obuiam fiat, iure haud ſimpliciter: ſed quædam dicta fuit ſolutio. Quænam hæc igitur ſolutio eſt? Quod vel in aliis ſenſibus plures ſunt contrarietates. Patet enim quemadmodum auditus ſonum iuxta omnem proprietatem ei conuenientem cognoſcere debet: & oppoſitas quoq; ei euenientes proprietates. vt magnitudinem, & paruitatem, lenitatem, & aſperitatem. Vbi nequaquam eas, quæ ad magnitudines ſpectant, intelligit. Ita, vt communia ſenſibilia, cum opportunum non ſit, adducat, vt Alexander opinatus eſt. Sed proprietates illas accipit, quæ ſonorum propriæ. Quarum cognoſcendarum ſolus auditus facultatem habet. Vnde & particula illa, vocis, adiecta fuit. Quemadmodum recte, & Plutarchus nouit. Sunt præterea & in coloribus differentiæ huiuſmodi diuerſæ. vt magnitudo quidem in fulgente colore: & qui omnino celerius cernitur: & vehementius auditum percutit. Cuiuſmodi auri, atq; argenti apparet color. Paruitas vero in eo conſideratur, quod quo cernatur pluri indiget lumine: atq; imbecillius aſpectum mouet. Cuiuſmodi plumbi color eſt. Et lenitas in iis poſita, qui viſui blandi, atq; lenes ſunt: qualis florum color eſt. Quemadmodum aſperitas, in iis, qui cum moleſtia, & ſollicitudine exiſtunt. Licet autem iis omnibus quæ cernuntur lumen commune ſit: attamen plures inuenias differentias, propter lucida illa quæ illuminant, & quæ non illuminant: ſed in tenebris tantũ aſpiciuntur. Inter ea præterea quæ ſe mutuo illuminant: & inter ea, quæ in tenebris videntur: & inter ipſa pellucida maximum eſt diſcrimen, dum manifeſtius, aut imbecillius illuminantur. Aut propter illuminantium, atque pellucidorum diuerſitatem: aut & propter vtrunq;. Haud itaq; admiratione dignum exiſtit, ſi & circa vnam tangibilis naturam multæ dentur differentiæ. Dubitatio igitur quæ ex multitudine oppoſitionum ſumebatur, ſoluta fuit. Inueſtigatq; noſter Ariſtoteles, quod reliquum eſt.

SED quodnam ipſum unum ſubiectum. quemadmodum auditui ſonus, ſic tactui non eſt manifeſtum.

CENTESIMANONA PARTICVLA.

VTRVM præterea eſt ſenſorium intus, an non? Sed confeſtim caro.

EXPOSITIO.

Dubitatio nanque haud ex ipſa effertur rerum natura, ſed ex noſtra imperitia. Vnde haud vnum non eſſe dixit: ſed non eſſe manifeſtum. Forſan quidem & quia poſitum nõ fuit commune nomen. Noſtraq; intelligentia ad rerum naturam non accedit. Interdũ vero & contra quoq; euenit: quod res magna cum difficultate conſiderari poteſt. Quod cõmune illi eſt, quod genita corpora, quatenus talia, determinare velit. Idq; nomine præſertim deficiente accidit. At cum dubitarit philoſophus quodnam commune illud ſit: antea quam ſuam explicet ſententiam, inquirit, quodnam tanquam tactus ſenſorium ſit. Id autem facit: quo adhuc ex his dubitationem de tactu augeat: quod haud vnus ſit. Quia inſtat aduerſus demonſtrationem, quæ illius eſſe videtur: quod vnus ſit: ex eo, quod vnum eius ſit ſenſorium, quod tangendi vim obtineat. Si nanq; caro primum non ſit ſenſorium, maxime immanifeſtum eſt, niſi plura prima eſſe dicamus. Sin autem & vnum quoq; teneamus, nondum manifeſtum: quod & tactus omnium vnus ſit ſenſus. Quemadmodũ enim cum lingua, commune ſubiiciatur inſtrumentum, tactui, atq; guſtui: haud tamen hi vnus exiſtunt: ita neq; ſenſus tangibilium eorum, quæ enumerata fuerũt, omnes vnus exiſtent. Licet commune omnium ſit ſenſorium. Id autem Ariſtoteles facit, quo ex ſenſorio, vbi tactum magis corporibus deuinctum, atq; affectionibus obnoxium, q̃ alios oſtenderit ſenſus: & ſenſibile inueniat, quod eiuſdẽ ſit ordinis cum eo. Quod eam habeat vim,
Dubitatio. vt paſſibilia corpora effingere queat. Quo igitur pacto tactum corporis formam referre, atq; patiendi vim habere, ex primo eius ſenſorio demonſtratur? cum neque id confeſtim, quemadmodum neq; vllum ex aliis ſine medio ſeſe in ſenſibile coniiciat. Ne vehementes
Reſponſum affectiones eam impediant actionem, quæ iudicandi vim habeat. Quia haud adhuc profecto poſſit per media aliena ſenſibile percipere: ſed innato egeat medio: quod viuaciter a ſenſibili afficiatur. Et quod iam licet imbecilliter, atq; ſecundo loco, at prope eam ſe ſiſtat actionem, quæ iudicandi vim habeat. Atq; tũc quod primo, atq; purius prope ipſam permanet: illud eſt quod tanquam primum tactus ſenſorium mouet. Nanq; & guſtus quoque tactus quidam eſt: neque belle in propriam commouetur actionem, niſi a viuaci, & quod iam ſenſus efficiendi vim habeat, motus ſit: & ab eo, quod efficaciori indigeat mouẽte. Neq; vita, quæ id definit, eodem modo, quo alii ſenſus diſſolui poteſt. Sed quia magis inſeparabilis eſt, minime ad aliena quoq; extenditur.

NVLLVM uidetur ſignum eſſe, fieri ſenſum ſimul tangentibus. Nanq; ſi quiſpiam circa carnem extenderet, tanquam pelliculam faciens, eodem modo ſenſum confeſtim tangens, unum ſignificaret. Ac dilucidum, quod non eſt in hoc ſenſorium. Sin autem & innatum ſit, celerius adhuc pertranſiret ſenſus.

CENTESIMADECIMA PARTICVLA.

QVAPROPTER & huiuſmodi particula corporis, ſeſe habere ita uiſa eſt.

EXPOSITIO.

Quoniam cum admodum corporata, atque patiendi vim habens ſeſe caro oſtendat: & primi quoq; tangentis ſenſorii ſuſpicionem præbet: quia ſine medio ſeſe ſenſibili adiungat. Aduerſus quod primo Ariſtoteles inſtat: qui primum ſenſorium carnem eſſe negat. Licet ſimul dum hæc quoq; tangit ſentiamus. Nam ſi pellicula digito obuoluatur, vna cũ tactione tactus ſit. Quod adhuc celerius contigerit, ſi illa innata, atq; inſita ſit. Neq; propter hanc attamen cauſam viuaciter eius vitæ, quæ ſentiendi vim habeat, particeps eſt. ob id nãque celerius. Verum neq; in pellicula, neq; in eo, quod innatum ſit prima ſentiendi vis collocata

locata est. Qua ita q; ratione nonne vel per alienum, atq; extraneum medium tactus fieri poterit? siquidem & per pelliculam, & per aquam in eo digito, qui ea madefactus sit, sentimus. Vel haud per medium dicendum ita est, vt quod cernendi vim obtinet? Quemadmodum ipse quoq; philosophus ex eo exemplo, qđ à clipeo sumptum est, dilucidum reddet.

QVEMADMODVM si circa nos innatus esset aer. Videremur nanq; uno aliquo sentire, & sonum, & colorem, & odorem. Et unus quidam sensus esset, uisus, & auditus, & olfactus. Nũc autem quoniam determinatum est, per quod fiunt motus, perspicua dicta sensoria, cum diuersa sint.

CENTESIMA VNDECIMA PARTICVLA.

IN TACTV uero id nunc immanifestum.

EXPOSITIO.

Ex huiusmodi positione simul quidem demonstrat, quemadmodum haud necesse est, quod innatum nobis est, atq; proxime cum sensibili versatur, primum esse sensorium. Simulq; quemadmodum neq; necesse est, quia medium vnum sit, & vnum eos quoq; esse sensus, qui eo moto fiant: primáq; dubitationem adauget. Cæterũ nũc cum determinatum sit medium, pspicua q; sint sensoria, in primis illis tribus sensibus, eorũ multitudo eluceſcit. In tactu vero id nunc immanifestum. Quidnam id scilicet sit, quod primo sentiendi vim habeat: & vtrum vna, an plures, quæ tangere queant facultates.

EX AERE quidem enim, aut aqua impossibile constituere animatum corpus. Oportet enim aliquod solidum esse. Relinquitur sane mixtum ex terra, atq; his esse. ut uidetur caro, aut quod cum ea proportionem habet. Si nãq; omnis sensus per medium, & tactus.

Causam afferre ex his vult: ppter quam immanifestum in tactu primũ sensorium. Ideo & ea vtitur coniunctione, quæ causam reddit: quæ illa particula, enim, est. Simulq; cuiusmodi in tactu sit medium declarat. Qúænam ergo est obscuritatis causa? Qñquidem in tactu, qui id ipsum, hoc est, tactus, sit: absq; vllo medio ipsum sensibile viuẽti corpori admouere oportet: atq; ei, qđ sentiendi vim habeat. Viuens vero corpus in iis, quæ ortui, atq; interitui obnoxia sunt, neq; aquam aereum, aut aqueum esse põt. Ita, vt simile sit aliis extraneis mediis, qui in illis repiunt sensibus. Sed solidũ id esse debet, & ob id ex terra, atq; aliis cõmixtũ.

QVARE necessarium, & corpus esse medium quod ei, quod tangendi uim habeat, adnatum sit.

Corpus quidem viuentium Aristoteles intelligit. Id autem cum adnatum sit, medium esse debet inter id, qđ tangendi vim habeat, & id quod tactile existat. Neq; id ex necessitate adductum fuit, ex iis, quæ nunc dicta fuerunt: qđ inquam adnatum esse oporteat, qđ in tãgendi facultate medium existat. Sed id inde sumptum fuit, qđ omnino illud per qđ, insit: quod postea nobis in memoriam reuocabitur. Et ex eo, qđ haud aliqđ extra motus in facultate tangere valente fiat: sed ab ipso sensibili corpus affici oporteat. Quibus ex necessitate consequens est, corpus nostr: id nãq; significat illud adnatum: rõnem eius per qđ subire. Atq; ita verba ipsa intelligẽda sunt. Quare necessarium illud adnatum corpus esse: qđ medium sit inter id, qđ tangẽdi vim habeat: hoc est, inter primum sensorium, atq; ipsum, pfecto tangibile. Qñquidem in tactu quoq; adesse opus est, ipsum, per qđ: sed haud qđ extrinsecus existat. Quæ vero in medio, fere illud per qđ interpretantur. Qm enim animatum, atq; solidum, ex terra, & aliis mixtum est. Nanq; viuaciter medium ipsum affici debet, quo, maiorem ad mouendum vim habeat. Præsertim quia prima illa vis tangere valens segniuscula est, quam alia sint sensoria. Qđ ei absq; vlla dubitatione euenit, quia ad modum corporata huiusmodi vita, atq; mixta est. Quandoquidem huiusmodi animatum ipsum corpus est: cuiusmodi animal quod ortui obnoxium.

PER quod fiunt ſenſus cum plures ſint.

CENTESIMAVNDECIMA PARTICVLA.

INDICAT autem quod plures qui in lingua tactus. Cuncta nanque tangibilia ſentit iuxta eandem particulam, & ſaporem. Siquidem igitur alia caro ſentiret ſaporem: uideri poſſet unus, & idem ſenſus, guſtus, & tactus. Nunc autem duo, quia non conuertuntur.

EXPOSITIO.

Dubitandi rationem attulit: quia & lingua, vt ipſe infert, duorum eſt ſenſuum iuxta eãdem particulam & inſtrumentũ. Cum & ſaporum, & tangibilium tangendorum vim habeat. Ita, vt vnum ambo eſſe videantur, ſi alia vſpiam reperiatur caro: quæ ſaporum iudicandorum facultatem obtineat. Sed quoniam aliæ omnes carnes tangibilia ſola percipiũt. ita, vt conuerſio fieri non poſſit. Ita, vt quod ſaporis iudicandi vim habet, id & tangibilia quoque iudicare queat: at non quod tangibilia iudicat, & de ſaporibus etiam ſtatuat. Ideo eorum diuerſitas perſpicua eſt.

CENTESIMADECIMATERTIA PARTICVLA.

DVBITARET autem aliquis, ſi omne corpus profunditatem habet. Hæc autem eſt tertia magnitudo. Quorumq; eſt duorum corporum medium corpus aliquod, non contingit hæc ſe mutuo tangere. Liquidum nanq; non eſt ſine corpore: neq; humidum. Sed neceſſe aquam eſſe, aut habere aliquid aquæ. Quæ uero ſe tangunt mutuo in aqua, cum haud ſicca extrema ſint: neceſſarium aquam habere medium: qua plena ſint extrema. Sin autem hoc uerum, impoſſibile tangere aliud aliud in aqua. Eodemq; modo & in aere. Conſimiliter nanq; ſeſe habet aer cum iis, quæ in ipſa aqua. Latet autem magis nos. quemadmodum & quæ in aqua animalia: ſi humidum humidum tangit.

CENTESIMADECIMAQVARTA PARTICVLA.

VTRVM igitur omnium eodem modo eſt ſenſus: an aliorum alio modo, quemadmodum nunc uidetur. Guſtus nanq; & tactus, quia tangunt. Alii uero procul. Id autem non eſt. Sed & durum, & molle per alia ſentimus. Quẽadmodum & quod ſonum emittit, & quod uiſibile, atq; odorabile. Sed alia quidẽ procul, alia uero prope. Ideo latet. Quoniam ſentimus omnia per medium. Sed in his latet. Atqui quẽadmodum diximus & antea, licet per pelliculam ſentiamus tangibilia cuncta: ita, ut lateat, quando agat: eodem modo nos haberemus, quemadmodum & nũc in aqua, & aere. Videmur nanq; ea tangere, & nihil eſſe in medio.

EXPOSITIO.

Quandoquidem tres ſunt corporis dimenſiones: cumq; illud iam philoſophus ſumpſerit: quod in tactu haud extra, ſed adnatum eſt ipſum medium: cumque illud præterea dixerit, quod vel pellicula circũiecta tactus fit: vbi & per extraneum medium fieri videtur: nunc ex his diuerſitatem huius cum aliis tribus ſenſibus demonſtrare vult. Nam nõ ſolũ in pelliculæ circumpoſitione: ſed tametſi aliquod medium ſemper ſtatuatur inter id, quod tangendi vim habet, atque id, quod tangi debet: vt ſi in aqua ambo madeſcant: & in medio aqua exiſtat: quæ corpus eſt: atq; ob hanc quoq; cauſam profunditatem habet: attamen contactũ eorũ quæ tangũtur, reddit abſq; medio. Quod forte fortuna in iis quoq; euenit, quæ in aere reperiuntur. Nam mediũ aliquod aeriũ corpus incidit. Siquid tñ aer obtineat, quod ſe adiungere queat, quemadmodum obtinet aqua. Haud ſemper itaq; aliquid mediũ

eſt.

est. Neq; enim & ipsius quoq; aquæ, aut aeris. Ac in quibus est, mediũ, quod sensum vim tangendi habentem non prohibeat: haud huiusmodi erit, vt actionem perducere queat: quemadmodum in tribus illis existit: sed vna cum carne afficitur. Vt & manifeste ante oculos ponit ex illo clipei exemplo. Atq; hæc quidem manifesta sunt. In ipsa vero dictiõe. Sed necessarium aquam esse, aut habere: ad illud liquidũ quidem, illud, aquam esse: ad illud autem humidum illud habere redditum, ac relatũ fuit. In eo vero. Impossibile aliud aliud tangere in aqua, illud sine medio subintelligendum est. At cum postea collegerit, nũquid eodem modo sese habent cum tribus illis sensibus, & alii quoque: quia in his medium aliquod reperiatur: deinde distinguit.

CENTESIMADECIMAQVINTA PARTICVLA.

SED differt tangibile a uisibilibus: & ab iis, quæ sonum emittunt: quia illa quidẽ sentimus: quoniam medium afficiat quadam ratione nos. Tangibilia uero, nõ quia a medio: sed una cum medio: quemadmodum qui per clipeum percussus. Neq; enim clipeus percussus, percussit. Sed ambo euenit, ut percuterentur.

EXPOSITIO.

Quandoquidem in tactu, atq; gustu nihil eorum, quæ extra, rationem eius per quod habet. Opus autem est & ipsum per quod in his reperiri. Ne absq; medio primum sensorium: vt & iam dictum fuit: a proprio sensibili affectum, ad iudicandi actionem illam, obtusum, atq; hebes reddatur. Vel in his itaque ipsum per quod: licet non extraneum, attamen adnatum requiritur: quod animatum, vt dictum fuit, esse debet: & ex ea animatum vita, quæ sentiendi vim habeat. Hac enim ratione cum primo sensorio cohærere, atq; ei adnatum dici posset. Affici nanq; quadam ratione oportet vel primum ipsum sensorium a sensibili. Quemadmodum illi indicant excessus, qui sensibilem affectionem reddunt. Sed ita tantum, vt ad actionem excitetur: nam excedens affectio impedimento est. Excedit autem vbi absq; medio fuerit, eius quod sensibile est in primum sensorium effectio. Quodnam igitur est in gustu, & tactu id per quod? Lingua quidem inquit in gustu. Tota vero caro in tactu. Atq; hæc deinceps diiudicat, ac determinat, cum ita scripserit.

CENTESIMADECIMASEXTA PARTICVLA.

OMNINO autem uidetur & caro, & lingua, quemadmodum aer, & aqua, & ad uisum, & auditum, & odoratum sese habent: ita sese habere ad sensorium, ita eorum unumquodq;. Ipsum autem sensorium si tangatur: neq; ibi, neq; hic fieri sensus posset. Exempli gratia siquis corpus album supra oculi poneret extremum. Qua etiam patet, quod intus ipsum tangibilis sensorium. Sic nanq; eueniret, quemadmodum in aliis. Quæ si ponantur supra sensorium non sentit. Sin autem supra carnem sentit. Quare medium eius quod tangendi uim habeat, caro.

EXPOSITIO.

Vnumquodq; quidem eorum philosophus dixit, tametsi de duobus tantum antea mẽtionem fecerit, de aere, atque aqua. Aut quoniam tribus sensibus ipsa ministrare dixit. Aut quoniam per particulam illam, eorum, non aerem, & aquam interpretari debemus: sed simpliciter pellucida, & sonos, atq; odores perferentia. Tria vero ista non solum in aere, atq; aqua reperiuntur, sed & in aliis. Eodem autem modo sese habent cum his, caro, & lingua. Quatenus & hæc quoq; media existunt: & rationem eius per quod subeũt. Quoniam scilicet, quatenus hæc quidem cohærent: illa vero extranea sunt, minime similis est proportio. Qua propter nequaq; carnem ita omnino sensu carere dicere debemus, quemadmodum aqua. Neq; enim hac ratione similitudo adest. Sed quatenus & caro ipsa eius respectu, quod primo sentiendi vim habet, ipsius per quod rationem subit. Qua etiam ratione, vt ab Aristotele dictum est, patet, quod intus ea existit vis, quæ ipsius tangibilis sentiendi potestatem habet. In corde nanq;, vt & alibi dictum fuit, collocata est.

CENTESIMADECIMASEPTIMA PARTICVLA.

TANGIBILIA quidem igitur ſunt, differentiæ corporis, quatenus corpus. Dico autem differentias, quæ elementa determinant. calidum, frigidum, ſiccum, humidum. De quibus diximus antea in iis, quæ de elementis.

EXPOSITIO.

De quibus dixit, quod poſitæ ſupra carnem ſenſibiles ſunt. Ex his autem, vt & iam diximus, vnum genus naturæ tangibilium determinat. Quod corporum effingendorũ, quatenus corpora vim habet. Haud tamen ſimpliciter. Sed qualia ſunt elementa, quæ ex differentiis ea determinantibus indicauit. Quatenus ita q; corpora paſſionibus obnoxia. Quæ huiuſmodi ſunt, vt gigni, atq; interire queant. Horum nanq; principia quatuor illa ſunt elementa. Atque horum differentiæ, primo paſſibiles illæ qualitates. De quibus in libris de elemẽtis ſe locutũ eſſe aſſerit. Nã ita eos, qui de ortu, atq; interitu inſcripti ſunt, appellat.

SENSORIVM uero quod eorum tangendorum uim habet: & in quo qui dicitur tactus ineſt primo: quæ poteſtate huiuſmodi eſt particula.

CENTESIMADECIMAOCTAVA PARTICVLA.

IPSVM nanque ſentire pati quoddam eſt. Quare quod facit ipſum actu, huiuſmodi illud facit, cum poteſtate eſſet. Quapropter quod eodem modo calidum, aut frigidum, aut durum, & molle non ſentimus: ſed excellentias. Quippe cum ſenſus quaſi medietas quædam ſit, contrarietatis, quæ in iis, quæ ſentiendi uim habent. Et propter id iudicat ſenſibilia. Quod nanq; medium iudicandi uim habet.

EXPOSITIO.

Poſteaquam tangibilium genus philoſophus definiit: ex hoc & quod tangendi vim habet, determinat. Quod nanq; poteſtate tale, quale ipſum tangibile. Quoniam prope formã eius quod cognoſci debet: ſemper quod actu cognoſcendi vim habet, permanet. Quod vero ſentiendi vim habet a ſenſibili mouetur: ex ſeipſo q; nequaquam ſufficiens eſt. Vnde & pati quadam ratione ipſum ſentire exiſtit. Licet haud tanquam id, quod corrumpitur: ſed potius tanquam id, quod perficitur. Quare neq; ſimpliciter pati eſſe dicimus: ſed quadam ratione. Omnino q; ita pati, vt quod aliunde perficitur. Poteſtate q; eſt, quod tangendi vim habet: non autem actu. Id nanq; illud eſt, quod tangit. Fit autem quod ſentiẽdi vim habet ab ipſo ſenſibili actu tale, quale illud, propter illam formæ excellentiam, quæ ab eo, in ſenſorio gignitur. Quoniam actio, quæ iudicandi vim habet: atq; perfectus ille prope formam ſtatus, intrinſecus ortum habet: atq; ex rationibus ſenſibilium, quæ eorum ſubſtantiam ſequuntur, fiunt. Neq; enim tanquam impreſſio, aut adumbratio quædam, extra infertur cognitio, & ipſius cognitionis terminus. Sed ſenſorium a ſenſibili affici neceſſe eſt. Afficitur nanq; quod poteſtate huiuſmodi eſt, nondum autem actu. Quo ita q; pacto pote eſt ſenſorium cum paſſibile ſit, non & ipſum paſſibiles qualitates actu participare? Quod ſi particeps iam ſit, quonam pacto iam ſecundum eas patietur? At nõ quod eodem modo calidum, inquit, & alia ſentiet: ſed exceſſus. Atq; hac ratione a diſſimili patitur. quippe cum ſenſus quaſi medietas quædam ſit. Siue ſenſum ſenſorii loco poſuerit: ſiue & ipſa ſubſtantia, quæ ſentiendi vim habet, non ſimpliciter, ſed quædam ſit medietas. Quia media illa vtatur ſubiecta ſenſorii temperatione.

EST enim ad utrunq; eorum alterum extremorum.

CENTESIMADECIMANONA PARTICVLA.

ET OPORTET, quemadmodum quod debet ſentire album, & nigrum. neutrum eorum actu eſſe. poteſtate autem ambo. Ita ſane & in aliis, & tactu, neq; calidum, neq; frigidum.

Centeſima

CENTESIMAVIGESIMA PARTICVLA.

PRAETEREA uero,ut uisibilis,& inuisibilis erat quodam pacto uisus. Eodē modo & reliqui oppositorum.

EXPOSITIO.

Medium quod calidum excellit:quemadmodum quod frigidum sit. Cum itaque rursum censet,quod tangendi vim habet,neque calidum esse,neque frigidum:haud ita intelligit,vt omnino eorum expers dicat.Sed tanquam id, quod ex ambobus medio quodam modo mixtum sit.

SIC & tactu tactilis,& intactilis. Intactile autem est,quod habet omnino paruā differentiam tangibilium. Quemadmodum euenit aeri: & tangibilium excessus: quemadmodum quæ corrumpendi uim habent.

Nanq; in refrigeratione,quod haud calidus aer sit,tactu sentimus:& eum qui paruam habeat caliditatem,& eum qui excellentem.

CENTESIMAVIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

DE unoquoq; quidem igitur sensuum,dictum est,adumbrate.

EXPOSITIO.

Exactius nanque ab eo,in libro qui de sensibilibus inscribitur: qui proprius de iis est, hæc traduntur.

VNIVERSALITER autem de omni sensu oportet sumere.

Vbi singillatim de vnoquoq; sensu considerauit:communem sermonem de omni aggreditur. Atq; hic quid illud sit,quod eam habeat vim,vt sensum tanquam sensum determinare possit,tradit:& quanam ratione simpliciter cuiusq; sensus sensorium formetur,atque effingatur.

QVONIAM sensus quidem est,quod uim habet recipiēdarum sensibilium formarum,sine materia. Vt cera,annuli sine ferro,& auro recipit signum.Sed nō quatenus æs,aut aurum.

Quod substantia quædam sensus sit,recipiendi vim habens,perspicuum est. Quoniā autem vel multæ aliæ quoque huiusmodi sunt:nunc quod proprium eius,quæ sentiendi vim habeat,traditur.Quod extra ab aliquo affici,existit. Ita,vt a seipsa omnino haud excitetur ad contemplationem eam,quæ actu fit.Vt intellectus,& scientia,& opinio,& ipsa iā imaginatio.Verum quandoquidem cognitio omnis,quæ secundum actum existit,forma eius quod cognosci debet,determinatur:atque ita,vt haud patiatur,sed agat:agitq; non efficiendo:sed iudicando,atque complectendo.Aliæ nanq; actiones,quæ cognoscendi vim habent:ex propria perficiuntur substantia:dum formam eius quod cognosci debet,ex seipsis emittunt.Hæc autem actio,quæ sentiendi facultatem nacta est:sensibili etiam extrinsecus collocato indiget:quo formam eius quod cognosci debet,actu eliciat.Vnde & passibilis dicitur,& eam habere vim ostenditur,vt formas recipiat:quippe cum illis aliunde accedentibus,atque ab aliis perficiatur.Quod ex eo apparet,quod cum extrema sit,instrumento vtitur:atq; ita,vt neq; ipsa valeat,quo ad vsum satis superq; sibi esse possit:neq; instrumentum habeat,quod instrumento vtēti vitæ sufficiat:atq; adeo ipsum antea aliquid a sensibili pati debeat. Quo vna cū illa passione quæ aliūde,& extrinsecus fit,viuax quoq; excitetur actio.Quoniam instrumentum,quod corpus est sensibiliter viuens,actionem illam habet,quæ pati queat.Illa vero quæ vtitur absq; vlla affectione agit:cum sensibilium rationes intrinsecus emittat:& ita,vt cum actione illa instrumenti,quæ passibilis est,conueniant.Iuxta quas,vt dictum fuit,comprehendit,atque iudicando agit. Eam itaque vim habere dicitur,vt formas recipiat:& affici quoque ab eo,quod colorem, aut saporem, aut

ſonum habeat, eam datum fuit: quia eius inſtrumentum ab iis affici debeat, non ſine ſignificatione quadam formarum, quæ in iis receptæ fuere. Quemadmodum enim actio, quæ in agente eſt, formæ quæ perficitur conueniens eſt: ita & affectio, quæ ſecundum formas fit, conuenientiam cum iis, quæ agunt indicat: atque ſignificatio illa formæ ab ipſo ſenſibili, ſenſorio adeſt. Quæque in ipſo agit vita, quæq; paſſibili illa actione iuxta rationes in ſenſorio exiſtentes vtitur, puram iudicandi vim habẽtem promit actionem: cum hæc neque patiatur, neque aliunde formas recipiat. Intus nanque ipſa gignitur cognitio. Quare & prope id quod cognoſci debet, ſtatus, atque permanſio fit. At pati, atque ipſas ſubire formas, & in eas conuerti ſenſus dicitur: quia ſenſorium extrinſecus illas recipit ſignificationes, quæ cum forma ſunt. Licet non ſine actione id faciat. Nam formas ſine materia recipit. Neque enim forma, ſed id omne quod forma affectum ſenſibile eſt. Quemadmodum autem eſt iuxta formam, ita & ipſum intelligit ſenſus ſecundum formam: & iuxta eam cognoſcitur. Ipſum itaque etiam ſenſorium formæ ſignificationem recipit: & ſenſus prope formam permanẽs quod ſenſibile eſt, cognoſcit. Ita igitur cera auri annuli ſignum recipit: non quia aurum recipiat: neque quia ab auro patiatur: ſed ſolam recipiens imaginem: quippe cum ab eo, quod imagine affectum eſt, patiatur.

EODEM autem modo & ſenſus uniuſcuiuſq; ab habente colorem, aut ſaporẽ, aut ſonum patitur. At haud quatenus unumquodque eorum dicitur: ſed quatenus huiuſmodi, & ſecundum rationem.

Patitur quidem ſenſus, quia ſenſorium in primis patiatur: dum in propriam excitatur actionem: & patitur ab vtroque. At haud quatenus eorum vnumquodq; dicitur. Nanque vtrunque ſecundum formam agit, & ſenſus eum recipit actum, qui a forma prouenit. Haud tanquam is, qui circunſcribatur: vt ſi albefiat, aut ſonum reddat: aut dulcis, aut calidus efficiatur. Neque enim hac ratione afficitur. Sed tanquam is, qui ex albo, aut ſono, aut, quolibet reliquorum cognoſcendo agit. Patiq; dicitur, quia cum ſenſorium actum illum extrinſecus receperit, tunc & ipſe quoque ſenſus excitatur. Tametſi enim corpus calefiat: attamen haud in ipſo calefieri formæ receptio collocata eſt. Sed quia iuxta calidi formam cognoſcendo agit. Quoniam inſtrumentum, tanquam id, quod calidum redditum ſit, ſenſibile, non autem, quod ſentiẽdi vim habeat, fit. Quare licet perficiatur ab albo, quod cernendi facultatem habet, attamen non in affectione, paſſione ve vlla, ſed in illa albedinis ſecundum formam actione, iudicium collocatum eſt.

CENTESIMA VIGESIMA SECVNDA PARTICVLA.

SENSORIVM autem primum in quo huiuſmodi uis.

EXPOSITIO.

Senſorium quidem in vnoquoque ſenſu diuerſum exiſtit. Id vero in quo, quod commune cum quolibet ſenſu, de quo nunc ſermo habetur primo: viuax iure ſpiritus eſt. In quo huiuſmodi eſt vis. Hoc eſt, communis ille ſenſus, qui omnium comprehendẽdorum facultatem habet. Qui haud quidam, ſed ſimpliciter ſenſus eſt: quippe qui cum omnibus agat: atq; totus in ſeipſum contrahat.

EST quidem igitur idem. Ipſum uero eſſe diuerſum. Magnitudo nanque quædam eſſet, quod ſentit. Haud tamen quia ſentiendi uim habeat. Neq; ſenſus magnitudo eſt, ſed ratio quædam, & uis illius.

Erat quidem anima illa, quæ viuacis inſtrumenti, quatenus tale effingendi vim habebat: quæ formæ rationem illius reſpectu obtinebat: neq; id mirum, cum ex ea abſoluatur. Eratq; præterea anima, quæ ipſo tanquam inſtrumento vtebatur. Actus nanque eius & hæc quoq; exiſtebat: quæ ex inclinatione ad illud vergente, quia eo vtebatur determinata, atque definita erat. Quippe cum vnum & quod vtitur, & inſtrumentum quoq; ipſum ſit: quia vnus quoq; vtriuſq; eſt actus. Ita, vt vnum, atq; idem ex ambobus fiat. Ipſo vero eſſe maxime differunt, atque inter ſeſe diſiuncti ſunt: in primis illud quod vtitur, & ſenſo-

rium:quod illud eſt,quod ſentit.Atq; id præterea quod ſentiẽdi vim habet duplicem obtinet cauſam.Alteram quidem a materia ſtantem:quam tanquam magnitudo,atq; corpus requirit.Alteram vero formam ſequentem:quæ ipſum tanquam huiuſmodi inſtrumentum,quod viuax ſit,ea afficit vita,quæ ſentiendi facultatem obtineat.Neq; enim hæc magnitudo eſt:multoq; minus anima illa,quæ vtitur,magnitudo dicenda eſt.Sed ratio quædam,atque vis illius exiſtit.Alteraq; eiuſmodi eſt,vt ipſum poſsit inſtrumentum effingere.Altera vero dum illo vtitur proprie perficitur.Quæ ratio proprie,non autem forma dicta fuit.Forma nanq; impartibilis eſt.Illa vero conuoluta eſt ſubſtantia.Huiuſmodiq; vita illa,quæ animata dicitur.Cæterum quoniam multæ tum viuaces,tum naturales ſunt rationes,iure ratio quædam vita illa,quæ ſentiendi vim habet,dicta fuit.Quæ etiam merito ſenſorii vis quædam eſt.Altera quidẽ iuxta quam viuaciter mouetur:altera vero tanquam illa,quæ mouendi vim habeat.Motus nanq; eius actus eſt,quod poteſtate ſit.Vel vis itaq;,atq; poteſtas ea quoque eſt,quæ in eo quod mouetur,& in mouente reperitur.Verum de vi,ac poteſtate in quarto,eorum quæ naturalia ſequuntur,determinatum fuit.

CENTESIMAVIGESIMATERTIA PARTICVLA.

MANIFESTVM præterea ex his,& propter quid interdum ſenſibilium exceſſus corrumpunt ſenſoria.Si nanq; uehementior ſit,ſenſorii motus,ſoluitur ratio.Id autem erat ſenſus.

EXPOSITIO.

Ipſa quidem vita,quæ ſentiendi vim habet,cum eam habeat vim,vt oppoſitas formas cognoſcat:& cum ad vtranque partem eodem modo ſeſe habeat:haud attamen ita,vt ab vtraque definiatur:ſed quia ambæ illæ agendi facultatem obtineant:ideo & in inſtrumento naſcitur conuenienti:quod eadem etiam ratione,ea præditus eſt poteſtate,vt ab vtriuſque formæ ſignificatione recipere queat.Vnde & in medietate quadam vita illa ſentiendi vim habens,collocata eſt.Quæ tamen haud eminet:ſed recipiendi facultatem obtinet.Quæq; haud puræ eſt actionis:ſed eius,quæ cum affectione commixta ſit.Si itaque affectio,eam corrumpat medietatem,quæ conſtituendi vim habet:idque propter exceſſum vtriuſlibet extremorum ei eueniat:corrumpitur & ſenſorium,quatenus ſenſorium.Et ſoluitur ratio,vt Ariſtoteles inquit.Quæ quidem ratio ipſe ſenſus eſt.Nam vbi corruptum fuerit,quod non ſine quadam conuenientia,atque proportione ſua recipiendi vim habet:& eam quoque vitam interire neceſſe eſt:quæ eam obtinet vim,vt inſtrumenti,quatenus inſtrumentum exiſtit,curam ſubeat.Quæ quia illud definiat,perficitur:quæque vtitur.Si id quoque additum ſit,vt ex eo tantum perficiatur:quod vtatur.Quoniam ſi haud ita res ſeſe habuerit:ſed aut ſeparabiles obtineat actiones:quẽadmodum nauta a naui,quatenus homo:aut primo in perpetuo ſubſiſtat,atque nitatur corpore:cum amplius hoc vſa non fuerit,ſoluetur.Verum haud ſimpliciter.

QVEMADMODVM & ſymphonia,& tonus,cum pulſantur uehementer chordæ.

Interdum quidem & hæ inciduntur:cum vel ſimpliciter euertitur ſymphonia.Interdum autem impeditur ſolum concinentis actio,propter percuſſionis vehementiam.Proprie vero,atque conuenienter ſeſe id exempli habet,reſpectu illius conuenientiæ inſtrumenti,quæ corporata eſt.At haud illius vitæ reſpectu,quæ ſentiendi vim habet.Quæ nequaquam eſt ſymphonia:ſed ſymphonia ſe exornat,atq; efflorescit.

CENTESIMAVIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

ET PROPTER quid plantæ non ſentiunt,cum habeant aliquam particulam animatam,& patiantur aliquid a tangibilibus.Nanq; frigefiunt,& calefiunt.Cauſa enim,quia non habent medietatem,neq; huiuſmodi principium,quo recipiant formas ſenſibilium.

EXPOSITIO.

Manifeſte tum quæſtio propoſita fuit: tum cauſæ quoque inuentio explicata. Quæ ex corporata proprietate, tanquam ab ea, quæ cum materia ſit: & ab ipſa vita, tanquam ab ea, quæ a forma ſtet, ſumpta fuit. Illud quidem enim non habere medietatem: propter corporatam illā conuenientiam, quæ inter extrema exiſtit, intelligendum eſt. Principium autem illud, quod recipiendarum formarum vim habeat, propter vitam illam, quæ ſentiendi facultatem obtineat. In qua & qua ratione facultas illa recipiendi, accipiatur, iam dictum fuit.

SED patiuntur cum materia.

Id autem eſt, dum determinantur qualitatibus: atque ex eis formam, figuramve adipiſcuntur. Nequaquam vero in eam excitantur actionem, quæ ſecundum eas, cognoſcendi vim habeat. Ac quemadmodum actio, vt ſecundum formam, aut vna cum forma exiſtit: ita & affectio, paſſiove cum materia. Licet enim compoſitum ipſum in primis caliditate, dum calefit, determinetur: attamen & compoſiti quoque materia id patitur. Ac quemadmodum ipſa præcipue materia a ſubſtantialibus perficitur formis: ita & compoſita perficiuntur qualitatibus.

Adnotatione digna.

CENTESIMAVIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

DVBITARET autem aliquis, utrum pati poſſit aliquid ab odore, quod impoſſibile ut odoret. Aut a colore, quod non poteſt intueri. Eodemque modo & in aliis. Sin autem, quod odorabile odor: ſiquid facit odoratum, odor facit. Quare ex iis, quæ non poſſunt odorari, neque pote eſt quicquam pati ab odore. Eadem autem ratio & in aliis. Neq; ex poſſibilibus. Sed quatenus habet uim ſentiēdi unumquodq;.

EXPOSITIO.

Quia noſter philoſophus dixit, quædam, quæ ſentiendi vim non habeant pati: & ex his alia quidem cum materia: quemadmodum quæ calefiunt, ac frigefiunt. Alia vero ſine materia: quemadmodum cera, quæ ſignum illud recipit, quod in annulo eſt, ſine auro, aut ferro, quia q; pati & ſenſum quoque dixit: ex dubitationibus, atque ſolutionibus, quæ nunc propoſitæ ſunt, affectionum differentiam diiudicat, atque illarum quoque effectionum, quæ affectiones immittunt. Aliæ quidem enim alterantes, atque commutantes id, quod recipit agunt. Patet q;, quemadmodum quæ alterantur, dum recipiunt, patiuntur. Quemadmodum quæ tin.guntur, dum colorantur, patiuntur. & quæ bonum aliquē odorem ex iis, quæ prope collocata ſunt, aſſequuntur. & quædam, quæ dulcia, aut calida reddduntur. & quæ meliorem habeant ſonum: vt chorda, quæ intenditur, aut remittitur. Aliæ vero iuxta ſolam formam agunt: & cum alicuius formæ abſque vlla affectione ſint, in id, quod recipere poſit, abeunt. Quemadmodum ceram iam dixi, ſignum aſſequi. Atque adhuc purius aer ita aſſequitur lumen: & omnino quæ inter ſenſoria, atque ſenſibilia media ſunt, hac ratione ſenſibilis actum perferunt. Hoc nanque pacto, coloris actum pelluci da perducunt: eius quod ſoni emittendi vim habeat, quæ ſonum, eiuſq; quod odorabile, quæ odorem perferre queunt. Quod ſi & lingua, & caro media ſunt, habebimus tum in ſaporibus, tum in tangibilibus, quæ actionem, tanquam perferendi vim habentia, recipient. Verum hic ita, vt ſentiendi quoque hæc facultatem obtineant, licet ſecundo loco. At effectiones quædam ſenſibilium ſunt, quatenus ſenſibilium. Cum quod recipiendi vim habeat, ſenſibile fuerit. Siquidem mutuo hæc inter ſeſe referuntur, atque agunt. Nam quod ſentiendi vim obtinet, ſenſibilis ſentiendi vim obtinet. Senſibileq; ei, quod ſentiendi vim habeat, eſt ſenſibile. Agit ita q; tanquam ſenſibile in id, quod ſentit. Tanquam vero color, & tanquam ſonus, is quidem in id quod pellucidum: ille vero in id, quod ſui perferendi facultatem obtineat. Agit q; hac ratione, licet neque quod intuetur, neque quod audit, adſit. Nam nō quia aliquid reuera agat, agere dicitur: ſed quia recipiatur mutuus eorum actus: cum actu redditum ſit pellucidum, aut huiuſmodi, vt ſonum perferat. Eius autem, quod

Affectionū, paſſionū ve differentiæ: ſeu effectionū. Prima.

Secunda.

Tertia.

ſentiendi

ſentiendi vim habet actus, in ipſo agere collocatus eſt. Eius nanq; actio iudicandi vim habet. Triplex itaq; effectio, atque affectio eſt. Vna quidem cum conuerſione, alteratione q; eius, quod recipit. Altera vero cum collatione, atq; tranſitu actus a forma ſtantis, qui efficientis eſt: atq; acceptione, atque acquiſitione recipientis. Quæ affectio etiam propter perfectionem illam extrinſecus acceptam dicitur. Tertia vero eſt: quæ præter acquiſitionem illam, quæ extrinſecus, atq; aliunde facta fuit, & ex propria perficitur actione. Quæ affectio quoq; dicitur, propter acquiſitionem illam, quam aliunde facit. Atq; in hac tantũ ſenſus collocatus eſt. Vnde haud omnibus affectio huiuſmodi eſt, vt ſentiendi vim habeat. Cum hæc itaque philoſophus diiudicarit, dubitat, nunquid quod odorabile, aut odor, aliquid in id, quod ſentiendi vim non habeat, agat. Ac tandem, quod nihil agat, colligit. Siquidem odorabile inquit odor eſt: odor vero in odoratum agit: ſenſus autem quidã ipſe odoratus. Atq; ita concludit, quod quæ non odorantur, non patiuntur ab odore. Eandemque rationem & in aliis eſſe inquit. Ita, vt nihil aliud a colore patiatur, niſi quod cernendi poteſtatem adeptum ſit. Ideo infert: quemadmodum neq; ex iis eſt, quæ fieri poſſint: ſed quatenus vim vnumquodq; ſentiendi habeat. Quamuis enim ſentire poſſit, quod audiendi facultatem habet: attamen nihil a colore patietur. Quatenus vero eam habet vim, vt ſentiat a ſono: & quod guſtare valeat ſapore. Dilucidum autem eſt, quemadmodum vera ſunt, quæ hic dicuntur. Niſi haud tanquam color ſimpliciter: aut tanquam odor: ſed tanquam ſenſibile intelligatur, atq; accipiatur. Neq; enim quæ ſentiendi vim non habeant, tanquam a ſenſibilibus patiuntur.

Colligũtur tres effectiones, paſſiones ve.

CENTESIMAVIGESIMASEXTA PARTICVLA.

SIMVL autem patet, & ita. Neq; enim lumen, & tenebræ, neq; ſonus, neq; odor, quicquam faciunt corpora: ſed in quibus ſunt. ut aer cum tonitru ſcindit lignum.

EXPOSITIO.

Hæc quoq; ratio eodem ſpectat, quo & quæ antea dicta fuit. Quod in corpora quatenus corpora ſenſibilium formæ non agunt ex ſe: ſed ſecũdum ea, quæ ipſis ſubiecta ſunt. Quemadmodum tonitrus frangit interdum lignum: non tanquam ſonans: ſed quia ſpiritus in quo ſonus eſt, dum vehementius mouetur, incidit in lignum. Quoniam non ſolũ, quatenus ſenſibilia, nihil ipſa ſenſibilia agunt: at neque ex ſe, ita, vt aliquid ex actione illa, quæ ab ipſis prouenit concedant. Sed iuxta aliud aliquid agũt. Quemadmodum ſi quod coloratum alicui adiectum, deorſum compellatur. Non ſecundum colorem eo compellitur: ſed propter grauitatem. Ac ſi caleſcat, id ei ex caliditate accidit. Neq; itaq; quatenus ſenſibile, neq; quatenus color id vnquam ageret.

AT tangibilia, & ſapores faciunt. Si enim non, a quo paterentur inanimata, & alterarentur.

CENTESIMAVIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

NVNQVID igitur & illa facient? An non omne corpus patiendi uim habet ab odore, & ſono? & quæ patiuntur indeterminata, & non permanent, ut aer. olet enim quippe, qui paſſus ſit aliquid.

EXPOSITIO.

Videtur quidem vna cum aduerſario illud Ariſtoteles tueri, quod agant ſenſibilia, vel in ea, quæ ſentiendi vim non habeant. ex duabuſq; rationibus, quod verum eſt, declarat. Quoniam & tanquam ſenſibiles aliquando ſenſibilium formæ agũt: & id in id quod ſentiendi vim habeat, dirigitur. Et tanquam non ſenſibiles etiam agũt. Atq; id eis duobus accidit modis. Nanque aut iuxta has ipſas formas: aut iuxta ea, quæ eis ipſis ſubiecta ſunt, aut inſunt. Quod nanq; agant ex tangibilibus in primis perſpicuum eſt: & ex ſaporibus. Caleſiunt enim, vel quæ ſine anima ſunt. Dulciaq;, atque ſalſa fiunt, dum alterantur: vt & ipſe dicit: dum eo patiuntur modo, quo a nobis ea pati dictum fuit.

QVID itaq; eſt ipſum odorati, præter ipſum pati quidquam?

Præter illud tamen ita pati, vt aer: qui olentis perducit actum. Vtriusq; nanque, hoc est medii, atq; eius quod sentiendi vim habeat, formalem recipit actionem.

NVNQVID ipsum quidem odorari, sentire?

Hoc est: non iuxta eam solam, quæ extra, consistit actionem: sed & iuxta propriam. Si quidem ipsum sentire cum cognitione agere, est.

AER uero patiens, celeriter sensibilis fit.

Pellucidum quidem collectum recipit ab illuminãte actum. Quod vero soni, atq; odoris perferendi facultatem obtinet non collectum. Quoniam ita actum hunc recipit, vt antea quidpiam patiatur. Passio vero in tempore fit, licet cum celeritate. Aer itaq; patiens, aut ita, vt antea actu passus sit: quemadmodum qui odorem perducit: aut ita, vt aliunde odorabilis actum recipiat: sensibilis fit. Interdum quidem cum & ipse odorabilis effectus, atq; redditus sit. Omnino vero odorabilis actum, ad odoratum perducens. Vtroque autem horum modorum, non is qui sentiendi vim habeat: sed qui sentiri queat, atque sensibilis sit, effectus est. Quoniam intus non sine propria actione iuxta sensibilis formam vis illa consistit.

SECVNDI LIBRI FINIS.

NOBILISS. ATQVE ORNATISS. VIRO IOANNI BAPTISTÆ CAMPEGIO EPISCOPO MAIORICENSI

IOANNES FASEOLVS S. P. D.

QVOD neq; in hoc omni uolumine, neq; in ullo præcedentium librorum mihi contigerat: id niſi tui aliquam notitiam habuiſſem, hoc in loco profecto contigiſſet. Meum nanq; propoſitum fuit: et eius auſpiciis opus totum foras dare: cui in primis res omnis deberi uideretur: et unumquenq; librum ei ſeparatim dicare: cui præcipue conuenire poſſet. At ſi et quæ hic tractentur, conſideremus: et nobiliſſimi, atq; illuſtriſſimi uiri Chriſtophori de Madrucio Tridenti epiſcopi, raras, atq; præclaras animi dotes ſpectemus: uix in toto terrarum orbe, quenquam: qui hac in re cum eo ſit comparandus: abſq; ulla dubitatione reperiemus. Primus uero, atq; ſecundus harum tractationum liber, quibus melius quadrare poterant, cum alter bonarum literarum ſtudioſis: alter ſtudioſioribus præſtantiſſimi tui, ac mei doctoris auditoribus datus fuerit? Quæ haud nempe ob id præter omnium fere conſuetudinem nunc a me facta fuere: quo hac ratione permultorum benecuolentiam mihi conciliare uellē. Sed, ut ſæpenumero iis, qui mecum familiariùs uerſantur, oſtendi: ea huiuſce rei extitit cauſa: quod philoſophiæ ſtudia, quæ aliquando ita uiguerunt: ut eorum præſtantiam, atq; excellentiam ne cogitatione quidem cõſequi queamus: multos abhinc annos tantum iactura feciſſe uidentur: ut uix in priſcum nitorem, atq; antiquam dignitatem ea unquam reſtitutum iri ſperandum ſit. Cuius ſane calamitatis initium eo tempore factum fuit: quo diuina illa Ariſtotelis, Theophraſti, Eudemi, aliorumq; ſimilium ingenia perierē. Verum poſthac cum Alexander, Ammonius, Themiſtius, Simplicius, aliiq; doctiſſimi uiri florerent: eadem illa quaſi conualeſcere, atq; in aliquem gradum adduci ceperunt. Quod uel iis quoq; temporibus euenisſe ſuſpicari poſſumus: quibus Carneades illi, Critolai, Clitomachi, Mneſarchi, huiuſmodiq; non pauci extitere. Qui cum a Varronis, Ciceronisq; ætate haud admodum ſeiuncti fuerint: et tunc quoq; multum philoſophiæ tributum credere poſſumus. Cæterum quando poſt tempora illa multum, diuq; tum in Italia, tum in Græcia pugnatum eſt: ideo tunc omnia fere bonarum artium ſtudia: quibus bello ualente nihil magis aduerſum eſt: funditus prope periiſſe aſſerere poſſumus. Quæ licet antehac ſe extollere, ac quaſi reuiuiſcere perſæpe conata ſint: attamen id nunquam eis ante noſtram hanc ætatem datum fuit. Atq; adeo cum omnino depreſſa, ac deſerta iacerent: ab eis, qui tunc ipſis auxilium ferre uoluerunt: in multo deteriorem conditionem, q̃ illa, in qua reperiebantur, eſſet, adducta fuere. Nam tum ex noſtris quidam bonarum literarum penitus ignari: tum barbari illi in medium progredi, auſi ſunt: qui hæc adeo corruperunt: ut nihil iam illius ſuæ dignitatis, atq; ſplendoris obtinerent. Quæ quidē omnia, quoniam animo, atq; cogitatione perſpiciebam: id mihi faciundum uiſum fuit: quod alii nonnulli: quorum id forſan munus erat: hactenus facere noluerunt. Qui cum præclara quædam in philoſophia literarum monumentis tradidiſſent: uel pudore, uel timore, de iis, qui hanc omnem, aliaſq; permultas facultates barbarie, atq; imperitia ſua deturparunt: uerbum nullum fecerunt. At mihi hæc nequaquam diſſimulanda uiſa ſunt. Plus nanq; apud me ualet beneuolentia illa, qua bonarum literarum ſtudioſos proſequor: q̃ uel Auerrois, uel Alberti, uel Egidii, uel Burlei, uel Sueſſani, uel aliorum non paucorum: de quibus me nonnūquam mentionem facere pudet: autoritas. Aduerſus quos quoniam quædam omnino dicenda erant: neq; ea unum in locum facile congeri poſſe uidebantur: ideo illud factum eſt, ut cuiq; libro ſua fuerit epiſtola attributa. Verum cum et in ea, quam ad bonarum literarum ſtudioſos conſcripſimus: eorum patefactus fuerit error, qui Latinorum ſcholam ſequuntur: et in altera Auerroem, atq; Arabes penitus relinquendos oſtenderimus: nunc iam illud reliquum eſt: ut tui exemplo ad bonas literas, ad optimos, atq; probatiſſimos quoſq; autores, mortales quidem omnes: ſed eos in primis, qui aliis uel naturæ, uel fortunæ muneribus, præſtant: accendamus. Quo hæc quæ præclara nempe ſunt: et animi ornamentis, quæ præclariora exiſtunt: magis nitere faciant. Vbi et illud perbelle cecidit: quod liber ille in quo de noſtræ animæ uiribus: et de diuino illo atq; immortali agitur intellectu, tibi dicandus fuit. Quod non forte fortuna, ut plerunque in noſtriſiis rebus euenire ſolet: ſed Dei Opt. Max. nutu, atq; uoluntate factum eſſe mihi perſuadeo. Nanque ut unus ille exiſtis? tot ornatus dotibus: quot uix cogitatione comprehendere, nobis datum eſt: ita tu is, unus es: quem in ampliſſimo ſummæ dignitatis gradu collocatum, præſtantiſſimis his philoſophiæ ſtudiis, diuinarumq;, atque humanarum rerum cognitioni, uixq; præterea tui ſimilem alterum, eo omni tempore quo in iis occupatus fuiſ, operam nauaſſe nouī. Tu is es, qui cum græcarum literarum uim perſpiceres: in earum notitia nemini ſecundus eſſe uoluiſti. Tu quo ad philoſophiæ faſtigia melius, atque perfectius peruenire poſſes: non ſolum præclariſſimum his temporibus peripateticorum principem M. Antonium Paſſerum diu audiuiſti: ſed et acutiſſimum Abbratium tibi aſciuiſti. Tu exercitatiſſimo Bargæ operam dediſti. Tu denique tua diligentia, aſſiduitate, et rara erga hæc ſtudia uolũtate, omneis in

tui admirationem concitaſti. Expergiſcimini itaq; expergiſcimini, qui uel ad ſacrarum, uel ad profanarum rerum gubernacula ſedetis. Vobis hunc ante oculos proponite. Quæ horum ſtudiorum dignitas, atq; amplitudo ſit, conſiderate. Quid uel unius clariſſimi uiri exemplum præſ. et, cogitate. Beatas ſane eas fore reſp. quorum principes philoſophiæ ita inſeruierint: ut uere philoſophi appellari poſſint: a Platone diuine traditum eſt. Quid igitur hæc iam negligitis? Nonne et uos beatitudinem omnem, et ut per uos alii eam adipiſcantur, optatis? Hunc itaq; præ oculis ſemp habetote. Quantopere qui hunc uel ſemel uiderint, ad bonas omneis artes hoc exemplo incẽſi, atq; inflammati ſint, cognoſcite. Tuq; ornatiſſime, atq; ampliſſime uir, quam debes mente, atq; animo lætitiam, et uoluptatem concipe. Nã licet ea maxima, atq; rariſſima ſint: quod nobiliſſima in urbe, clariſſima ex familia, atq; ampliſſimo patre natus in tã tarum omnium dignitate ſis: attamen te eo animo, iis moribus, atq; ea doctrina ornatum eſſe, ea omnia ſuperare uidetur. Verum, quando tuæ me iam longius uirtutes protrahunt: mihi ipſe moderabor: atq; ita finem faciam: ut quos ad omnem laudem incitaſti, te tua præſtanti benignitate amplectimeq; in horum numero ſi unquam tibi dignus uiſus fuero, reponi: etiam, atq; etiam rogem. Vale.

IOANNES FASEOLVS LECTORIBVS S. P. D.

VOBIS *haud ſane mirum uideri debet: ſi, cum ad ſecundi libri exitum uentum ſit: uel ulterius particularum numerum progredi uiderit is. Nam dum ueſtris commodis ſeruire ſtudeo, iſtos ab ipſa re, atq; antiqua ſcribendi conſuetudine alienos numeros adiicio. Quos nequaquam admouiſſem: niſi eos a noſtris doctoribus perſæpe citari: atq; ita uos facile ſententias inuenire, animaduertiſſem. Verum Arabes: quos his primo uſos audio: cum longius ſecundum harum tractationum librũ produci arbitrati eſſent: ſuarum illarum particularum ſeriem in tertium quoq; traduxerunt. Quod mihi quoq; faciundum ueſtra, atq; ádeo noſtrorum doctorum, cauſa fuit. Licet omnino rem aliter ſeſe habere nouerim. Nam ex omnium græcorum ſententia, quibus multo magis hac in re, q̃ Arabibus credendum eſt, is ſecundi libri finis eſt. Vnde et aliud poſtea particularum initium: ſi huiuſmodi debeat eſſe diuiſio: ponendum fuit. Quare neq; ulla hãc ob cauſam, uos admiratione afficiemq; me aceuſare debetis. Cæterum quãdo rem omnem iam uobis notam duco: ad ea, quæ ſequũtur: quæ perpulchra ſunt: me paro. Valete.*

SIMPLICII COMMENTARIVM IN TERTIVM DE ANIMA ARISTOTELIS,

IN DVAS PARTEIS DIVISVM.

IOANNE FASEOLO PATAVINO INTERPRETE.

PARS PRIMA.

QVOD autem non eſt ſenſus alius præter illos quinq;.

PRæcipua quidem Ariſtotelis in tertio hoc libro mens eſt, de ea loqui anima: quæ deligendi vim habeat. Id autem eſt, de ea, quæ rationis particeps, atq; intelligens in mortalibus reperitur. Quoniam & in tractatione hac tota, de anima iſta, quæ in mortalibus extat, contemplari propoſuit: quippe cum ex ea & ad præſtantiores illas forſan non ſine aliqua proportione attrahēdi ſimus. Neq; minima ex parte id ab ea præſtetur, quæ in his rationis particeps exiſtit. Cum itaq; in ſecūdo libro permulta de anima illa tradiderit: quæ cum aliis quoq; animalibus nobis cōmunis eſt: nunc in tertio præcipuum ſibi propoſitum proponit de ea agere, quæ rationis particeps ſit. Orditur autem a ſenſu: tum quo continuum ſermonem ſuum, cum iis, quæ antea dicta fuerunt, efficiat: tum quo comparando facilius diuerſitatem animæ rationem habentis illius reſpectu contemplemur. Præterea q;, quo & quodnam rationis veſtigium ad ſenſum accedat, conſideremus. Quoniam ipſum impartibile: ipſum quadam ratione inſeparabile: & id, vt ſuiipſius percipiendi vim habeat, ſenſui cum anima commune videtur. & ille etiam intellectus qui in rerum actione verſatur, ſenſu vti videtur. Inueſtigat autē philoſophus vel in ipſo principio, nunquid alius præter quinq; in ſecūdo libro enumeratos, ſenſus ſit. Vt ne cum & ex inductione, rationis eorum reſpectu diſcrimen conſideraueri-mus, dubii ſimus: tāquam & alius quiſpiam nobis ignotus iam relictus fuerit. Ac quoniā ſcientiæ munus eſt: quatenus fieri poteſt: formas omnes eorum quæ cognoſci debent cōprehendere. Vtileq; illud præterea eſt, comprobari ſenſum omnem ſuiipſius percipiendi vim habere. Quoniam viſus colorem hunc intuens, id quoq; ſentiat, quod eum cognoſcat. Neq; enim ratio ea eſt, quæ primo cognoſcendi vim habeat. Quandoquidem particulare, atq; atomum illud eſt, quod cognoſci a ſenſu poteſt. Neq; alius vllus ſenſus hanc habet vim. quoniam nulli ex aliis quatuor id datum fuit. Non eſt autem alius præter quinq;. Ita vt & propter id neceſſarium ſit, nequaq̄ alium præter quinq; relictum eſſe ſenſum. Ne eo ſcilicet proprium vniuſcuiuſq; conſenſu percipiamus. Videturq; aut ſolum, aut in primis ſenſui illi, qui animalis rationis particeps exiſtit, id philoſophus tribuere, vt ſuiipſius quadam ratione cognoſcendi vim habeat. Ideoq; & in tertio libro id in medium affertur. Intellectus nanq; in primis, ac ſecundo loco rationis proprium, vt ſuiipſius cognoſcendi vim habeat: atq; eius vitæ, quæ a corporibus ſeparabilis eſt. Corpus enim propter partitionem, cum aliæ alibi eius particulæ collocatæ ſint, nequaquam eam habet vim, vt in ſeipſum conuerti queat. Quare ſenſu rationis ſpeciem, atq; formam referente id agit: qui licet haud omnino: at quadam ratione ab omni corpore diſſolutus eſt. Vnde itaque probatur, quod alius præter quinq; ſenſus non ſit? Neq; enim ex inductione fides fieri poteſt. Plura nanq; nobis immaniſeſta, q̄ manifeſta aīalia ſunt. Tū quidē mortalia. Tū vero quæcunq; cœleſtia reperiuntur. Neq; vero ex elementis id præſtari pōt: ita, vt proprie ſenſus vnicuiq; vnus cōcedatur: & vapor ille præterea ſit: cui odoratus aſcribi ſolet, & ignis quidē cōueniat viſus, aeri autem auditus: reliquiſq; reliqui, aquæ guſtus, ac terræ tactus. Neq; enim a ſolo viſu, ſed & a tactu quoq; ignis tanq̄ calidus cognoſcitur. Haud notū ita q; eſt, nunquid & alia quoq; quæpiā in eo reperiatur qualitas, quā nos ignoremus: qa is nobis deſit ſenſus qui eius percipiendæ, atq; comprehendendæ vim habeat. Vnde igitur quod quinque ſoli

Dubitatio.

Reſponſum ſint ſenſus Ariſtoteles comprobat? Ex viuaci illa perfectione, quæ in nobis eſt: & ex ſenſoriis, quæ non deſunt. Deeſſe nanq; ſenſus aliquis poſſet: aut quia debilis, ac quaſi arida vita illa facta ſit: quæ nequaquam omnibus agere queat: aut quia inſtrumenta deficiant: quæ ipſa ſunt ſenſoria. Si ita q; vita adſit perfecta: neq; vllum ex ſenſoriis deſit: par, atq; cõueniens, atque adeo neceſſarium eſt, vt his omnes adſint ſenſus. Quo autem pacto nobis perfecta definietur vita: atque ea quæ in mortalibus reperitur: de qua ſermo eſt? Quãdo quidem motus intus initium facit. Primuſq; natura motus ſecundum locum eſt: in iiſq; quæ ita mouentur perfectio mouentis vitæ inueſtiganda eſt. Verum haud in iis, quæ ex aliqua tantum parte id agunt, vt oſtrea: ſed in iis, quæ ſeipſa tota mouentur. Neque in iis, quæ indeterminate mouentur, vt vermes, & pulices: ſed in iis, quæ determinate. Neque in iis, quæ anguſtum habeant, quod determinatum, vt formicæ, & apes: ſed in iis, quæ vim ad intelligendum, atq; excogitandum aptam, atq; accommodatam præ ſe ferant: & in iis præſertim, quæ rationi obtemperare queant: quæq; a ratione dirigi: atq; ita aſſueſcere, vt quæ ab ea conſtituuntur perſpicere valeant. Haud parum autem & vita quoq; illa, quæ ſentiendi vim habet, obtinet perfectionis. Quæ hanc quoq; habet aptitudinem: vt cum ea quæ omnino ſeipſa præſtantior, atq; excellentior, coniungi queat. Id nanque excellentiæ etiam inditium eſt. Si ita q; hæc quidem perfectiſſima eſt: ex ſoliſq; quinque illorum ſenſuum formis hæc definitur: neceſſarium quoque alium nullam reperiri ſenſus formam. At nequaquam me illud nunc dicere ſuſpiceris: quod in iis, quæ rationem participant, vita illa tantum, quæ ſentiendi vim habeat, perfecta ſit. In profunditate nanq; perfectio collocata eſt. Nanq; hæc quidem perfectiſſima eſt: & quæ in aliis rationi audit: & quæ determinatum illud præ ſe fert: quod ad excogitandum, atq; intelligendum promptum, ac paratum, non autem in anguſtum redactum ſit. Imperfectum nanq; iam eſt, quod in anguſtum redactum: & quod indefinitum: & quod ſecundum locũ moueri non poteſt. Quod tamen huiuſmodi eſt, vt haud tanquam id, quod præter naturam, ſed tanquam id, quod ſecundum naturam, quæ extremo in loco poſita vitæ ſunt, atq; nõ ſine quadam tum obſcuritate, tum imbecillitate viuunt, definire valeat. Vnde & ſecundum naturam id imperfectum eſt: & eam obtinet poteſtatem, vt formas totas definiat. Quod quidem igitur, quatenus ad vitæ perfectionem ſpectat, in perfectis nullus deſiderari poſſit ſenſus, ſatis ſuperq; expoſitum fuit. Reliquum aũt eſt, vt conſideremus, nunquid inſtrumentum quodpiam, quod deſit, defectum hunc præbeat. Verum quoniam inſtrumentum quod ſentiendi vim habeat, aut ex omnibus elementis mixtum eſſe neceſſe eſt, aut ſimplex: inueſtigandum iam eſt, ex quibuſnam ſimplicibus ſenſoria cõſtare poſſit. Quibuſq; ſenſibus ſimplicia, & quibus quod mixtum ſit, dandum eſt: & vtrum omnia ſenſoria, quæcunq; reperiri poſſunt, in perfectis animalibus inſint. Quo neq; inſtrumentorum defectu ſenſum quẽpiam deficere, noſcamus. Quandoquidem igitur per quædam media prima ipſa ſenſoria: non autem ſine mediis, a ſenſilibus mouentur: perbelle ex iis, quæ in medio collocata ſunt, ſenſoriorum naturam certis quibuſdam motis philoſophus noſter aſſequitur. Nam cũ eam vtrunq; habeat vim, vt ſenſibilium actum recipere queat: media q; ipſa quaſi innate, ac nõ ſine continuitate actum ad ſenſoria perferant: ſuam cum illis innatam naturam, atq; permanentiam indicant. Exempli gratia pellucidum eſſe oportet, quod eam habet vim, vt viſibile ipſum recipiat. Vtriq; igitur id inerit, medio, atq; ſenſorio. Neq; ſine quadam conuenientia tranſitus ille ex altero fit: ita, vt vlla abſq; vi, & ſua ex natura fieri videatur. Ideoq; fere cum continuitate, atq; naturæ coniunctione fieri dicitur. Quare medium cum ſenſorio ſimilitudinem obtinet. Quæ igitur media ſunt? Alia quidẽ in nobis poſita: vt in tactu, & guſtu. Alia vero extrinſecus: vt in aliis ſenſibus. Ex iis vero quæ in nobis, alia quidem circa ſuperficiem: quæ & media omnino mixta ſunt. Quoniam mortalium animalium natura ſolido, atq; reſiſtenti indiget propugnaculo: qđ haud facile patiatur: licet neq; immobile eſſe debeat. Quapropter haud ſimplex, ſed mixtũ id exiſtit. Ex illis aũt mediis, quæ extrinſecus locata, duo ſunt ſimplicia, quæ eam habẽt vim, vt ſenſibilium actionẽ pducãt, aqua, & aer. Aut ſi mixta fuerint, horum omnino alterum in mixtione excellit. Neque enim ex terra conſtare valet: quia ea immobilis eſt: & cum difficultate quicquam patitur, aut eos recipit

Interrogatio.

Reſponſum

actus,

actus,qui ab aliis veniunt.Neque ex igne,propter eius agentem vim:quæ eam habet vim, vt alia moueat:atque aliis potius quæ sua sunt largiatur:q̃ aut vt ab aliis moueatur:quæq; in illis sunt recipere queat. Quo igitur pacto mixtum illud medium existit,quod in nobis reperitur: & cum quod terrenum proxime excellat: tangibilium, atque gustabilium sensibiles recipit actiones? Nunquid quoniam viuax est:& leue,atque aptum ab ea redditur vita,quæ in nobis est. At quo præterea pacto fax illa,quæ in aere apparet pellucida est, atque sonum perfert? Nunquid quoniam ignis ille elementaris est? Videtur autem nunc ignis qui comburendi vim habet,atque admodum feruet,dimitti. Tanquam id, quod ex se sensorium non sit. Quo fax, quæ in aere existit,haud comprehensa sit. An id quidem commune cum omnibus.Nihil nanque absque caliditate sentiendi vim habet. Quod vero comburendi facultatem obtinet,nihil sentit. Quoniam itaque duo ex simplicibus media sunt,aqua,& aer.Sit nanque & quod elementare in aere,aut commune quid.ex proximis,& sensoria.Habemus autem vtrunque,quæcunque perfecta existimus animalia. In perfectis itaq; animalibus non solum perfecta inest vita:sed & instrumentorum nullum deest.Neque sensus itaque vllus deesse poterit. Quod si ita sese habeat: quinque tantum erunt sensus.At præstantissimus ille Iamblichus multa nobis immanifesta animalia esse opinatur,tum diuina,tum nobiliora.Qui recte illud quoq; dicit:quod nequaquam opus est ex inductione sensuum numerum comprobari.Nam neque Aristoteles inductione nitur.Sed in vitæ perfectione suæ rationis vim omnẽ collocat:& in eo,q̃ nullo nobis opus sit sensorio. Qui cœlestium quoque sensum præstantiorem fatetur: & absque vlla affectione concedit:ita vt intus totus excitetur:nihilque iis,quæ extra mouent,indigeat:sed ipse ex seipso,& quo permaneat,atque sit:& quo sensilia cognoscat,satis superque sibi sufficiat. Nunquid igitur plures quam quinque propter hunc cœlestium ponendi sunt sensus? Profecto potius is cum illis connumerandus non est:tanquam causa cum iis,qui inde deducti,ac deriuati sunt. Ac tanquam is,qui eam habeat vim,vt hos omnes comprehendat.Quandoquidem neque communem sensum,qui in nobis est:tanquam sextum quinque illis adnumeramus:licet inseparabiliter iis adiunctus sit.Neque vllam id aliam ob causam facimus,nisi quia eam habet vim,vt communiter comprehendat.Multo itaque magis quod ab omnibus seiunctum est:quodq; seperabiliter, ac tanquam causa complectendi vim habet,adnumerandum non est.Præterea neque simpliciter diuersus ab his quinque cœlestium sensus est.Diuersitas nanque in rationibus collocata est.ex rationumq; discrimine & in sensibilibus quoque extat.Cœlestis vero sensus haud ea ratione diuersus: sed modo. Neque enim plura ibi reperiuntur sensilia, q̃ quæ a nobis comprehendi possunt. Tota itaq; eius,quod propositum fuit,demonstratio,huiusmodi quædam mihi esse videtur:quæ vitæ perfectioni inhæret,atque nititur.In iis attamen animalibus,quæ neque offensionem passa,atque oblæsa sint,neque sese præter naturam habeant. Atque ea etiam id ratione confirmatur:q̃ nullum ex instrumentis desit.Quod haud ex inductione,sed ex natura eorum instrumentorum, quæ sentiendi vim habeant, a philosopho comprobatum fuit.Nam duo quidem simplicia sunt:quæ in iis sensibus in vsu sunt:qui quæ procul nouerunt.Mixtum autem illud tactui datur.Quãdoquidem vel totum mortalis animalis corpus mixtum asserere licet. Reliquum vero iam illud est,vt necessario, gradatim, ac pedetentim dictionem hæc declarantem,interpretemur.

Dubitatio.
Responsum
Dubitatio.
Responsum primum.
Secundum
Dubitatio.
Responsum

CENTESIMAVIGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

QVOD autem non est sensus alius præter quinq;:dico autem hos,uisum, auditum,odoratum,gustum,tactum,ex his crederet aliquis.

EXPOSITIO.

Hæc quidem,vt geometrice loquar,quæstionis propositio est.Suæ vero orationis confirmationem hinc philosophus orditur.

SI ENIM eius omnis, cuius sensus tactus, & nunc habemus sensum. Omnes nanque ipsius tangibilis,quatenus tangibile affectiones,tactu nobis sensibiles sunt.

Quandoquidem quatuor ſolæ ſunt primæ paſsibiles qualitates, caliditas, frigiditas, ſiccitas, humiditas, ex quibus aliæ fiunt: vt in libris de ortu, atque interitu dictum fuit: quarum omnium comprehendendarum tactus vim habet: quandoquidem & primas illas omneis percipere valet. Tangibilia autem cuncta, quatenus tangibilia paſsibilibus figurantur qualitatibus: vt & in octauo naturalis auditionis libro id expoſitum fuit. Vnde diluciduim iam eſſe poterit, quemadmodum vere illud ſumptum fuit, omnes tangibilis affectiones, quatenus tangibile exiſtit, tactu cognoſci. Quod ſi tactus, qui extremus, atque infimus ex ſenſibus eſt, tangibilium nullum dimittit ignotum: omnino forſan & vnuſquiſque reliquorum propriorum ſenſibilium nullum non percipiet. Id nanq; ei conſequens eſt, quod ab Ariſtotele cum poſitione pronuntiatum fuit. Idq; illud fuit: *Si enim eius omnis, cuius eſt ſenſus tactus.* Id nanq; haud allatum fuit. Sed & alia quoque quædam quæ antecedunt, adducta fuere. Quia inquit, ſi deficit aliquis ſenſus, neceſſarium eſſe & ſenſorium quoq; deeſſe. Præterea & tertium illud, quod in medio confirmat. Et ſi nullum deeſt in nobis ſenſorium. At communiter pluribus his omnibus quæ ſumpta fuere philoſophus reſpondendo inquit. Omnes itaq; ſenſus habentur ab iis, quæ imperfecta non ſint. Si nanque non deeſt nobis ſenſorium: quod tertio loco ex illis quæ ſumpta fuere, colloca tum fuit: quia aut abſq; medio ſenſibilia ipſa: aut per aerem, & aquam mediam ea percipimus: habemuſq; & quod tangendi vim habet: & mediorum illorum vtrunq;, neq; ſenſus iam deeſſe poterit. Quandoquidem poſitum fuit, quod ſi aliquis ſenſus deſit: & ſenſorium quoque nobis deeſt. Hacq; ratione ad ſecundum illorum, quæ ex poſitione præceſſerunt: quod illud fuit, neceſſe ſiquidem deſit aliquis ſenſus & ſenſorium quoq; nobis aliquod deeſſe, allatum illud fuit, omnes itaque ſenſus habentur ab iis, quæ haud imperfecta ſint. Ad primumq;, quod illud eſt. *Si enim eius omnis, cuius eſt ſenſus tactus,* & nunc ſenſum habemus, id ipſum quoque adductum fuit: omnes nempe ſenſus habentur ab iis, quæ haud imperfecta ſint. Quandoquidem ita comprehenduntur omnes, vt nullum omittant ſuorum, atq; conuenientium ſenſibilium. Ex eo vero, quod tactu & nunc nos ſenſum habeamus eius omnis, cuius eſt ſenſus tactus: illa particula, & nunc; quæ addita fuit, illud indicat: q & antea in demonſtrationem trahebatur: quod ſcilicet ſoli quinque ſint ſenſus. Tactum nanque ita perfectum poſsidemus, vt nullum ex tangibilibus dimittat ignotum. Quod ex eo philoſophus confirmat, quod omnes affectiones tangibilis, quatenus tangibile: tactu nobis ſeſe ſenſibiles præbent. Siquidem, vt dictum quoque fuit, eam obtinemus vim, atq; facultatem, vt primas illas ſimplices qualitates, atque illas omnes quæ ex earum mixtione effectas paſsibiles dicimus, tactu cognoſcere queamus. Si itaq; tactus tangibilia omia cognoſcit, neceſſarium & aliorum ſenſuum vnumquenq;, eam habere vim, vt propria omnia ſenſibilia comprehendere valeat. Recte itaq; omnes contineri dicuntur ſenſus in iis, qui quinq; illos habent. Quippe cum neq; plures ſint: & vnus quiſq; nihil ſuorum ſenſilium, atq; ſibi conuenientium ignotum dimittat.

NECESSEQVE, ſiquidem deficit aliquis ſenſus, & ſenſorium aliquod nobis deeſſe.

Dubitatio. Id quidem ſecundum eſt, vt iam dictum fuit, ex iis quæ præceſſerũt, complexum. Quæ vero ratione neceſſe eſſe dicatur, par, atq; conueniens eſt, vt inſtemus. Propter quam enim cauſam, licet qui cernendi vim habet ſolus ſenſus deficiat: poteq; ſit vel aerium quoddam eſſe viſus inſtrumentum: non adeſt id ei, qui auditum habeat? Ita, vt ſenſorium quidem ipſi adſit: viſio vero abſit: quæ haud eo æque vtatur: atq; illo quod cernendi vim habeat.

Reſponſum Nunquid igitur duplex eſt ſenſorii defectus: alter quidem cum nequaquam ſubiectum adſit corpus: quod deficienti ſenſui vtile ſit? Quemadmodum ſi nullibi ſit ex ſe in quibuſdam animalibus aer, aut aqua immixta. Alter vero defectus eſt, cum ſubiectum quidem adſit: ſed haud exempli gratia, tanquam viſibile. Neque enim fruſtra, & tanquam cernendi vim habens ſubſiſteret, in eo quod cernere, intuerive aptum non ſit. Nunquid autem & in perfectis animalibus verior iſta exiſtit ratio? Vnde & nobis, non autẽ ſimpliciter Ariſtoteles dixit: ſi deſit ſenſus, & ſenſoriũ quoq; deeſſe. Nobis inq̃, qui quinq; ſenſus habemus.

Secundum

Nanq;

Nanq; si alius vllus sit sensus:corpus etiá aliud aliquod haberet sensorium. Vel his iuxta aliud aliquod vtetur. Aliud vero instrumentarium reperiri sensorium impossibile est. Quandoquidem neq; aliud vllum reperitur corpus,quod interitui obnoxiũ præter quatuor illa sit:neq; cœleste corpus tanquam instrumentum diuinæ illi suæ substratum animæ est. Neq; enim illud ipsa respicit, tanquam quæ vtatur:sed tanquam id, quod eius totum sit. Verum neque iccirco hæc ita sese habere existimes:vt ex aliquo alio sentiendi vim habeant. Vel in perfecta nanq; vita,aliqua posset esse vis,quæ ea vteretur. Quapropter necessarium est:quibus hæc non adest,non tamen ob aliquam læsionem, aut imperfectionem,neq; ipsum inesse instrumentum. In perfecta nanq; vita omnes adsunt vires,atq; facultates. Naturaq; conuenienter omnia concedit instrumenta,nisi præter naturá animantia ipsa priuata fuerint. Cum contra præsente vi,atq; facultate ipsum desit instrumentum. Quamobrem neq; vsquam iudicatum fuit,deficiente sensorio,ipsam deficere substantiã, quæ sentiendi vim habeat. Sed econtrario si sensorium non desit,neq; ipsum sensum deesse asserimus. Atq; in nobis id in primis apparet:qui quinq; ipsos habemus sensus, perfectiq; sumus:vtpote qui motu etiam secũdum locum certo,atq; determinato, moueamur.

CENTESIMAVIGESIMANONA PARTICVLA.

ET quæcunq; quidem ipsi tangentes sentimus,tactu sensibilia sunt: quem habemus. Quæcunq; uero per media,& haud ea tangentes simplicibus interuallis. Dico autem,ut aere,& aqua.

EXPOSITIO.

Tertium id ex iis,quæ sumpta fuerunt,est. Ex quo & se confirmaturum,philosophus sperat,neq; sensorium,neq; sensum nobis deesse. Quandoquidem enim necesse est, aut dum nos sensibilia tangimus sensu fieri,aut per media. Diuisioq; hæc huiusmodi est, vt nihil reperiatur medium:aliterq; fieri non possit. Quoniam enim sensus vita est,quæ cognoscendi facultatem obtinet. Corporaq; ea, quæ extrinsecus collocata sunt, cognoscere valet:& per sensorium quod corpus existit id assequitur:quod quidem sensorium ea figuratur vita, quæ cognoscendi vim habet:ideo necessarium sensorium ipsum, aut sensibilia ipsa tãgere: aut p alia quædã corpora media sensibilia ipsa ꝓcipere,atq; cõprehẽdere. Neq; enim id in vacuo assequi posset. Quo pferatur sensibilis actus ad sensorium. Sẽtẽtia nanq; Aristotelis est:quod & tactus ꝑ mediũ fiat. Verũ haud ita,vt extra ipsum sit mediũ:sed in nobis reperiatur. Ita,vt & ipsum eam vitam, quæ sentiendi vim habeat,viuat. Licet alterum ipsum præcipue sit sensorium. Si illud itaq; respiciamus,quod primo tangendo sentit: neq; tactus ipse absq; medio existit. Quatenus autem ad id spectat:quod simpliciter, ac quacũque ratione sentiendi vim habet,sine medio existit. Ac forsan ille qui appellatur consensus in nobis fit. Quando quæ in nobis sunt ex tactu sentimus:cum aliqua frigefasta, aut calefacta fuerit particula:præcipuumq; illud sensorium vim suam ad patiẽtem, atq; affectam particulam adpellit. Vitam igitur,quæ tangendi vim habeat,animalia omnia adepta sunt. Vitã vero illam,quæ per media sua sentit sensilia,licet ea non tangat:haud omnia. Quæq; id etiam obtinent: haud tamen iccirco sensilium omnem comprehendunt proprietatem. Neq; enim quæ odorandi vim habent,& audire quoq; valent. Neq; quæ soni cognoscendi facultatem obtinent,erga colorem etiam ita sese habent. Quo itaq; pacto determinatum fuit,& simplicibus interuallis,atq; his aere,& aqua,quæ mediis vtuntur,cognosci? & quod cum animalia vtrumuis eorum habuerint:vnumquodque eorum comprehendere poterunt:quæ per ea ambo media sensilia fuerint? Ita nanq; philosophus inquit. Quæcunque vero per media,& haud ea tangentes,simplicibus interuallis. Dico autem,vt aere,& aqua. Quod quidem igitur per duo hæc sola media,aerem,atq; aquam,ipse parumper progrediens demonstrabit. Illa vero particula,vt,adiecta fuit,cum dixit. Dico autẽ,vt aere,& aqua. Quo,vt opinor,illud demonstretur:quod haud duo hæc sola simplicia in medio collocata sunt:quæ sensibilium actum ad sensorium perferant: sed & quæ cuiusmodi ista sunt. Quemadmodum & fax illa,quæ vt aer est. & quæ compositæ quidẽ formæ sunt:sed exuperat aer,aut aqua:cuiusmodi oleum,& vinum,& nebulæ existunt.

Quõ cõsensus in nobis fiat.

Dubitatio.

Responsum

HABET autem ſeſe ita: ut ſiquidem per unum plura ſenſilia, diuerſa quæ inter ſeſe ſint genere, neceſſe eum qui habeat huiuſmodi ſenſorium, amborum ſentiẽdorum uim habere. Vt ſi ex aere eſt ſenſorium: & eſt aer, & ſoni, & coloris. Sin autem plura eiuſdem, ut coloris & aer, & aqua. Ambo nanq; pellucida. & qui alterum eorũ habet ſolum: ſentiet quod per ambo.

Si per vnum ex duobus illis mediis, qualecũq; illud ſit, plura ſenſilia in ſenſorium agere poſſunt: quæ diuerſa, inquit, inter ſe genere ſint: ita, vt ſub diuerſos ſenſus incidant. Neq; enim omnino genere diuerſa ſunt, calidum, & ſiccum, cum ambo tangibilia ſint. Sed color & ſonus. Quoniam alter viſibilis: alter vero audibilis. Amboq; tamen vel per aerem, quẽadmodum & per aquam ſenſilia ſunt. Redolenſq; præterea ſenſilium genus per vtrunq; ex mediis his agit. Neceſſarium itaq; eſſe philoſophus inquit, eum qui habeat huiuſmodi ſenſorium, aqueum inquam, aut aerium, aut quod ex altero horum elementorum exceſſu formam adeptum ſit: vtriuſq; ſentiendi vim obtinere. Atq; ita ſane loquitur, vt de duobus genere diuerſis verba facere perſpiciatur. Nam hanc ob cauſam, amborum, dixit. Iccirco q;, & duo quædam attulit, inquiens. Et eſt aer ſoni, & coloris. Verum propter quam cauſam, quod iam dicebamus, talpa nõ intuetur, cum aerem habeat, quo audit? Curq; & purapura non audit, cum id habeat, quo odoratur, ſiue aer, ſiue aqua exiſtat? Quoniam, reſpõdebo, neq; certum omnino eſt, neq; ſimpliciter verum affert, quod dictũ fuit. Sed in perfectis tãtum animalibus valet. Vnde, vt dictum fuit, de nobis etiam ſermonem philoſophus habebat. De nobis inquam, quoniam, & quæcunq; ipſi tangentes ſentimus, dixit. Nam cũ nobis perfecta ea adſit vita, quæ ſentiendi vim habet: neq; inſtrumẽta quæ ad tactum ſpectant profecto deſint. Neq; enim animal abſq; hoc eſſe poſſet. Cumq; neq; illa deſint inſtrumenta, quæ in perfectis animalibus ad eam pertinent vitam, quæ eorum percipiendorum vim habet, quæ per media comprehenduntur: licet alterum tantum mediorum adſit: attamen illi omnes, qui per media ſuam exercent actionem illo vterẽtur: vt exempli gratia, aqua, & aere, qui extra exiſtit. At cum haud adhuc oſtenderit, quod non ſola ſimplicia ſunt inſtrumenta, quæ in nobis reperiuntur: quæ ſenſibus illis, qui per media cõprehendẽdi vim habent, auxilium ferunt: ſed ex inductione tantum illud ſumpſerit, quod duo ſint media, aqua, & aer: nunc ſenſorium quidem aliquando vnum tantum ponit. Quod illud eſt, per quod plura illa, atq; diuerſi generis ſenſilia cognoſcuntur. Idq; facit Ariſtoteles dũ ſcribit. Vt ſiquidem per vnum plura ſenſilia, & quæ ſequuntur. Ita, vt plura ſint huiuſmodi media: & per vtrunq; eadem cognoſcantur: vt color & per aquam, & per aerem. Quod & tanquam verius diiudicat, præſertim cum & cauſam quoq; admoueat. Nam ambo pellucida eſſe inquit. Neq; enim quatenus, aer, aut quatenus aqua coloris perferendi vim habent: ſed ex illa pelluciditate. Statuit autem in prima illa poſitione noſter philoſophus, eũ qui vnum illud habeat, quod plura, atq; genere diuerſa perferre queat: eam habere vim, vt ambo quæ genere diuerſa ſint, ſentire valeat. Ita, vt de duobus, quemadmodum dictũ fuit, verba faciat. At in altera poſtea poſitione ſtatuit, eum, qui vtrumuis ex mediis habeat, illud ſentire per vtrunq; ſenſibile ſit. Verba nanq; illa in extrema particulæ poſita, dum per ambo dixit, ita interpretanda ſunt: vt is, qui alterum eorum ſolum habeat, illud ſenſu percipiat: quod per ambo etiam percipitur. Itaque, vt illud per vtrunque ſeparatim accipiamus: non autem tanquam ſimul, neq; ita, vt ex eo, quod ex ambobus cõſtat. Perfectæ nanque illi vitæ, & quæ intuendo agere poteſt, ſatis ſuperq; eſt: ſi vel vtrumuis tantum pellucidorum adſit.

Dubõ. Reſponſum

CENTESIMA TRIGESIMA PARTICVLA.

SIMPLICIVM autem ex duobus his ſenſoria ſolum ſunt, ex aere, & aqua. Pupilla quidem enim aquæ. Auditus uero aeris.

EXPOSITIO.

Quia illud ſuperius Ariſtoteles ſumpſit, duo tantum eſſe media, aerem, atque aquam: vult & ſenſoria ex his duobus ſolis ſimplicibus conſtare. Quandoquidem tactus ſenſo-

rium compoſitum eſt. Ex quatuor nanq; factum eſt elementis: atq; exuperat quod terreſtre eſt. Vna vero cum tactu comprehenditur & guſtus. Ex iis vero ſenſibus, qui per media quædam comprehendendi vim habet: pupilla quidem aquæ, auditus autem aeris. Odoratus vero alterius horum. Ac quia ex inductione philoſophus comprobauit duo ſola in nobis eſſe ſimplicia ſenſoria: atq; quia illud antea aſſumpſit, quemadmodum media duo ſunt: eadem quoq; vel ratione demonſtrauit: quod inquã duo ſola ſint ſimplicia ſenſoria. Quot enim, ac qualia quæ extrinſecus ſenſibilium perducẽdorum vim habent: tot, atq; talia, quæ in nobis illorum actum recipere valent.

ODORATVS uero alterius horum.

Aut quia in nobis quidem aer, in piſcibus vero aqua ſit: aut quia medium vtriuſque in omnibus ſit.

IGNIS uero aut nullius, aut communis omnium. Nihil nanq; ſine caliditate ſentiendi uim habet.

Nullius quidem ille eſt ignis, qui comburendi vim habet. Communis autem omnium ignis ille, qui elementorum naturam refert. Sin autem hæc ita ſeſe habent: & ſimplicia iuxta id, quod excellit, dici poſſent ſimplicia. Nanq; totum animal in vnoquoq; mortalium ex quatuor conſtat elemẽtis: & oĩs præterea eius particula. Quare & ſenſoria quoq; cõſtabũt.

TERRA uero aut nullius, aut in tactu in primis mixta eſt ſingillatim.

Nullius quidem illa ſimplex eſt. At in compoſitis reperitur, quæ admodum excellit. Quẽadmodum in oſſibus, & crinibus. In tactu vero in primis ſingillatim mixta eſt: quoniam & in aliis quoq; ſed haud perſpicue. Apparet autem tanquam exuperans in tactu. Atque ita, vt alia quoque manifeſtentur. Nam id ſenſoriorum eorum proprium eſt, quæ ſentiendi vim habent.

QVAPROPTER relinqueretur nullum eſſe ſenſorium, præter aquam, & aerẽ.

Hæc quidem dictio videtur quaſi ad aliã referri, propter coniunctionem illam ἄν, quã græci vtuntur: & vſus hoc loco Ariſtoteles eſt. Nequaquam tamen ad ea omnia refertur, quæ antea dicta ſunt. Neque enim ad ea pertinet, quæ de tactu, allata. Sed ad eam refertur dictionem, quæ ſuperius ſcripta reperitur, atq; inde incipit. Quæcunq; vero per media, & haud ea tangentes. Manifeſtior q; dictio redderetur, ſi quemadmodum Plutarchus cẽſet: hypotheticam illam coniunctionem ex communi quadam ratione, in omnibus iis, quæ præcedunt in ipſis verbis iam dictis, admoueamus. Quo ita dictio ſeſe habeat. Si autẽ quæcunq; per media, & haud ea tangẽtes, duo ſola ſimplicia interualla, aer, & aqua: tot autem & talia & quæ in nobis eſſe oportet ſimplicia ſenſoria: relinqueretur nullum eſſe ſenſoriũ præter aquam, & aerem. ſimplex inquam.

CENTESIMA TRIGESIMA PRIMA PARTICVLA.

HAEC autem & nunc habent quædam animalia.

EXPOSITIO.

Hæc intelligit duo illa ſimplicia: quæ vere aut ita excellunt: vt iam mixtio nõ appareat. Quædam autem animalia dixit, propter ea, quæ a græcis dicuntur ζωόφυτα, hoc eſt, animalia plantas referentia: in quibus nullus eſt eorum ſenſuum: qui per media percipere poſſunt. Vnde neque aer, neq; aqua ſimplicia ſunt ſenſoria. Quoniam in omnibus ambo non ſine mixtione ſunt.

OMNES itaq; ſenſus habentur ab iis, quæ non imperfecta, neq; mutila.

Id illud eſt, quod ad ea omnia aſſumpta, quæ præaccepta fuere, refertur. Si enim omnis cuius eſt ſenſus tactus, & nunc ſenſum habemus: & ſi deſit aliquis ſenſus, & ſenſorium quoq; aliquod nobis deſit: & ſi quæcũq; ipſa tãgẽtes ſentimus, tactui ſenſilia ſunt, quẽ ha-

bemus:quæcunq; vero per media,& haud ea tangimus ſimplicibus interuallis: dico autē, vt aere,& aqua:& ſi ſimplicium,ex duobus his ſenſoria ſolum ſunt, quæ & nunc habent quædam animalia:omnes nempe ſenſus habentur ab iis,quæ haud imperfecta,neq; mutila. Vbi illud obſeruandum,quod coniunctio illa nempe,aut ita nunc hic collocata fuit, vt quaſi explendi,atq; ornandi vim habeat:aut ita,vt quaſi ratione colligat:quippe cum & redditionibus,& concluſionibus quoq; apta,atq; accommodata ſit. At cum verba illa Ariſtoteles admouerit,ab iis quæ non imperfecta:manifeſtauit, quemadmodum hunc omnem ſermonem de perfectis animalibus habuit. Perfecta autem ſunt,quæ eam obtinēt poteſtatem,vt diſpoſite,ac non ſine ordine quodam progrediātur. Imperfecta vero,quæ eam non habent vim,vt progrediantur. Quæ imperfecta dicuntur, haud quia ea vita priuata ſint,quæ eorum formæ cōueniat. Omnia nanq; quæ eiuſdem ſpeciei eiuſmodi ſunt. Sed quia eis illa deſit vita,quæ animaliū generi quatenus animalia ſunt,ineſt. Quatenus animali enim ſimpliciter,quod ſentiendi vim habet,ineſt. Quibuſcunq; itaq; non omnis illa ſentiendi vis adſit:ea haud quatenus huiuſmodi animalia:ſed quatenus animalia ſimpliciter ſunt imperfecta. Mutila vero dicuntur,quæcunq; atoma & ab eo deſeruntur ſenſu: qui eis,quæ eiuſdem ſunt ſpeciei,conuenit. Aut quia in ipſo ortu,oblæſa fuerint:aut quia aliquo poſtea inſtrumento priuata ſint.

APPARET enim & talpa,ſub pelle habens oculos.

Licet enim hæc progrediendi vim habeat:attamen non intuetur. Verum id eam ob cauſam factum fuit,quia maiorem ipſius eſſe in ea,natura ſibi curam habendam putauit: q̄ ipſius bene eſſe. Nam talpa facie terram effodit:atq; inde nutritur. Nunquid autem haud exacta huiuſmodi cauſa eſt: quæ prouidentiam conſequentem faciat: quæ tamen præcedere debet,tum ipſum eſſe:tum bonum illud,quod ad quæcunq; ſpectet. Verum propter animalium omnium permanentiam,non ſolum ea eſſe dicemus,quæ perfecta: ſed & extrema,& media:cum nullibi vacuum implicetur: neq; medium inter ipſum progreſſum exiſtat. Intelligendum itaq;,vt opinor,illud in talpa eſt:quod haud certa,atq; exacta priuatio eius facultatis,atq; actionis,quæ cernendi vim habet,in ea reperitur:ſed perſpicuæ, atque manifeſtæ tantum poteſtatis priuatio eſt. Nanq; ipſius compos,atq; particeps eſt:ſed ita,vt tanquam per tunicas intueatur. Cuiuſmodi quoq; nobis etiam conſenſus quidam luminis per palpebras fit. Neq; enim fruſtra ſub cute animali illi oculi adeſſent: niſi & ſub cuti agere etiam aliquid poſſent. Sed exiliter,atq; in tenebris ob imbecillitatem id eis datum eſt. Quemadmodum & quæ noctu vagantur,id aſſecuta ſunt.

Dubitatio.

Reſponſum

CENTESIMATRIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVARE niſi aliquod aliud eſt corpus,& paſſio:quæ nullius ſit eorum, quæ hic corporum:nullus deeſſet ſenſus.

EXPOSITIO.

Eam ſane,quæ hactenus dicta fuere,habuerunt vim:vt id ipſum demonſtrarent:ſolos inquam quinq; eſſe ſenſus:iiſq; qui hos habent, nullum deeſſe. Vnde & ita hæc adducta fuere:vt quaſi concludant,atq; colligant:quæ antea erant dicta. Nam ad finem vnum ſpectant. Particula q; illa,Quare,huiuſmodi eſt:vt concludendi facultatem obtineat. Demonſtrat autem & alio modo,quod a principio propoſitum fuit. Quæ nanque hactenus dicta fuere,eam confirmabant quæſtionem:quæ ex perfecta vita ſentiendi vim habente, & ex illa indeficienti inſtrumentorum redditione exponebatur. Hæc vero dictio ex ipſis ſenſibilibus idem mihi nobis in memoriam reuocare videtur. Si nanq; quinque ſola ſunt ſimplicia corpora:vt in tractatione de cœlo expoſitum fuit. Omneſque ſenſus circa horum ſubſtantiam verſantur:ita tamen vt quo ad qualitatem,aut quantitatem,aut aliquam nouem illorum generum(quæ accidentia ſunt)proprietatem ſpectat,accedant. Subſtantia nanq; huiuſmodi eſt,vt ratione,atque intellectu,non autem ſenſu cōprehendi poſſit. Patet,quēadmodum nullus deficeret ſenſus. Quinque nanque hi ſenſus eam habent poteſtatem, vt quinque illa corpora,quo ad proprietates ipſis conuenientes ſpectat,cognoſcāt. Si itaq;

Sententiam hāc agnoſce

neque

neq; corpus eſt aliud vllum, præter illa quinque, vt iam demonſtratum fuit: neq; paſſio, quæ vllius ſit eorum corporum, quæ hic reperiuntur. Vbi illud adnotãdum eſt, quod paſſiones philoſophus intelligit, formas illas, quæ poſt ſubſtantiam accedunt: & circa eam collocatæ ſunt: vt figuras, & magnitudines, & motus, & colores, & ſonos, & odores: quæ formæ ſunt aliis ſubſtantialibus appenſæ, & propter hanc quoq; cauſam in illis ſubſiſtentes: vnde & paſſiones quoq;, affectionesve vocatæ ſunt. Hocq; loco corpora vocat, non ſolum quæ ſub lunæ reperiuntur globo: ſed & quæcunq; in toto mundo extant. Si itaq; impoſsibile eſt, aut corpus eſſe aliud, aut paſſio alius corporis: quia ex his omnino ſenſilia conſtent: quemadmodum ille iam confirmare poſſet, qui exactam, atq; certam ſubſtantiæ eorum adeptus erit ſcientiam: ex qua & conſequentia omnia qualia, ac quanta ſint cognoſceret: nullus iam deeſſet ſenſus.

Paſſiones ſs Ariſtoteles vocet.

CENTESIMATRIGESIMATERTIA PARTICVLA.

AT VERO neq; communium pote eſt eſſe ſenſorium ullum propriũ: quæ vnoquoq; ſenſu ſentimus ſecundum accidens. vt motum, ſtatum, figurã, magnitudinẽ, numerum unum. Hæc nanq; omnia motu ſentimus, vt magnitudinem motu.

EXPOSITIO.

A nobis iam determinatum eſt, quorumnam ſenſus per ſe ſit: a quibus ſenſorium afficitur. Quorum q; per accidens. Ita, vt ſenſibili inſint: nequaquam tamen ſub eundem ſenſum cadant. Quemadmodum viſus per ſe quidem illud bilis flauum ſentit: per accidens autem illud amarum. Nam afficitur a flauo, ab amaro uero minime. Nam id quoq; percipi dicimus: quia in bile vna cum flauo inſit. Atque id tunc accidit cum amari ipſius proprius adſit, non ſine eo, qui antea effectus attamen eſt, ſenſus. Ita, vt flauum ſpectando, & de amaro quoque aliquid anima cogitet. Determinatum autem fuit, quemadmodũ quod per ſe duplex eſt: aut præcipue, & per ſeipſum ſub ſenſum cadens: aut ſecundo loco, & fere cauſam conſequens. Quod agit quidem & ipſum in ſenſorium: ſed vna cum alio, quod omnino præcedat. Quoniam rei magnitudinem, atq; figuram viſus cernit: ſed propter colorem quadam ratione afficitur tum a magnitudine, tum a figura: licet ita, vt & quæ colorata ſunt vna cum colore agant. Quæ quidem igitur præcipue ſecundum ſe ſenſilia, ea ſunt, quæ vniuſcuiuſq; ſenſus propria. Quæ vero ſecundum ſe quidem, ſed quæ cũ propriis præcipuis ſecundo loco cognoſcuntur, ea ſunt, quæ cõmunia dicuntur. Quæ haud vno ſolo ſenſu, quemadmodum propria: ſed pluribus, aut omnibus cognoſcuntur. Cum itaq; philoſophus demõſtrarit, minime vllum nobis deeſſe ſenſum: quia neq; alius præter quinq; ſit: fere inſtantiam ſoluit: quæ ſtatuit vel communibus proprium aliquem aſſignandum eſſe ſenſum. Tanquam ſecundum accidens vnuſquiſq; ex quinque ea cognoſcat. Nam cum amarum viſus in bile ſecundum accidens ſentiat: alius eſt, qui ſecundum ſe id cognoſcat: iſq; guſtus eſt. Vnde neceſſariũ eſt, & cõibus propriũ adeſſe ſenſum: ſi alii ſecundũ accidens ea pcipiunt. Id aũt qđ ſecũdũ accidẽs ab vnoquoq; eorũ quinq; cõiter cognoſci dicerẽt, qui ſenſum illũ munire vellẽt. Quapropter & ita, quoq; Ariſtoteles locutus eſt. Quæ vnoquoque ſenſu ſentimus ſecundum accidẽs. Ita, vt id ab eis dici intelligamus: haud tamen verum exiſtere, quod ſecundum accidens id fiat. Quemadmodum cõfeſtim demonſtrat: cum tamen antea demonſtrarit, quæ communia ea ſint. Ea nanq; omnia motu ſentimus. Quia aut ſenſorium aliquid a ſenſibili patiatur: tanquam diſiunctum, aut collectum: aut & abſque affectione ſecundum actum extrinſecus, dum actum ſenſibilis recipit. quemadmodum aer lumen. Anima vero quæ ſentiendi vim habet, ex ſenſorii affectione, vt dictum fuit, ſentit. Atque is ille eſt actus, qui extrinſecus accedit: hicq; ille animæ appulſus, qui cognoſcẽdi vim habet. Quia extrinſecus excitatur: atq; in ea, quæ extra collocata ſunt, dirigitur. A communibus quidem igitur mouetur, & patitur quilibet ſenſus: Ab iis vero, quæ ſecundum accidens nulla ratione. Quare quæ communiter ſenſilia nõ ſunt ſecundum accidens ſenſilia. Neq; propter hanc cauſam alium æquum eſt, requirere in ipſis ſenſum. Atq; adeo ex neceſsitate haud alius aliquis eſſet iis determinatus proprius ſen

Quod p ſe l ſẽſu duplex

ſus:quippe cum plures ipſa per ſe cognoſcant:propter affinitatem illam,quã inter ſe mutuo ſeruant.Opponitur nanq; quod proprium communi.Communiſq; illa vis, quæ in pluribus reperitur,nequaquam ex altera parte iis opponi poſſet,ita,vt & propria quoque ſit,exempli gratia,magnitudo motui.Quod nanq; & tanquam magnitudo in ſenſorium agat,ſenſibile ipſum:detrimentum illud indicat,quod a niue tanquam,viſui fit:vbi per immenſum agrorum ſpatium diffuſa fuerit.Prætereaque & ſonus ille,qui ex magno lapide magis percutiat,id quoq; apertius declarat.

QVARE & figuram.Magnitudo nanq; quædam & figura. Ipſum uero quieſcens,quia non moueatur.Numeruſq; negatione continui,& propriis.

Subiecti nanq; ratione,tanquam materia magnitudine vtitur.Quemadmodum & mẽ ſæpedem lignum dicimus.Quoniam ſub quali omnis eſt figura.Quo itaq; pacto,motus? Non quia ſenſilia omnino moueantur:ſed quia quod mouetur ab eis mouetur.Cum igitur magnitudinem,& figuram motu cognoſci dixerit:ipſum quieſcens,quia non moueatur,inquit.Quo explanet,qua ratione illud,motu,dictum fuit. Quoniam inquam haud quia ipſa moueantur.Ipſum nanq; quieſcens,licet non moueatur:attamen cognoſcitur. Quia tametſi ipſum non moueatur:attamẽ ſenſum mouet.Neq; enim,vt arbitror,inquit, ex priuatione motus ipſum quieſcens cognoſci:quia non moueat:quemadmodum tenebræ viſum non mouent.Antea nanq; dictum fuit,quemadmodũ omnia motu ſentimus, & ipſum etiam ſtatum.& qua ratione nunc dicatur.Haud quia ſcilicet ſtatus ipſe moueatur:ſed quadam potius ratione afficiatur ſenſorium:& ad actionem vita illa, quæ ſentiẽdi vim habeat,prouocetur.At neq; numerus in negatione continui,tanquam in priuatione collocatus fuit.Nanq; numerus per ſe ſenſibilis:quemadmodum ipſum vnum.atq; eam habet vim,vt ſenſum mouere poſsit.Haud vero ita cognoſcitur,vt tenebræ:quia viſus ad eas cernendas non accedat.Aut quemadmodum quod ſine ſono auditu cognoſcitur.Verum quandoquidem opponitur quod vnum multitudini:atq; ita, vt multitudo colligat ſimul illud vnum,quod continuum,iuxta vnumquodq; eorum ex quibus conſtat multitudo.Quoniam in ſenſibilibus ipſum vnum,tanquam continuum,eſt vnum.Haud tamen in omnium collectione,quia continuum,vnum apparet.Nanq; numerus cum vnus exiſtat:non ſine diuiſa illa collectione,& vnus eſt,& cognoſcitur.Nequaquam autem,tanquam continuus.Atq; id indicat illa continui negatio:quod haud tãquam ſolum vnum. Id nanq; omnino continuum in ſenſibilibus.Sed tanquam id,quod in collectione multorum,quæ huiuſmodi collocatum ſit. Ita,vt collectio continuitatem reſpuat.Illud vero & propriis,haud ad numerum mihi referendum videtur:ſed ad id,quod ſuperius dictũ fuit. Ita,vt iungas cum eo.omnia enim hæc communiter ſentimus,id & propriis.Quoniã hæc quidem mouent,quæ communia ſenſilia.Nam hæc propria illa,vt iam dictum fuit,tanq; præcedentia,atq; agmen ducentia,conſequuntur.

VNVSQVISQVE enim unum ſentit ſenſus.

Præcipue quidem proprium,quod vnum ſpecie exiſtat.exempli gratia in viſu. Vnum nanque color,aut lumen.& ſonus in auditu.& in tactu præterea vnum:quod ex paſsibili qualitate,aut alia quacunq; ratione determinatur.Licet cõmune non habeamus nomen.

CENTESIMA TRIGESIMA QVARTA PARTICVLA.

QVARE patet,quod impoſsibile cuiuſcunq; proprium eſſe ſenſum horum,ut motus.Sic nanq; erit.

EXPOSITIO.

Nanq; ſi aliquis eſſet ſenſus communium ſenſilium proprius,diſtingueretur,atque diuideretur reſpectu aliorum:& nullus ante illum ſecundum ſe ageret. Nunc autem agunt,& mouentur ab ipſis. Quare ſi vllus eſſet eorum proprius:ſic alii ſeſe haberent ad illa.

Quemadmodum

QVEMADMODVM nunc uiſu dulce ſentimus. Id autem quoniam amborum habemus ſenſum.

Secundum accidens ſcilicet. Quoniam amborum habemus ſenſum. Diuerſe profecto. Nam colorem viſus, dulce autem guſtus reſpicit.

QVO cum coincidant, cognoſcimus.

Quo dixit ſcilicet ſenſu: pro eo, quod eſt, ſecundum quod. Ex eo quod duos diuerſos habeant, cum concurrant. Id nanq; illud coincidant, ſignificat. Quo ſimul idem & tãquam flauum, & tanquam dulce nos ſentire, cognoſcamus. Qm̃ flauum id, dulce quoq; exiſtit.

SIN autem non, nullo pacto. Sed uel ſecũdum accidens ſentiamus. Exempli gratia, Cleonis filium, non quia Cleonis filius. Sed quia albus. Id autem euenit filio Cleonis eſſe.

Niſi ex concurſu diuerſorum ſenſuum, non fit amborum ſimul cognitio. Quemadmodum cum nos flauum aſpexerimus, & tanquam dulce illud idem iudicemus. Quia iam ex cõcurſu in eodem ſenſerimus. Hac enim ratione & quod Cleonis filius, ille qui accedit, ſit, ſcimus: quia eum admodum album eſſe viderimus. Haud attamen nunc quod Cleonis filius ſit, audimus: ſed antea id ſenſu percepimus.

COMMVNIVM uero habemus ſenſum iam communem, non ſecundum accidens. Nequaquam itaq; ſunt propria. Nulla nanq; ratione ſentiremus. Sed ita, quẽadmodum dictum fuit, Cleonis filium nos intueri. Quæ uero inter ſe propria ſecundum accidens ſentiunt ſenſus.

Quoniam cum intueris quod flauum eſt: & magnitudinem quoq; eius conſideras, aut motum. Agitq; iam viſus iudicando, vel in magnitudinem quoq;: dum & eius quoq; colorem cernit. Atq; id, illa particula iam, indicat. Communem autem, inquit philoſophus, communium ſenſum. Non quia in illa multorum collectione contrahendo agat: ſed quia vnicuiq; illorum multorum adſit: propter mutuam eorum affinitatem. Neq; enim ita diuiſi ſunt ſenſus, vt nihil inter ſeſe commune habeant. Vnde & quod vnicuiq; proprium, & quænam ea ſint, cognoſcunt. Alio itaq; modo communis dicitur ſenſus: qui in illo multorum concurſu iudicat idem & dulce, eſſe, & flauum: cum ſimul quidem circa mel, & viſus tanquam circa flauum agat: & guſtus tanquam circa dulce: neuter autem circa vtrunque: ſed alter in vnum duo contrahat. Quem communem appellamus ſenſum: quia in illo propriorum concurſu plura ſimul iudicet. Alio autem modo cõmunis dicitur ſenſus, qui eam habet facultatem, vt communia comprehendere valeat. Quippe cum vnuſquiſq; præter proprium & commune quoq; habeat. Quemadmodum duos habere pedes communiter hominibus ineſſe dicimus, quoniam vnicuiq; ineſt. Illo autem modo communiter digitorum quinquenarium aſſerimus numerum: quippe cum ſimul non ſine quadam collectione exiſtant. Concludit itaq; noſter Ariſtoteles, quod non eſt proprius vllus communium ſenſus. Nullo nanq; pacto ea ſentiremus. Sed nũquid ita, quemadmodum dictum fuit. Quia Cleonis filium hic album viderimus. At neque ad id referre poſſumus: quod antea ſenſerimus. Nam quia eorum proprium non habemus ſenſum: nunq̃ ea ex ſe cognoſceremus. Quo itaq; pacto ſecundum accidens ſentiunt ſenſus?

Cõis ſenſus vno modo.

Cõis ſenſus alio modo.

NON quatenus ipſi: ſed quatenus unus. Cum ſimul ſenſus in eodẽ fiat. ut, quod bilis amara, & flaua.

Tametſi corporum formam referant: quoniã inſeparabiles a corporibus vitæ hæ ſunt: attamen apparet & in eis, quod commune cum illa ſubſtantia eſt: quæ ſine corpore exiſtit. Quia incidit in diſiunctionem coniunctio. Nanq; hæ perſpicue inter ſe diuiſæ ſunt. Vt indicat actus ille proprius vniuſcuiuſq; qui circa aliquod determinatum agit. Et abſq; vlla

partitione iunguntur. Quemadmodum contra sensus, qui ea simul cognoscit: quæ cũ diuersa sint, a diuersis quoq; sensibus comprehẽdi debent: manifestat. Neq; enim visus eam habet vim, vt quod dulce est percipiat: neq; gustus quod flauum. Sed tamen vnus quidã, atq; idem est: qui ambo simul cognoscit. Neq; eum etiam fugit eorum diuersitas: atq; amborum in eodem conuenientia. Isq; communis appellatur sensus: quippe cum in imparti-
Cõis sensus in qbus collocatus. bili quadam, atq; mutua omnium coniunctione collocatus sit. Neq; enim alia ratione, q̃ cum vnoquoq;, quod vnicuique proprium sit, cognoscit. Quatenus quidem igitur diuisi sunt, quod vnicuique proprium cognoscit. Ex impartibili vero illa eorum coniunctione: quando non solum multi, sed vnus quoq; omnes sunt: & quæ mutua sunt, cognoscunt. Secundum accidens quidem cognoscit, quatenus diuisus est. Per se vero quatenus vnus. Hoc enim pacto, vt opinor, Aristotelis verba exponere debemus. Quæ inter se propria secundum accidens sentiunt sensus. vt visus quod dulce. & gustus quod album. Quia nanque dixit, quæ inter se, & quæ aliorum sint, manifestauit. Non quatenus ipsi, inquit. Hoc est, haud cum vnusquisq; ipse per seipsum agat. Quando & tanquam diuisi agunt. Tunc enim neq; secundum accidens. Sed quatenus vnus, atq; coniunctim. Nam plures illi circa id, quod proprium vnicuiq;, & in vnum impartibile contrahuntur. Tunc enim secũdum accidens, quæ inter se propria cognoscunt, dum iunguntur, atq; in vnum contrahuntur. Nam vnus ille per se omnia cognoscit: illi vero tanquam diuisi secundum accidẽs. In vnũ autem rediguntur, cum simul fiat sensus de eodem. Exempli gratia de bile, quod amara, atq; flaua. Opus nanq; est, & visum flauum illud bilis, & gustum amarum, simul sentire. Quo cum communis ambo per se cognoscat: vterq; eorũ per accidens, quæ alterius sunt, percipiat. Quod nanq; communis ambo per se tunc cognoscat, indicat, dum infert,

NEQVE enim sane alterius ipsum dicere, quod ambo unũ. Quapropter & decipitur: & si sit flauum, bilem arbitratur esse.

Ambo, hoc est, flauum, & amarum. Quoniam igitur, quod ambo passum sit, haud ad alium sensum nouisse spectat: q̃ ad eum, qui vtrũq; per se cognoscit: ideo etiam decipitur. Et si sit flauum bilem arbitratur esse. Tunc inquam, cum haud ambo simul agant: sed solus visus, propter priorem illum amborum cõcursum, qui iam factus est. Atq; in illa prioris actione. Qui simul quoq; refert quod reliquum est ad cõmunem. Verum ita, vt interdum id vere, aliquando autem falso ab eo fiat.

CENTESIMATRIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

INVESTIGARET autem aliquis, cuiusnam causa plureis habemus sensus, & non unum solum.

EXPOSITIO.

Communium subintelligere debemus. Perbelle nãq; Plutarchus philosophus nouit, quod haud nunc simpliciter Aristoteles inuestigat, propter quam causam haud vnum tãtum habemus sensum, sed plures. Huius nãq; rei aliæ sunt causæ, vt diuersa sensibilium multitudo: partibilisq; illa geniti corporis ad diuersos sensus aptitudo. Sed propter quam causam communia pluribus percipimus sensibus: non autem vno solo. At & causæ reddi tio inuestigationem ipsam nctam, atq; manifestam reddit.

NVNQVID quo non lateant consequentia, & communia, ut motus, & magnitudo, & numerus?

Quod nanq; omnibus sensibilibus, quatenus sensibilibus, insit motus, & aliorũ vnũquodq; inde cognoscimus, quod sensus omnes hæc percipiant. Inde nanq; simul q̃ diuersum communium vnumquodq; ab eo quod vniuscuiusq; proprium: & quod ita diuersum, vt communiter omnia consequatur, nouimus.

SI NANQVE esset uisus solus & ipse albi, lateret magis. & uiderentur idem esse omnia, quia consequuntur inter se simul color, & magnitudo: Nunc autem quo-

niam

niam in altero ſenſibili cõmunia inſunt, manifeſtum facit, quod aliud quid unumquodq; eorum.

Loco coloris, nunc album protulit. quemadmodum ſubinferens manifeſtat. quia cõſequuntur inter ſe ſimul color, & magnitudo. Et propter hanc cauſam minus nouiſſet magnitudinem: quippe quæ haud vna & cum aliis ſenſibilibus exiſtat. cum ſolo nanq; colore videretur. Neq; enim tunc ita cum albo, vt & in nigro appareat. Sed cum colore. Cũ quo idem videri poſſet: non ſolum ratione, ſed etiam ſubiecto, quia alia quoq; conſequitur tũ color, tum magnitudo. At quam ob cauſam, & nunc, lateret magis, Ariſtoteles dixit, & antea quoq; aut qua ratione minus lateret: cum & nunc etiam quadã ratione lateat? Nunqd quoniam & nunc exactam diuerſitatem communium ſenſilium reſpectu propriorum ratiocinatione, non aũt ſenſu capimus, atq; eligimus? Neq; enim diiudicat ſenſus: niſi tanq̃ genus diuerſum ſit, quod commune abiis, quæ propria dicũtur. Quẽadmodũ color ſeſe habet reſpectu ipſius albi, atq; nigri. Quod ratio arguit propter generum diuerſitatem. Dubitatio. Reſponſum.

CENTESIMA TRIGESIMA SEXTA PARTICVLA.

QVONIAM autem ſentimus, quia cernimus, & audimus: neceſſe aut uiſu ſentire, quia cernit, aut alio. Sed & idẽ erit ipſius uiſus, & ſubiecti coloris. Quare aut duo eiuſdẽ erũt: aut ipſe ipſius. Præterea uero aut & alius eſſet uiſus ſenſus: aut in infinitum progrederetur: aut ipſe quidam erit ipſius. Quare de primo id faciendum.

EXPOSITIO.

Totum, vt iam dictum fuit, philoſophi propoſitum, in tertio hoc libro in humanam dirigitur animam. Quapropter & a principio tanquam de hominibus inueſtigans, ad noſq; referens, ſermonẽ habet. Nam & nunc habemus ſenſum, dixit, & tactu nobis ſenſilia ſunt. Et ſi deſit aliquis ſenſus: & ſenſorium quoq; aliquod nobis deeſſe. & quæcunq; quidem ipſa tangentes ſentimus, tactu ſenſilia ſunt: quem habemus. Atq; quoniam perfectam noſtram ſentiendi vim habentem vitam demonſtraret, eum quoq; ſermonem in mediũ adduxiſſe videtur: quod haud plures in perfectis animalibus, q̃ quinq; ſint ſenſus. & quod neq; communium proprius aliquis ſenſus ſit. Quo quãtum ad ſenſus ſpectat, nihil in homine deſiderari poſſe declaret. Verum id cum aliis quoq; permultis animalibus commune eſt. Sentire vero quod ſentimus: id ſolius hominis proprium mihi eſſe videtur. Huiuſmodi nanq; vis, quæ eſt in ſeipſam conuerti, eius eſt animæ proprium: quæ rationis particeps exiſtit. Atq; inde demonſtratur: quod ad ſenſum vſq; noſtrum, quod rationis particeps peruenit. Siquidem vel hominis quoque ſenſus eam habet vim: vt ſeipſum percipere queat. Quod nanq; ſentit: quodam pacto ſeipſum cognoſcit: cũ q; ſentiat, ſeipſum cognoſcat. Hancq; ob cauſam in ſeipſum cõuertitur: ipſumq; ſuiipſius eſt. Ac iam multo magis, quod ſeparabile eſt a corporibus id indicat. Nam corpus omne cũ alias alibi ſuiipſius particulas collocatas poſſideat: nulla ratione in ſeipſum coire poſſet. Quod enim huiuſmodi eſt, in impartibile colligitur. Omne autem corpus partibile eſt. Noſter itaque ſenſus rationis particeps eſt. Nanque vel ipſum quoque corpus præclara cum ratione figuratum eſt. Atq; eſt: quod tamen Iamblichus inquit: ambiguus noſter ſenſus cum eo, qui ratione caret. Licet totus ad corpus vergat: nam & in ſeipſum colligitur. Nequaquam tamen ea ratione, quemadmodum intellectus: neq; quemadmodum ratio. Neq; enim eam ſenſus habet vim: vt ſubſtantiam, & vim cognoſcere queat. Neq; a ſeipſo omnino excitatur. Sed ſuã tantum actionem cognoſcere valet: & quando agit. Agit autem cum a ſenſibili quadam ratione mouetur. At cum Ariſtoteles tanq̃ omnium confeſſione ſumpſerit ex noſtro illo cõſenſu: quod nos ſentiamus, quod cernimus: & eodẽ modo quod audimus, in aliiſq; eodẽ modo: cõfeſtim demõſtrat: qd haud aliquo vllo ſenſu id facimus: ſed eo ipſo ſenſu, quo ſentimus. exẽpli gratia viſu, quod videmus. Idẽnãq; ſenſus in huiuſmodi ſenſu eſt: q tũ viſus, tũ ſubiecti coloris exiſtit. Id autem eſt: huius coloris: qui quidẽ color viſui nunc ſubiectus eſt. Vnde quod neq; ratio ſit: quæ id per ſe cognoſcat, demonſtratur: neq; alius vllus ſenſimpli. de Anima.

ſus.Neq; enim ratio eam habet vim: vt atoma ex ſe cognoſcere valeat. Neq; alius ſenſus, qui colorem, aut lumẽ percipiat, reperitur. Quoniam id viſus propriũ eſt ſenſibile. Quod vero eum cognoſcit ſenſum: qui eam habet vim: vt colorem hunc intueatur: tanquam intuentem: & colorem quoq; qui cernitur, cognoſcere neceſſarium eſt. Vna quidem igitur hæc eſt demonſtratio: quæ ex propria natura vniuſcuiuſq; ſenſus ſumpta fuit. Quæ in proprium ſenſibile directa fuit: atq; in eo perfecta eſt. Altera autem ex deductione ad impoſsibile fit. Nanq; ſi alius ſenſus ſit: qui viſum cognoſcat, quod cernat: conſequens iure eſt: & illum cognoſci agentem: quod agit. Quod ſi vnicuiq; horum quinq; ſenſuum datum eſt: multo magis id ille conſecutus erit: qui eam habet vim, vt non ſolum ſenſilia: ſed ipſos quoq; ſenſus comprehendere valeat. Cognoſcetur itaque, aut ab alio, & is, & ille ab alio. Ita, vt ex infinitate contingat euerti huiuſmodi conſenſum: cum nihil ſit primum. Aut aliquis erit ſenſus: qui eam habeat vim, vt ſeipſum cognoſcere valeat. Sin autem id ita ſeſe habet: & viſui, & vnicuiq; ipſorum quinq; id dandum eſt. Siquidem omnino aliquis ſenſus eſt: qui ita aptus, atq; paratus eſt, vt ſui ipſius percipiendi vim habeat. Si nanque & tanquam rationis particeps: at & primi quoq; rationis participes erunt. Cum & fictus inſuper ille ſit ſermo: qui alios ſenſus præter quinq; illos ponit. Tum ob ea, quæ antea dicta ſunt. Ex quibus quæ perfectio in quinq; illis collocata ſit, oſtendebatur. Tum quia omnis ſenſus in primis alicuius ſenſibilis: non autem ipſius ſenſus eſt. Nanq; cum ipſius ſenſus ſit: & ſenſibilis quoq; ipſius, cuius eſt ſenſus exiſtit. Propriũq; aliquod habet ſenſibile, quẽad modum & vnuſquiſq; ipſorum quinq;. Quid igitur? nunquid ſenſui illi, qui communis dicitur, munus id præſtans dandum eſt? Vel nec quicquam ſolus ipſe communis cognoſcit: ſed vna cum vnoquoq; illorum quinq; agens. Et viſum itaque cognoſcit: & colorem circa quem viſus agit, vna cum ipſo viſu cognoſcit. Haud ad ſolum igitur cõmunem ſpectat ſenſum: ſed & ad vnumquenque eam habere vim, vt ſeipſum cognoſcere valeat. Licet id puriori quadam ratione ipſius communis ſit. Quandoquidem & magis indicat quod ſeparabile eſt.

CENTESIMA TRIGESIMA SEPTIMA PARTICVLA.

HABET autem dubitationem. Si nanq; ipſum uiſu ſentire, eſt cernere. Cernitur autem color: aut quod habet. Si intuebitur aliquis ipſum cernens: & colorem habebit ipſum cernens primo.

EXPOSITIO.

Quandoquidem ſenſum ipſum eam habere vim demonſtrauit, vt ſeipſum comprehẽdere valeat, in illo cernendi conſenſu, dum cernit: dubitat aduerſus hanc poſitionem. Quoniam nanq; quod cernitur, color eſt: aut quod colorem habet: quo itaq; pacto nõne & viſus, aut color erit: aut colorem habebit? ſi quidem & ipſe quoq; cernitur. Cernitur enim ſi a ſeipſo cognoſci poteſt. Illa vero particula primo adiecta fuit: cum dixit, & colorem habebit ipſum cernens primo: quo inquiunt, coloratum corpus indicaret: ad differẽtiam illius formæ quæ ſine materia in illo ſenſu innaſcitur. Forma nanq; illa coloris, quæ in ſenſu recipitur: non primo, ſed ex ipſo ſenſibili fit. Primo itaq; illa eſt, quæ in ſenſibili reperitur. Verum, vt opinor, rectius eſt, vt illud primo, pro eo, quod eſt, ſecundum ſe interpretari. Quoniã tametſi ipſum guſtabile colore affectũ ſit: at haud quatenus guſtabile colore affectũ eſt. Quod vero viſibile illud eſt, quod ſecũdũ ſe colorẽ habet. Nãq; vel ipſum lumen tanq̃ color, acceptũ fuit. Quoniã ipſe dubitationẽ ſoluens, & viſum quadam ratione colore affectum eſſe dicet. Ideo haud æquũ in dubitatione ſumptũ fuiſſe: quod in ſolutione accedit.

CENTESIMA TRIGESIMA OCTAVA PARTICVLA.

MANIFESTVM itaq; quod haud unũ ipſum uiſu ſentire. Nanq; cũ nõ cernimus uiſu: iudicamus & tenebras, & lumẽ. Sed haud eodẽ modo. Præterea uero & ipſum cernẽs, eſt quaſi colore affectũ. Sẽſoriũ nãq;, recipere ualet ſenſibile ſine materia unũquodq;. Ideo & abeũtibus ſenſibilibus, inſunt ſenſus, & imaginatiões i ſenſoriis.

EXPOSITIO.

Duabus rationibus diſſoluit, quod dubitatum fuit aduerſus id, quod eſt, viſum ſeipſum

ſum ſentire. Primo quidem quoniam non quia eam vim viſus habet, vt colores præcipue comprehendere queat: propter id non & alio quodam modo quædam cognoſcit. Ex eo itaq; quod non cernat, viſus iudicat: cum periculum faciat: atque ſub ſe ſenſile non cadat. Quemadmodum cum tenebræ fuerint. Tunc enim quod tenebræ adſunt: & quod non cernimus, ſentimus. Si itaq; hic quia non cernimus, quod non cernimus, viſu iudicamus: multo magis dum cernimus, ipſum id, quod inquam cernimus, iudicamus. Recte igitur, Haud vnum ipſum viſu ſentire. Primo quidem, quia non ſolum colores illos cernimus: qui luminis compotes ſint: ſed & ipſum quoq; lumen ſolum. Videmus nanq; aerem lumine imbutum. Deinde quoniam & tenebras, licet alia ratione, viſus percipit. Prætereaq; quippe cum ſeipſum quodam pacto non cernat: atq; cernat. Tuncq; agat, cum cernit: atq; ſimul propriam ſentiat actionem. Dumq; non cernit, neq; omnino abſq; vlla actione exiſtit. Neq; enim ſimul ſentiret. Quoniam in actione quadam iunctus ille ſenſus collocatus eſt. Sed dum cernere nititur: & quia nititur agit: non inſpectionem, ſed experientiam eſſe dicimus. Ita, vt conſenſus ille tunc haud inſpectionis ſit: ſed experientiæ quaſi aberrātis. Ideo & quod non cernat, iudicat. At & alteram quoque ſolutionem affert, ei acquieſcens, quod colorum cognoſcendorum vim viſus obtineat. Licet enim non ſemper, at quia quæ colore affecta ſunt, ſentit, recipiens ſenſibilis formam, atque prope illam permanens, quemadmodum & omnis alia cognitio, eius quod cognoſci poteſt, forma, fingitur, atq; figuratur: ideo & ipſe quoq; viſus quadam ratione colore affectus eſt. Atq; tunc itaque ſeipſum tanquam colore affectum intuetur. Quapropter non patitur, ſed agit colores ipſe viſus, neq; id efficiendo, ſed iudicando facit. Ideoq; neq; quod cognoſci debeat extrinſecus ſibi expoſitum, ſenſus is recipit. Sed ipſe quidem ſenſus prope illum rationum appulſum permanet propriam, atq; conuenientem cum eo, quod cognoſci debet, rationem aggrediens. Aggreditur autem, cum patiatur ipſum ſenſorium antea ab ipſo ſenſibili. Quamobrem vim illā recipiendi non de ſenſu, ſed de ſenſorio philoſophus dicit. Quandoquidem affectio illa, quæ in ipſo oritur ſenſorio, a ſenſibili fit. Quoniam autem patitur, non quemadmodum corpora illa, quæ anima carent: neq; quemadmodum quæ ſola vegetante vita viuunt: ſed tanquam eam viuens vitam, quæ cognoſcendi vim habeat: agendo illam affectionem recipit. Ita, vt iuxta inſtrumenti quidem vitam, paſsibilis illa actio ſit. Iuxta illam autem, quæ inſtrumento vtitur, pura exiſtat, atq; ex rationum appulſu, illa actio fiat. Hæc quidem igitur iam copioſe dicta fuere. Nunc autem qua ratione ſenſorium eam habeat vim, vt ſine materia ſenſile ipſum recipere valeat, explicandum eſt. Neque enim ipſum recipit album, ſed ipſius albi actum. Eſt quidem igitur & actus ille conueniens cum ſenſibilis forma. Viuaxq; illud iudicium, quod circa hunc excitatur actum, prope ſenſibilis formam permanet: quæ ſine materia nunc: non autem quemadmodum in ſenſibili permanet. Alia quidem enim forma eſt cum materia. Alia vero ſine materia: tanquam illa quæ in vita iudicandi poteſtatem habente prope illam actionem, quæ cognoſcere valeat, ſubſiſtat. Senſorium vero eam habet vim, vt ſenſibilis formam recipiat: dum vtroque modo ipſam recipit. Tum ſcilicet ab ipſo ſenſibili, quod primo ſenſorium mouet. Tum a vita illa ſentiendi vim habente, quæ ipſo vtitur. Quæ quidem ipſa primo prope actionem illam formæ materia carentis iudicandi vim habentem ſe ſiſtit: & ſenſorium quoque perficit. Ita, vt ipſum ex vita, quæ in ipſo eſt: ex qua viuax eſt inſtrumentum: a vita eo vtente perficiatur. Deinde vero formam ſenſibilis abſque materia a vita illa recipit. Id autem eſt, actionem, quæ illius cognoſcendæ vim obtineat. Quæ tamen haud perficitur ex motu illo, qui a ſenſibili in ipſo inſtrumento fit. Totum nanque id, hoc eſt, paſsibilis actio: quæ ex eo perficiatur, eſt. Motus vero ille, qui ex eo prouenit ſeuſu, qui vtitur, abſque vlla affectione, atque ſine materia eſt. Ideoque abeuntibus ſenſilibus inſunt ſenſus, & imaginationes in ſenſoriis. Vbi nanque ſenſus aliquis manifeſtior factus fuerit: remanet quidam actus in ſenſorio, vel poſt illius ſenſibilis receſſum: quod neque amplius ſenſorium moueat: qui quidem actus imaginationem imitatur. Ita, vt remaneat ſenſus, vel poſt ſenſilium receſſum. Qui tamen fit, ex affinitate illa, quam cum imaginatione habet: atq; eam habet vim, vt hac facultate cōcipere queat. Id autem Ariſtoteles adduxit, illud cōprobās, quod ad ſenſoriū vſq; actio illa

ſine materia, atq; perficiendi vim habens, ex corporata tamen motione excitata, progredia tur. Si nanq; vel motione non manente actio illa adhuc tamẽ permanet: iam cuilibet perſpicuum eſſe poteſt, quod motio illa nequaquam huiuſmodi perficiendæ, atq; explendæ facultatem retinet.

SENSIBILIS autem actio, & ipſius ſenſus eadem quidem eſt, atq; una. Ipſum uero eſſe eis, haud idem.

Cum ſenſorium eam habere vim philoſophus poſuerit, vt ſenſibile ſine materia recipere valeat: cumq; illud demonſtrarit, quod haud ſemper in actione permanet: nam & quod non cernamus inquit: atq; rurſum quod vel abeuntibus ſenſilibus ſentimus: ideo iure aliquando quidem poteſtate, aliquando autem actu ſenſibile aliquod eſſe, & quod ſentiendi vim habeat, colligere poſſumus. In quibus nanq; illud inuenitur, vt non ſemper agant, & quod poteſtate, & quod actu ſpeciatim eluceſcit. Vnde recte illud Ariſtoteles tractat, quando vtrunq; in his reperiatur. & in ſenſibili inquam, quatenus ſenſibile: & in eo, quod ſentiendi vim habeat, eodem modo. & qua ratione vtrunq; in cauſa eius, quod actu, ſenſibile ſcilicet, atq; ſenſus. & quod ſecundum rationem: & ſimul: neq; extra, ſed in eo quod ſentit, amborum actus, atq; perfectio eſt. Conuenitq; vel aliis animalibus caput id. Allatum autem fuit in tertio hoc libro, quia ſenſus ſecundum rationem permanentia in eo eluceſcit animali, quod rationis particeps eſt. Philoſophi autem propoſitum in tertio hoc libro eſt de ea loqui vita, quæ rationis particeps ſit. At confeſtim caput id ipſe exordiens vnam, atq; eandem ſubiecto eſſe inquit, ipſam ſenſibilis, atq; ſenſus actionem. Ipſum vero eſſe haud idem. Nam vtriuſque proprietas diuerſa. Actio autem ſenſus eſt, cum ſentiat. Actio vero ſenſibilis: non cum color, aut ſonus fuerit: ſed cum ſenſibile exiſtat. Quo quatenus ſenſibile actu ſit. In idem nanque omnino concurrit, quod ſecundum actum ſenſibile, cum ſenſu illo qui ſecundum actum. Quandoquidem & inter ſe referuntur. Quemadmodum quod actu duplum, cum eo quod actu dimidium. & vno verbo complectar, omnia quæ ad aliquid dicuntur. Et quoniam omnis cognitio, quæ actu exiſtat prope terminum eius quod cognoſci debet, permanet: tanquam ea quæ perficitur, atq; figuratur ex eo: neq; propter id, illud amittens quod proprium ei eſt: id autem eſt, vt cognitio ſit: ſed permanens, præſertim q; cum perfecta fuerit cognitio: ideo tota ex ſe tota quod cognoſci debet, fit. At eius quod cognoſcendi vim habet, diuerſa ab eo, quod cognoſci debet, proprietas exiſtit. Nam quod cognoſcendi vim obtinet, appetit: atque ad id accedit: & cum facta fuerit facultas, ipſum apprehendit: & per id totum ſeipſum inſinuat: atque cum eo ita iungitur: vt vnum, atq; idem fieri videatur. Ita, vt ambo vnum, exiſtant. Nam propter proprietatis diuerſitatem ambo, atque duo ſunt: aliaque ea quæ cognoſcendi vim habet proprietas eſt: alia autem quæ eius, quod cognoſci debet. Propter coniunctionem vero in vnum rediguntur.

Actio ſenſus ſẽſibilisq; q?

DICO autem ut ſonus, qui ſecundum actum: & auditus qui ſecundum actum. Licet enim auditum habentem, non audire.

Agentem ſonum non autem tanquam ſonum ſimpliciter dicens: ſed totum id, tãquam ſenſibilem ſonum. Is nanq; ſonus in idem venit, cum auditu ſecũdum actum. Quoniam contingit ſonum eſſe, & non audiri. Licet enim auditum habentem, non audire, inquit.

ET quod habet ſonum, non ſemper ſonat.

Habere ſonum dicit, quod iam ſonat: vt æs quod percutitur. Sonare vero inquit, cum tanquam audibilis agit: ideo etiam infert.

CVM uero agat, quod poteſt audire: & ſonet quod poteſt ſonare: tunc qui ſecũdum actum auditus ſimul fit: & qui ſecundum actum ſonus.

Cum

Cum vim quidem ipſius ſonare aſsignarit & æri quod nondum percutitur: & ei quod quidem percutitur: ſed aut auditur: ipſum ſonare, & verbum illud quod agendi vim habet ad ipſum exaudiri affert. Ex quibus ſenſum qui poteſtate ſit: & quod poteſtate ſenſile, ſeparata exiſtere, neq; ſimul eſſe demonſtrauit. Quæ vero agũt, ita ſeſe habere, vt ſimul ſenſus, cum ſenſili inueniatur.

QVARE & diceret aliquis, id quidem eſſe auditionem: illud uero ſonationem.

Auditionem quidem appellat actionem illam audiendi vim habentem: ſonationem autem illam quæ audiri valet: quatenus huiuſmodi eſt. At quo manifeſtius quæ ſequuntur aſſequi queamus: illud nobis in mentem reuocandum eſt: quod ſi illud quod ſecundum actum eſt, eo perfectius exiſtit, quod poteſtate: perſpicuum iam eſt: quod ſenſus agens, eo erit perfectior, qui nihil agit. & adhuc manifeſtius, quod actu ſenſile, eo quod poteſtate. Quod nanq; actu viuax, & ex vita cognoſcendi vim habente ſubſiſtens, in idem venit cum ſenſu: qui vita vim cognoſcendi habens exiſtit. Neque ſane quod vita caret, eius quod viuax eſt: aut quod imperfectum eius quod perfectum cauſa eſſe poteſt. Neq; igitur quod poteſtate ſenſile, eius quod actu ſenſile, cauſa eſſe poterit. Verum patet, quemadmodum quod ſenſile perficitur: atq; in actum conſtituitur a vita illa, quæ ſentiẽdi vim habeat: quæ & ipſa ad ſenſibilis formam appellit. Verum ita, vt ex ſeipſa ad appulſum illum excitetur. vbi ab eo motu, qui a ſenſibili in ſenſorio fit, principium ductum fuerit. Quoniam neque omnino a corporibus ſeparabilis vita iſta, quæ ſentiendi vim habet, eſt. Neq; ad ipſum ſenſile abſq; vllo medio: ſed ad viuacem illam affectionem, quæ in ſenſorio fit: aut ad paſsibilem illam actionem, ſuam appellit rationem. Quæ commoderate cum ea cõcinnatur: atq; commoderate ex ſeipſa ad illum rationum appulſum excitatur. Procul nanq; abeſt, quod extra collocatum eſt.

CENTESIMATRIGESIMANONA PARTICVLA.

SIN autem eſt motus, & effectio, & paſsio in eo quod mouetur: neceſſe & ſonũ, & auditum ſecundum actum, in eo, qui ſecundum poteſtatem eſſe. Eius nanq; quod efficere, atq; mouere poſsit, actio, in patienti innaſcitur. Vnde nõ neceſſe ipſum mouens moueri. Eius quidem igitur quod ſonandi uim habeat actus, eſt ſonus, aut ſonatio. Eius uero quod andiendi auditus, aut auditio.

EXPOSITIO.

Efficiendi quidem vim habere inquit, quod poteſtate ſenſile. Quod autem mouetur, & patitur, & fit, illud eſt, quod ſentiendi vim habet. In quo vero quod ſecundum actum ſenſile exiſtit, & ipſe quoq; ſenſus ſecundum actum reperitur. Neque enim in ipſo efficiente, aut mouente, effectio, aut motus eſt: ſed in eo, quod patitur, & mouetur. Vt & in tertio naturalis auditionis traditum fuit. Vnde ipſum mouens haud omnino mouetur: quippe cũ haud in ſe ex ſe contineat motum. Hoc itaq; pacto & ſonus profecto quatenus ſenſibilis: & auditus ſecundum actum, in eo erunt ſenſu, qui poteſtate exiſtit. In eo, inquam, qui hactenus poteſtate ſit. Vbi vero ſenſus iam receperit, actu fit. Quis igitur motus eſt? & quæ effectio? quorum efficiendorum ſenſile vim habeat? Neq; enim ſane cognitio illa, quæ ſecundum actum: neq; ſenſus qui ſecundum actum. Nanque hic effectio eadem cum ipſa paſsione eſt: illeq; neq; affectio, neq; motus eſt. Sed formæ & actiones, & perfectiones exiſtunt. Neq; quod vitæ expers eam habet vim, vt quæ viuacia ſint, cõſtituere valeat. Verum quando ſenſorium corporatam aliquam affectionem pati opus eſt: & ab ipſo ſenſibili moueri: propter quod & anima quæ ſentiendi vim habet excitatur ad appulſum illarum rationum, quæ cum innata affectione conueniunt: iuxta quas, & qui ſecundum actum ſenſus: & quod ſecundũ actũ ſenſile conſiſtit: ideo efficiendi quidẽ vim habet quod poteſtate ſenſile, corporatã illã affectionẽ, quæ in inſtrumẽto eſt. Patiẽdi vero poteſtatẽ habet ſenſus ille, qui ſecundũ poteſtatẽ eſt, propter inſtrumẽtũ: atq; motũ illũ huius corporatũ, qui ex-

Interrogatio.

Reſponſum

trinſecus fit. Quandoquidem actio illa, quæ iudicandi facultatem obtinet in motu, atque affectione collocata eſt: & eius quod cognoſci debet, perfectio eſt: & forma illa huius ſine materia in vita poſita eſt: animaq; intus, & ex ſeipſa agit: ſed ita, vt quo agat illa inſtrumenti affectione, quæ ab ipſo ſenſibili fit, indigeat. Quandoquidem corporatus ille motus eſt, qui aliunde ipſi ſenſorio adeſt. Ipſum autem ſenſorium, tanquam illud, quod ſentiendo viuat, non patitur, quemadmodum quæ anima carent. Sed agendo patitur. Atq; ea ratione prouocat puram illius animæ, quæ ſentiendi vim habeat, actionem. Quæ proxime, atque innate viuaci motui conuenit.

DVPLEX nanq; auditus, & duplex ſonus.

CENTESIMAQVADRAGESIMA PARTICVLA.

EADEM autem ratio & in aliis ſenſibus, atq; ſenſilibus. Quemadmodum enim effectio, & paſſio in patiente, & non in faciēte: ita & ipſius ſenſibilis actus in eo quod ſentiendi uim habeat.

EXPOSITIO.

Quoniam in vtranq; partem vergunt, in id quod poteſtate, & in id, quod actu. Sed auditus tum qui poteſtate, tum qui actu in eo reperitur, quod ſentiendi vim habeat. Sonus vero qui quidem ſecundum actum & ipſe in eo, quod ſentiendi vim habeat. Nam quatenus ſenſibilis ſecundū actū in hoc exiſtit. Qui vero ſecundū poteſtatē extrinſecus poſitus.

SED in nōnullis quidem & nomen impoſitum fuit, ut ſonatio, & auditio. In nōnullis uero abſq; nomine alterum. Intuitio nanq; dicitur ipſius uiſus actio. Quæ uero coloris, ſine nomine eſt. & guſtatio, quæ eius quod guſtandi uim habet: quæ uero ſaporis abſq; nomine.

CENTESIMAQVADRAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

QVONIAM autem una quidem eſt actio, quæ ipſius ſenſilis, & eius quod ſentiendi uim habeat. Ipſum uero eſſe diuerſum. Neceſſe ſimul corrumpi, & ſeruari eū, qui ita dicitur auditus, & ſonus: & ſapor ſane, & guſtus: & alia eodem modo. Quæ uero ſecundum poteſtatem dicuntur, haud neceſſe eſt.

CENTESIMAQVADRAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

SED priores ille phyſiologi, id haud recte dicebant. Nihil arbitrantes neq; albū, neq; nigrum eſſe, ſine uiſu: neq; ſaporem ſine guſtu. Partim quidem enim dicebant recte: partim uero non recte. Dupliciter nanq; cum dicatur ſenſus, & ipſum ſenſibile: horum quidem ſecundum poteſtatem, illorum uero ſecundum actum: in his quidē contingit, quod dictū fuit: In aliis uero non contingit. Sed illi ſimpliciter loquebantur de iis, quæ dicuntur haud ſimpliciter.

EXPOSITIO.

Auditio quidem ille eſt auditus, qui ſecundum actum. Sonatio autem ſonus ille, qui ſenſibilis ſecundum actum. In eo vero, quod ſecūdum actum viſibile, atq; guſtabile deeſt nomen. Alterum vero & in his nomen adeptum eſt: & illa eſt cognitio, quæ ſecundū actū, inſpectio ſcilicet, atq; guſtatio. Recteq; atq; perſpicue illud collectū fuit, quod ſimul ſubſiſtunt, atq; permanent, dum ſunt, & intereunt, quæ ſecundum actum ſenſilia, quæq; ſentiendi vim habent. Quādoquidem licet proprietate diuerſa ſint ipſum ſenſile, & quod ſentiendi vim habet: attamen vtriuſq; actiones ſubiecto vna tantum ſunt. Ab iis vero qui Democritum ſequebātur, & quod poteſtate ſenſile, vt ipſe color, & ſonus, in eo quod vim ſentiēdi haberet ſubſiſtere iudicabatur: & haud abſq; eo ſenſu eſſe, qui ageret. Neq; id ſaltem recte. Nam in iis ſolis verum exiſtit: quæ ſecundum actum.

CENTESIMAQVADRAGESIMATERTIA PARTICVLA.

SIN autem concentus uox quædam eſt. Vox uero & auditus eſt quaſi unum: & eſt quaſi non unum hoc idem. Ratio autem ipſe concentus. Neceſſe & auditum rationem quandam eſſe. Et propter hanc cauſam, & corrumpere unumquodq; excellens, & acutum, & graue auditum. Eodemq; modo & in ſaporibus guſtum: & in coloribus uiſum: quod admodum lucidum, aut tenebricoſum. & in odoratu uehemẽs odor, & dulcis, & amarus. Ita, ut ratio quædam ſit ſenſus.

EXPOSITIO.

Perbelle Plutarchus nouiſſe videtur, quod litera illa, ν, quæ in ſecunda huius particulæ ſyllaba fuit collocata, non eſt articulus, ſed coniũctionis pars. Ita, vt haud tres, ſed duæ ſint orationis partes: & tunc, ſi ſane, non, ſin autem, vertẽdum eſt. Et, vox quædam ſubiectum erit, & concentus de eo dicitur. Oratioq; ab eo, quod dicitur initium ſumit. Syllogiſmuſq; qui propoſitus eſt, ex tribus conſtat propoſitionibus, hac ratione. Qui ſecundum actum auditus, ſecundum actum eſt vox. Quæ ſecundum actum vox, concentus eſt. Omnis cõcentus ratio eſt. Qui ergo ſecũdum actum auditus ratio eſt. Prima vero ex his tribus propoſitionibus collocata fuit media: quæ ab eo, quod dicitur: quod iſti prædicatum appellãt, principium capit. Quod quidem igitur, qui ſecũdum actum auditus, vox ſecundũ actum ſit, tanquam vnum, atq; idem: quoniam ſubiecto conueniunt: licet & alia ratione non ſint eadem: quia ex proprietate diuerſæ ſunt: ex iis quæ paulo ante dicta fuerũt, nobis notum eſſe poteſt. Vera itaque illa erit propoſitio, quæ cenſet, quadam ratione idem eſſe vocem, & auditum, qui ſecundum actum. Quod vero & concentum perpulchre de aliqua voce dicat: hoc eſt, de ea, quæ ſecundum actum ſit, cognoſcere facile poſſumus ex acuto, & graui intenſis: quia vocem, quæ ſecundum actum perdant. Neq; enim audiri poteſt, quæ admodum grauis, aut quæ admodum acuta. Cum quæ admodum acuta etiam auditum corrũpat: quemadmodum & nimius ſplendor viſum quoq; perdit. In reliquiſq; præterea ſenſibus hoc idem euenit. Nam tota animalis corrumpitur conſtitutio: & perſpicue quidem a tangibilibus intenſis: & ab iis ſaporibus, qui percutiendi vim habeant. Præterea aq;, & a quibuſdã odoribus: quales illi ſunt: qui in charoneis exiſtunt. In vnoquoq; itaq; ſenſu, quod ſecundum actum ſenſile in quodam extremorum cõcentu poſitum eſſe debet. Ita, vt neq; deficiat, neq; excellat: ſed medio quodam modo ſeſe habeat. Id nanq; concẽtus eſt: qui ex- Cõcẽtus qd.
tremorum quædam fere miſtio exiſtit. Acuti quidem, & grauis in auditu. Claritatis autẽ, & obſcuritatis in viſu: & in vnoquoq; ſenſu eius, quod iuxta vnũquenq; percutiendi vim habeat: & propriæ etiam priuationis. Iure itaq; de omni voce, quæ ſecundum actum exiſtat: quemadmodum & de eo omni ſenſibili, quod ſecundum actum concentum hũc philoſophus dicit. Quæ vero maxima ex tribus illis propoſitionibus eſt, rationem eſſe ipſum concentum ſtatuit: quippe cum iuxta rationem quandam perficiatur, ex quibuſdam quidem differentibus, ſed ad vnius cuiuſdam abſolutionem coeuntibus. Præcedere nanque oportet cauſam aliquam, quæ determinandi vim habeat: ſi vnũ aliquod ex pluribus perfici debeat: ſiue naturale, ſiue arte elaboratum illud ſit. In termino nanq; atq; definitione illud oĩno collocatum, quod vnum: & in perfectione, quod proprie vnũ. Sed quod quidem corporatum vnum, tanquam perfectum, & determinatum: vt fidium concentus, & lapidum, atq; laterum, & lignorum ad domus ædificationem concinna compoſitio: quæ tamen ex ea determinata eſt ratione: quæ artis compos eſt. Quẽadmodumq; carnis generatio, quæ ex quatuor elementis iuxta naturalem rationem facta fuit. Concentus autem ille, qui ſecundum actum ſenſibilis: quique ſenſibilis ipſius forma ſine materia eſt: & qui in id quod impartibile contrahitur: haud & ſecundum rationem etiam ſubſiſtit. Sed & terminus, & ratio, & perfectio eſt. Vel auditus itaq;, qui ſecundum actum, omniſq; ſenſus: qui idem ſubiecto cum ipſo ſenſibili ſit: ratio erit, & terminus iudicandi poteſtatẽ habens. Neq; enim in idem veniret quod terminatum cum termino: neq; adhuc magis quod indeterminatum. Sed ratio cum ratione: & terminus cum termino. Omnis itaq; ſenſus ratio eſt.

Agendiq; vim habet, qui ſecundum actum. Quæ vero huius appellendi vim habet, ſubſtantialis ratio eſt. Quoniam forma quæ ſine materia: & quæ in id quod impartibile contrahitur: quæq; magis proprie nominanda ſit: ratio potius, q̃ forma, dicenda eſt. Quando quidem anima quædam, & ſubſtantia quæ ſentiendi vim habet, eſt. Poſt formas vero anima exiſtit, quæ conuoluta eſt ſubſtantiæ: quæ licet ante partibilia ſit: haud tamen omnino eſt impartibilis. Secundoq; loco cauſa eſt: & quædam ratio. Non autem ſimpliciter. Simpliciter nanq; potius, quæ intelligendi vim habet. Quæ vero ſentire valet, quædam eſt: propter remiſſionem illam, atq; actionem, quæ vna exiſtit cum corpore. Patet præterea, quẽad modum & vna, & multiplex, vnuſquiſq; ſenſus, ratio eſt. Quæ totuplex exiſtit: quot formas ipſius ſenſus ſenſile complecti valet. Et propter hanc cauſam & corrũpit unũquodq; excellens, vbi in ſenſorium egerit: & minime aptum reddit ad rationis receptionem. Nanq; in huiuſmodi elemẽtorum admiſtione commoderate vnaquæq; innaſcitur vita: quæ inquam ipſum effingit inſtrumentum, tanquam viuax: & quæ tanquam inſtrumento vtitur. Ipſius vero ſenſibilis exceſſus corrumpit commoderatam inſtrumenti admiſtionem, & propter id prohibet & ſenſus per illud actionem. Quippe cum ratio quædam ſenſus ſit: non autem reſpectus: & quaſi harmonia commixtorum elementorum. Demonſtratum nanq; fuit, quod impoſsibile eſt animam eſſe harmoniam. Sed eam poſsidet vim, vt ſenſiliũm ſubſtantiam ſecundum rationem perfectam iudicare valeat: atq; conuenienter ſuis præparato inſtrumento viribus vtatur.

QVAPROPTER & ſuauia quidem, cum ducãtur ita, ut pura, & immixta ſint ad rationem: ut quod acutum, aut dulce, aut ſalſum. Suauia nanq; tunc. Omnino autem potius, quod mixtum concentus, q̃ quod acutum, & graue. Tactus uero, quod uim calefaciendi, aut frigefaciendi habet.

Cum priora, qnæ immixta ſint, ducantur iuxta quendam mutuum concentũ ad vnius rationis conuenientiam. At cum vniuerſaliter dixerit, ſenſilem concentum in commiſtione collocatum eſſe: neq; in auditu quod acutum, aut graue ſine mixtione eſſe: neq; in tactu, quod calidum, aut frigidum: extrema q; illa intelligo: ſed in horũ miſcella. Vbi & pro calido, & frigido, quod calefaciendi, atq; frigefaciendi vim habet, protulit: quo materias illas extremas ſignificaret: quæ calido, aut frigido inſignitæ, atq; impreſſæ ſunt. Hæc inquã cum protulerit, infert.

SENSVS autem ratio.

Id autem eſt ſubſtantia, atq; actio impartibilis, quæ iudicandi vim habet: quæq; vbi cũ inſtrumento fuerit, huiuſmodi actionem elicere, atq; promere valeat.

EXCEDENTIA autem, aut mœrore afficiunt, aut corrumpunt.

Nam mœrore afficiunt in tranſitione illa, quæ breuiter fit: corrumpunt autem cũ diuturna, atq; intenſa fuerit.

CENTESIMAQVADRAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

VNVSQVISQVE quidem igitur ſenſus, ſubiecti ſenſibilis eſt: exiſtens in ſenſorio, quatenus ſenſorium.

EXPOSITIO.

Vult quidem Ariſtoteles ad ſenſum illum, qui communis dicitur, peruenire. Qui quidem vnus omnium ſenſilium eſt: & hac ratione quod præcipuum obtinet. Quod manifeſtius videbimus ex comparatione illorum quinq;: vbi quilibet ſpeciatim conſideratus fuerit: cum circa vnum aliquod ſubiectum genus agat: non autem circa omnia. Ideoque & id ipſum antea nobis in memoriam reuocauit: quo diſcrimen communis ſenſus illorũ quinque reſpectu facilius cognoſci queat. Cum haud ita id diſcriminis, atq; hæc diuerſitas ſeſe habeat: vt vnius alicuius ſubiecti, præter illos quinque cognoſcendi vim habeat: ſed quaſi

in quadam

in quadam participatione illorum quinq; collocatus sit: atq; in communi quodam termino, qui omnium iudicãdorum vim obtineat. Vnde neq; duo sunt coloris sensus, sed vnus tantum, ipse visus. Communis nanq; ille prope visum stat. quemadmodum & prope gustum. Horumq; amborum, simul, atq; adeo omnium ex absolutione illa omnium, quæ in vnum contrahit, existit. Illa vero philosophi verba, existens in sensorio quatenus sensorium: vnicuiq; illorum quinq; quod inseparabile sit, concedunt. Sed haud a corporibus simpliciter: verum tanquam a sensoriis iam & viuentibus: & quæ huiusmodi vitam viuãt, vt sensui instrumẽti modo, deseruiant. Iccircoq; & in sensorio ita, vnusquisq; sensus inest, vt vtens. Is nanq; is est, qui proprie sensus est. Quandoquidem vita illa, quæ sensorium effingit, cum in corpore sit: id ipsum, hoc est sensorium elaborat: & vna cum corpore patitur: atq; a pura illa actione decidit. Quæ vero vtitur: cum sensorio tanquam instrumento vtãtur: ei inesse dicitur.

ET iudicat subiecti sensibilis differentias. ut album quidem & nigrum uisus. Dulce, & amarum gustus. Eodemq; modo sese habet id & in aliis.

Actio autem pura iudicium est, & ipsius animæ, non corporis. Ideoq; in formam sine materia existentem ipsum sensibile definit. Magisq; præterea quod eius animæ, quæ sentiendi vim habeat, seiunctum: & quod secundum eam ipsam sine corpore agendi vim habet, constituit Aristoteles, cum addidit, iudicare subiecti sensibilis differentias. Ita, vt visus non solum albi, atq; nigri iudicandi facultatem habeat: sed & mutuas quoq; eorum differentias discernere queat. Quæ quidem impartibilis est actio, vt philosophus dicturus est: & in indiuisibili tempore fit: absq; vllaq; affectione existit. Vt simul nanq; contraria patiãtur impossibile est. Quin vero agant nihil prohibet. Inseparabilis quidem igitur erit a sensorio: tanquam ea, quæ instrumento vtatur iam viuẽti: quo ad ipsum agere excitetur. Vbi vero excitata fuerit ex se, tanquam sine corpore existens agit. Siquidem iudiciũ illud quod simul oppositorum est, impartibilis cuiusdam est: atq; ipsis tanquam indiuisibilibus conuenit. Quæ nanq; secundum actum sensilia, formæ sine materia sunt. Atq; actu illud iudicium agens indiuisibiliter agit. In ipso nanq; nunc id agit. Partibile autem est, quod corporatum est. Ideoq; motus corporis actus est. Quod si non solum visus, sed & alii quoq; sensus huiusmodi, multo magis ipse communis id obtinebit: quippe qui omnium cõtrarietates seiunctim, atq; eximendo cognoscat. Vnde & ex se actionem illam iudicandi vim habentem possidebit. Quæ quasi centrum omnium est: & finis ille, qui omnes sensus in vnam contrahere formam valet.

CENTESIMAQVADRAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

QVONIAM autem & album, & dulce, & unumquodq; sensibilium ad unumquodq; iudicamus aliquo, & sentimus, quod differunt, necesse sane sensu. Sensilia nanque sunt.

EXPOSITIO.

Posteaquam iltud philosophus nobis in memoriam reuocauit, quod vnusquisq; illorum quinq; sensuum ita sese habet, vt alius alius sit sensibilis subiecti proprii: nunc quod vnus quidam, atq; communis omnium sit sensus, ex eo demonstrat: quod aliquid in nobis sit comparans, atque vnumquodq; iudicans. Non solumq; quia hoc aliquid sit: sed & quod ab aliis differat: & abiis, quæ aliis subiiciuntur sensibus. Exempli gratia album a dulci. Neq; enim alia quæpiam est animæ facultas, quæ discrimen huius albi, & discrimẽ huius dulcis cognoscat. Sed ea est, quæ sentiendi vim habet. Sensus nanq; eam habet facultatem, vt sensilia atoma comprehendere valeat. Quandoquidem & opinio cum sensu est, cũ ea tanquam atoma intelligat. Aut per sensum, si ab his ad id, quod vniuersale accedat. Aut cum & atoma intelligat, cum imaginatione agit.

CENTESIMAQVADRAGESIMASEXTA PARTICVLA.

VBI etiam patet, quod caro non est extremum sensorium. Necesse nanq; erat tangens illud, iudicare ipsum iudicans.

EXPOSITIO.

Non de eo ſenſili, quod tangendi vim habeat, philoſophus nunc verba facit: quod non ſit primum, quod tangendi vim habeat, caro inquiens. Sed exempli gratia, ſpiritus qui circa cor, aut quodcunq; huiuſmodi. Nanq; licet haud confeſtim tangat ſenſile illud, quemadmodum caro: attamen quia corpus exiſtit, nequaquam iuxta eádem particulam, diuerſas, atq; adeo contrarias ſenſilium reciperet paſſiones. Neq; ita q; caro, neq; aliud quid. Speciatim ergo de carne quam ob cauſam diiudicatum fuit? At videtur Ariſtoteles carnẽ pro quocunq; corpore poſuiſſe. Extremum vero ſenſorium appellauit, ſed vitam ipſam, quæ ſentiendi vim habeat: in quam ſenſile definit. Quæ ea quoque eſt, quæ iudicat. Quoniam igitur quod duorum quorundam & plurium diſcrimen cognoſcit: duo illa, aut & omnia ſimulq; cognoſcit: neq; id alia, atq; alia parte agit: ſed indiuiſibili quopiam: profecto corpus extremum illud iudicans nõ erit. Corpus nanq; dum tangit, iudicat: id autem eſt, vnicuiq; ſenſibili iuxta diuerſas partes adhærens. Quoniam tangentia, quæ tangunt, id tantũ ex vniuſcuiuſq; partis appulſu, iudicant. Ideoq; ſimile eſt, ac ſi idem quidem ego, tu vero illud ſentires.

Interrogatio. Reſponſum

NEQVE ſane diſiunctis contingit iudicare, quod diuerſum dulce, ab albo: ſed oportet uno aliquo, ambo manifeſta eſſe. Hoc quidem pacto, & ſi id quidem ego, illud uero tu ſentires, dilucidum eſſet, quod diuerſa inter ſe. Oportet autem illud unũ dicere quod diuerſum. Diuerſum nanq; dulce ab albo. Dicit ergo idem. Quare quemadmodum dicit: ita & intelligit, & ſentit. Quod quidem igitur haud pote ſit diſiunctis indicare diſiuncte, liquet.

Hoc eſt, diuerſis. Oportet enim vno, & eodem ambo perſpicua eſſe: ſi mutua eorum diuerſitas ſimul ſentiri debeat. Quoniam diuerſitas reſpectus quidam eſt. Reſpectus vero, & eſt, & cognoſcitur vna cum iis, quæ reſpectum paſſa ſunt. Neq; enim quod dulce ab albo diuerſum ſit, quiſpiam dicere poſſet: niſi vtrũq; nouerit. Liquet enim quod cum vnus, atque idem ſit, qui loquitur: anteaquam loquatur, cognoſcit, ſiue ſentiendo, ſiue intelligendo id agat.

QVOD uero neq; in ſeparato tempore hinc. Quemadmodum enim idem dicit, quod diuerſum bonũ, & malũ: ita & quãdo alterum dicit, quod diuerſum, & alterũ.

Quemadmodum enim vnus, atq; idem, qui ambo dicit inter ſe diuerſa: ita & quando alterum, & alterum quoq; affert. Siue in diuiſibili aliquo tempore alterum cognoſcat, in eo omni & alterum cognoſcens: ſi tanquam inter ſe diuerſa in eo toto tempore nouerit. Siue in ipſo nunc, id agat. Quod quidem nunc non ſimpliciter tempus dicitur: ſed totũ id, quod eſt, diuiſibile tempus. Quippe cum temporis finis ſit. Illud autem forſan philoſophus, licet obſcure, innuit: quod animatæ, & puræ, & perfectæ actiones, quæ prope terminos ſemper gradiuntur, etiam in tempore ſunt: quod ex ipſis nunc, tanquam ex vnitatibus conficitur. Non autem, quemadmodum naturale tempus in cõtinuitate collocatum eſt. Pluribus autem de hac re a nobis in iis, quæ in naturalem auditionem conſcripſimus, diſputatũ fuit. Neq; enim iudicium diuiſibile eſt: ſed perfectus eſt actus. Licet in ipſo nũc ſimul fiat.

NON ſecundum accidens ipſum quando. Intelligo autem, ut nunc dico, q; diuerſum. Haud tamen quod nunc diuerſum. Sed ita dicit, & nunc: & quod nunc ſimul profecto.

Diuerſum profecto eſt, quod ſecundum ſe ab eo, quod ſecundum accidens, & in ipſis rebus, & in cauſis, vt in naturali auditione dictum fuit. Et ipſum itaq; nunc & de eo nauali prælio quod nunc committitur: & quod nunc in hominum ore verſatur, iuxta ambo per ſe dicitur. Sin autem cum illud antea commiſſum fuerit, nunc in hominum ore verſetur: per ſe quidem, tanquam de eo, quod in hominum ore verſetur, ipſum nunc dicitur. De nauali vero prælio ſecundum accidens. Neq; enim ita ſeſe habet, vt nũc committatur: ſed

in

in hominum tantum ore nunc verſatur. Verum ſenſus, qui haud eam habet vim, vt præterita, aut futura cognoſcat: ſed ea tantum quæ in præſentia adſunt cognoſcere valeat: quãdo ſenſilium diuerſitatem dicit: hoc eſt, quando iudicat: tanquam ea tunc adſit, iudicat. Ita, vt haud ſecundum accidens de mutua ſenſilium diuerſitate, ipſum nunc dicatur. Quandoquidem & nunc quoq; iudicat. Sed de ea dicitur per ſe. Nam cũ de memoria loquimur, tunc quod ſecundum accidens, accedit.

QVARE inſeparabile, & in inſeparabili tempore.

Si duorum quorumpiam ſenſilium diuerſitatem, quod ſentiendi vim habet iudicet: idẽ vtrunq; percipiet. Neq; iuxta diuerſas particulas: ſed vna, atq; indiuiſibili. Atq; id illúd eſt, quod inſeparabile, atq; in inſeparabili tempore dixit. In quo & ipſa quoq; diuerſitas abeſt. At ea in ipſo nũc exiſtit. Quãdoquidem & ad ea quæ ſunt, ſenſus ſpectat. Cæterum quam ob cauſam non ſimul quidem: ſed in tempore diuiſibili? Nunquid omnino quidem & ita, quoniam alterum, atq; alterum. & quando adeſt diuerſitas: tunc etiam cognoſcitur. Verũ quia indiuiſibilis ipſum iudicium, actio eſt: neq; diuiſibilis, qualis eſt motus: ita erit inſeparabilis, vt indiuiſibilis. & in tempore inſeparabili, vt in ipſo nunc. Dubitatio. Reſponſum.

CENTESIMAQVADRAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

ATQVI impoſſibile ſimul contrariis motibus moueri idem, quatenus indiuiſibile, & in indiuiſibili tempore. Si nanq; dulce, ita mouet ſenſum, aut intellectionem. Amarum uero contrario modo. & album alio modo.

EXPOSITIO.

Cum iam demonſtrarit, quemadmodum vnum quod plura illa iudicat, eſt: neq; id iuxta aliam, atq; aliam particulam agit: ſed ceu indiuiſibile, atq; ſimul, cum mutuam eorum diuerſitatem diiudicet: vnde ex his haud ab iis, quæ demonſtrata fuere, noſter Ariſtoteles diſcrepans, quod neq; paſſio, neq; motus iudicium illud vim iudicandi habens ſit, demonſtrat: ſed actio, atq; perfectio, quæ intus excitetur. Pati nanq; contrarias affectiones: aut in oppoſita mutari impoſſibile eſt. Quoniam pugnandi, & impediendi, atq; euertendi, quæ in affectionibus, paſſionibusve, atq; mutationibus reperitur contrarietas, vim obtinet. Agere vero ſimul a ſeipſo, iuxta diuerſaſq; rationes in ſeipſo, contraria, haud impoſſibile eſt Cum huiuſmodi contrarietas vim pugnandi non habeat. Quando in diuerſis contrarias, illas actiones recipientibus verſetur. Quemadmodum ignis ſimul durum quidem reddit lutum: mollem autem ceram. Idemq; ſenſus ſimul & album chartæ, atq; nigrum literarũ iudicat. Ideoq; iudicium id ſentiendi vim habens eſt: non autem ipſe ſenſus: aut affectio: aut receptio. Neq; enim ſimul contrariorum eſſet. Quandoquidem cõuerti, mutarive, atq; oppoſito modo affici impoſſibile eſt. A dulci autẽ, atq; amaro oppoſito modo lingua mouetur. Et iccirco nequaquam ſimul iuxta eandem particulam a contrariis moueretur. Verum cum iuxta diuerſas particulas id hæc patiatur: ſenſus qui guſtandi facultatem poſſidet: qui propter indiuiſibilem ſuiipſius ſubſtantiam diuerſis linguæ particulis ſimul totus adeſt: iudicium de vtroq; ex ſe facit.

NVNQVID igitur ſimul quidem & numero indiuiſibile, & tempore inſeparabile ipſum iudicans. Suo autem eſſe ſeparatum. Eſt quidem ſane quo pacto tanquam diuiſibile, diuiſa ſentit. Eſt uero, ut quatenus indiuiſibile. Suo nanq; eſſe diuiſibile. Loco uero, & tempore, & numero indiuiſibile.

Cum ſtatuerit philoſophus, quod idem manens indiuiſibile, nunquam contrariis motibus moueri poteſt: aut oppoſitis affectionibus affici: pronuntiatumq; confirmans, attamen dubitat: nunquid haud omnino indiuiſibile quod ſuſtinet contraria. Numero quidẽ enim, & ſimul ſit indiuiſibile: quippe cum in eodem tempore iuxta ſeipſum totum contraria recipiat. Eſſe vero, hoc eſt ratione diuiſum, atq; ſeparatum eſt. Quandoquidem in eo diuerſæ ſunt facultates, quæ contrariorum recipiendorum vim habent. Quare quatenus

diuiſibile contraria patietur. Licet itaq; affectio, & motus iudicium illud ſit: minime tamen iudicans ipſum impedietur, quin contraria iudicet. Quandoquidem ratione diuiſibile eſt: quia iuxta diuerſas iudicet rationes. Loco quidem igitur, & numero indiuiſibile eſt, tanq̃ vnum, atq; idem ſubiectum: quod iuxta ſeipſum totum ambo, & plura patiatur. Nam numerus vnum quidem indicat. Locus vero quod neq; prope diuerſas parteis permaneat. Suo vero eſſe diuiſibile eſt: id autem eſt ratione. Quia ex formis, atq; rationibus, quorũcunq; ſubſtantia determinatur.

CENTESIMAQVADRAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

AN HAVD pote eſt. Poteſtate quidem enim idem diuiſibile, & indiuiſibile, & contraria. Ipſo uero eſſe non. Sed ipſo agere diuiſibile. Et haud pote eſt ſimul albũ, & nigrum eſſe.

EXPOSITIO.

Impoſsibile Ariſtoteles eſſe inquit, quod numero vnum, & idem: licet ipſo eſſe ſit diuiſibile: contraria ſimul actu pati. Poteſtate nanq; ſolum in oppoſita ipſum aptum, atq; natũ eſſe poſſe vult. Actu vero ſimul ſuſcipere nequaquam. Quod ipſo eſſe dixit, Ideoq; exponens quo pacto nunc eo vtatur, quod eſt, eſſe actu, addidit, haud ipſo agere, inquiẽs. Quo affectionem, & notum indicaret. Idq; manifeſtius vel exemplo ſignificat. Album nanq;, & nigrum paſsibiles ſunt qualitates. Magiſq; adhuc perſpicue concludens, ipſo pati vſus eſt.

ITA, ut neq; formas patiatur eorum: ſi huiuſmodi ſenſus, & intellectio.

Neq; enim ſenſilia ipſa, ſed ſenſilium formas ſenſus, atque intellectio ſuſcipit. Si huiuſmodi inquit, vt patiatur, & aliunde recipiat: & quia agat: vt ipſe dixit. Actu nanq; ſimul oppoſita patitur. Ita, vt aut ſimul ad vtrunq; mutari: aut ſimul iuxta eadem affici pote ſit.

CENTESIMAQVADRAGESIMANONA PARTICVLA.

SED quemadmodum quod uocant nonnulli pũctum, quatenus unum, & quatenus duo, ea ratione & diuiſibile.

EXPOSITIO.

Ex exemplo hoc, quod a puncto ſumitur, ſatis, ſuperq; a philoſopho noſtro oſtenditur, quod ipſius iudicii ſentiendi vim habentis abſq; vlla affectione eſt, & agendi vim habet. Præterea q; quod impartibile: & quod in ipſo nunc impartibili collocatum. Eorũ náq; quæ indiuiſibilia ſunt, & actiones quoque indiuiſibiles exiſtunt. Omnis autem motus, & omnis affectio in diuiſione poſita eſt. In cõuerſione nanq;. Ideoq; vtriuſq; & affectiones, & reliquæ mutationes ſunt. Sola aũt latio quæ in circulum fertur, licet haud eius ſit, quod in materia ſit: attamen & ea quoq; eius eſt, quod forma affectum'. Ideoq; eius, quod diuiſibile. Nanq; corporis eſt. Omne autem quod ex ſe diuiſibile, diuiſibilẽ quoq; habet actionem. Quo quemadmodum eſt: ita etiam agat. Punctum vero indiuiſibile eſt: quod etiam ſitum nactum eſt: nam lineæ extremum, atq; finis eſt. Atq; vna cum terminata comprehẽditur linea: vt cum ea, quæ cubiti, aut alia, quæcunq; ſit. Ex ſeq; proprium aliquod affert: qa finis, atq; principiũ eſt. Interdũ quidẽ enim alius finis eſt: alius vero principiũ. At pſæpe etiã duorũ aut pluriũ principiũ, atq; finis eſt: quẽadmodũ circuli cẽtrũ. Ná lineæ oẽs inde ducũtur, atq; ad circunferẽtiã tendũt. Púcto ita q; aía quæ ſentiẽdi vim habet, ſimilis redditа eſt. Quippe quæ ſine corpore, atq; idiuiſibilis ſit ſubſtãtia: ſed quæ ſenſorio vtatur, qđ diuiſibile exiſtat: quæq; vna cum eo, dum id patitur, atq; mouetur, diuerſis corporis particulis agit: quia diuerſæ quoq; affectiones incidunt. Ipſaq; ex ſe in actione quadam collocata eſt, quæ iudicandi vim habet: quæ tamen haud omnino a corporibus ſeparabilis exiſtit. Quandoquidem & in hanc per inſtrumenti affectionem deſinit. Quæ tamen neq; paſſio eſt, neq; motus, neq; eorum, quæ extrinſecus receptio: ſed actio indiuiſibilis, intus proueniens: quæ non efficiendorum, ſed cognoſcendorum ſenſibilium facultatem habet. Hancq; ex eorum rationibus in ſeipſa antea acceptis obtinet. Licet aliquando quidem ex

vna

vna aliqua: aliquando vero ex pluribus id nacta sit. Præsertimq; quando mutuam ipsorũ sensilium diuersitatem cognoscit. Liquet enim, quemadmodum horũ rationes in ea sunt. Siquidem ex seipsa agit: absq; sensiliumq; materia, prope eorum formas subsistit. Quoniã igitur pati quidem, & moueri apposito modo, atq; contraria simul recipere actu perdifficile est: agere vero possibile existit: qui subiectã rem interdũ in vnum redigit, & duo quoq; concedit: & partibilem, atq; impartibilem dicit: quo ad id, quod contraria simul partiantur, atq; fiant, nihil affert. Verum ad ipsum agere pertinet. Nanq; punctum, cum lineæ principium, atq; finis sit: vnum, atq; indiuisibile est: tanq̃ idem ambo præstans. Duoq; rursum, atq; diuisibile dici valet, ex diuersis principii, atq; finis rationibus. Eademq; ratione & anima, quæ sentiendi vim habet: quæ duo sensilia simul cognoscit, vna atq; indiuisibilis est. Quandoquidem & vnum quod commune vtriusq;, atq; simul. Quatenus vero diuisibile est, bis eodem simul vtitur signo. Quatenus iuxta diuersas rationes agit in ipso nunc, & simul. Quoniam haud impossibile vel opposita simul agere.

QVATENVS quidem igitur indiuisibile, unum ipsum iudicans est, & simul. Quatenus autem diuisibile est, haud unum. Bis nanque eodem utitur signo simul. Quatenus quidem igitur duobus utitur, extrema duo iudicat. & separata sunt, tanquam ea, quæ separatorum.

Vtitur quidem ipsum iudicans. Finis vero ipsa est anima, quæ sentiendi vim habet. Cũ tamen iudicans ipsa quoq; anima sit: sed quæ iam agat. Finis autem, & terminus, & indiuisibilis natura sua ex substantia est. Eadem autem ipsa, & duobus vtitur: quippe cum prope duas sensilium formas permaneat. Cum duo simul iudicet: quæ ratione, atq; proprietate inter seſe distincta sint. Quæ cum sint separata, ea ratione diuersarum rerum fiant iudicia.

QVATENVS uero unum uno & simul. De principio quidem igitur, quo dicimus animal eam habere uim, ut sentiat, determinatum sit hoc modo.

Quatenus unum subiecto ipsum iudicans est, & vna quoq; substantia, anima quæ sentiendi vim habet, iudicans est. Vnoq; vtitur fine, ipsa anima, quæ sentiẽdi vim habeat. Atq; simul tanq̃ in ipso nunc indiuisibili agit. Conueniũt quidem igitur vnicuiq; illorũ quinq; sensuum, quæ dicta sunt. Nanq; vnusquisq; eam habet facultatem, vt plura, atq; cõtraria comprehendat. Multo aũt magis ipsi cõmuni sensui hæc eadem quadrant. Quippe qui eã habeat vim, vt multo plura, atq; oĩbus subiecta cognoscere valeat, atq; principatũ magis obtinet: magisq; sensoriis ipsis anteſtat. Neq; enim in multorũ collectione hic quod cõmune collocatum est: sed in quadã potius contractione, quæ præexistit. Anima vero quæ sentiendi vim habet, principium est, tanq̃ forma. Multoq; magis tanq̃ id, quod vtitur.

CENTESIMA QVINQVAGESIMA PARTICVLA.

QVONIAM autem duabus differẽtiis definiunt in primis animam: motuq; eo, qui secundum locum: & ipso intelligere, atq; sentire.

EXPOSITIO.

Cum ad alteram post sensum, animæ vim iudicandi habentem potestatem Aristoteles pertranseat: atq; recto ordine ad imaginationẽ, quæ sensui proxima est, tendat: primo quidem determinat, quemadmodum & hæc animæ facultas ex iis est, quæ cognoscendi, non autem ex iis, quæ appetendi vim habent. Quæ quidem in vi illa mouendi secundum locum eluceſcit. Deinde vero quod haud eadem cum sensu sit demonstrat. Siquidem sensus semper, quo conuenienter agat, sensilibus indiget præsentibus, & sensorio mouentibus. Imaginatio vero, licet illa non adsint, interdum ex se excitata adpellit ad ea, quæ cognosci debent. Hacque ratione quodam pacto cum vitis illis, quæ rationem participant, affinitatem habet. Nam excitatio ad actionem, vitæ cognoscendi vim habentis: quæ ex ea ipsa fiat: quædam intelligentis est proprietas. Ideoq; & imaginationem intelle-

ctum philoſophus appellat: cum tamen nequaquam in hoc ſenſus cum intellectu conueniat: ſed in vi tantum illa iudicante. Hancq; ob cauſam, cum & ei quod ſecundum locum mouendi, quemadmodum & appetendi vim habet, quod iudicare valeat, oppoſuerit: in hoc ipſum ſentire, atq; ipſum intelligere comprehendit: ſed ita, vt pro quacunq; cognitione, quæ ex ſeipſa excitetur, ipſum intelligere ſumpſerit. Quod autem ad ipſam loquendi rationem pertinet: ad illam coniunctionem, quoniã, lõgiuſcule illud reddidit: quod haud idem ipſum ſentire, atq; ipſum ſapere, manifeſtum eſſe ſcribens. Propter longioremq; illam redditionem, particulam, itaq;, ibi admouit.

VIDETVR autem ipſum intelligere, & ipſum ſapere, tanquam ſentire quoddã eſſe. In ambobus nanq; his, anima iudicat, & cognoſcit ea, quæ ſunt. Et Antiqui ipſum ſapere, & ipſum ſentire idem eſſe inquiunt: quemadmodum & Empedocles dixit. Ad id quod adeſt enim, cõſilium augetur hominibus, & in aliis. Vnde ipſis ſemper & ipſum ſapere alia adeſt. Idem autem uult cum his, & illud Homeri. Huiuſmodi nanque mens eſt mortalium hominum, Qualem in diem inducit pater hominumq;, Deumq;.

CENTESIMAQVINQVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

OMNES nanq; hi, ipſum intelligere corporatum, quemadmodum & ipſum ſentire arbitrantur.

EXPOSITIO.

Ipſum quidem intelligere, vt iam dictum fuit, pro ea omni vita ab Ariſtotele ſumptum fuit: quæ cum cognoſcendi vim obtineat, ex ſeipſa actionem promit. Sapientia vero pro ea cognitione accepta fuit, quæ rationis particeps ſit. Quæ etiam diuerſitatem actionum illarum, quæ cognoſcendi vim habent, indicat. Licet nonnulli non ſolum intellectionem, ſed & ſapientiam in idem cum ſenſu adducat. Qui in id tantum, qđ iudicandi, atq; cognoſcendi vim habet, vt & ipſe quoq; Ariſtoteles infert, oculorum aciem dirigunt. Quãdoquidem id vitis illis, quæ cognoſcendi vim obtinent, commune eſt. Quod quidem igitur nonnulli aut naturales, aut ſophiſtici homines ita arbitrati ſint, haud eiuſmodi eſt: quin nobis quoque perſuadere poſſimus. Nanq; & Theætetus apud Platonem in idem ſcientiam cũ ſenſu ducit. Nequaquam tamen Empedoclem, aut Homerum in hac opinione ſtatuere debemus. Tametſi Ariſtoteles ei quod abſurde, atq; imperite dictum fuit, faués, quæ alia quoq; ratione interpretari queunt, confutet. Interpretari nanq; aliquid poſſet, quod illud quod adeſt, ſenſibile ſit: Neq; tamen ita ab Empedocle dictum fuit: aut ita ſese rerum veritas habet. Conſilium nanq; non ſenſilibus, ſed intelligibilibus ſibi ſemper præſentibus, ſe in ſui ipſius perfectionem tradit. Et ipſum ſapere in ſomnis alia adeſt. Neq; id propter reliquias illas, quæ ex ſenſibus remanent, dicẽdum eſt. Neq; enim ipſum ſapere huiuſmodi eſt. Sed quando ex aliis quibuſdam, ratio illa diſſoluta a corporis conſtitutione eſt: præſtantiorq; quædam boni, & veri in ſomnis, q̃ dum vigilamus, fit cognitio. Homerus vero eandẽ quidem mentem eſſe dicit: ſed a ſenſibilibus mutari. Neq; ſimpliciter mentẽ intelligit: ſed eorũ hominum, qui terrene, atq;, vt ipſe dixit, quaſi abſq; vlla accurata cogitatione viuunt.

ET ſentire, & ſapere ſimili ſimile, quemadmodum in ſermonibus prope principium determinauimus.

In quibus & a nobis determinatum fuit: qua ratione antiquorũ ſermo verus ſit, qui ſimili ſimile cognoſci, ſtatuit: & qua ratione eum recte interpretari poſſe Ariſtoteles putet.

ATQVI oportebat ſimul & de ipſo, deceptum eſſe, ipſos loqui conuenientius. Nanq; aialibus & plus temporis in his permanet anima. Ideo neceſſe, aut quẽadmodum nonnulli dicunt, omnia quæ apparent eſſe uera: aut ipſius diſſimilis tactionem, deceptionem eſſe. Id nanq; contrarium ei, quod eſt, ſimili ſimile cognoſcere.

Haud

Haud ſane mihi videtur, tanquam confutationem, illam ex deceptione rationem afferre, aduerſus eos, qui ſimile ſimili cognoſci inquiunt. Sed aduerſus eos, cum de deceptione non determinarint, inſtare: ipſeq; Ariſtoteles quod poſitionem illam conſequatur, videtur inferre. Aut enim de deceptione non determinarunt: quippe cum ea neq; ſit, ex eorum ſententia, qui quod apparet, verum exiſtimant. Aut concedentes & falſam quoq; opinionem fieri poſſe: in tactione eius quod diſſimile ſit, ipſam collocant. Quia contraria contrariis impertiant.

VIDETVR autem & deceptio, & ſcientia contrariorum eadem eſſe.

Id interpretes, tanquam abſurdum poſitioni illi adiectum eſſe, inquiunt. Non ſolum enim ſimile ſimili cognoſci inquiunt, in contemplatione illa, quæ ſcientiæ pariendæ vim habeat: ſed & contrarium. Eodemque præterea modo & vtrunq; in deceptione ignorari. Quandoquidem vnum eſt, quod vtrunq; cognoſcit, aut ignorat. Sed vnum quidem ſubiecto: quod vero ad eſſe ſpectat, vt ipſe quoq; Ariſtoteles dicere conſueuit: diuerſum: quia ex diuerſis rationibus oppoſitorum vtrunq; attingit. In ea itaq; contemplatione, quæ ſcientiam gignere valeat, ſimili ſimile tangere in ambobus vult. In deceptione vero diſſimiliter, quo ad vtrunq; ſpectat, ſeſe rem habere. Vno quidem igitur ſcire oportet. Quoniam nunc haud eam intelligit deceptionem, quæ aduerſus ſenſum opponitur: ſed eam, quæ aduerſus ſapientiam. Semper nanq; verus, vt inquiet, eſt, qui propriorum ſenſilium ſenſus. In ipſo vero decipi plus temporis, inquit, anima permanet. Altero vero tenendum, q̃ conuenientia non in anima: ſed in ipſo animali collocata fuit. Quoniam in vita illa, quæ cum corpore eſt, plus temporis in imperitia anima conſumit. Quandoquidem vitæ illi, quæ rationis particeps exiſtit: in qua & ipſum ſapere reperitur: verum dicere maxime conueniens, atq; proprium eſt: ideoq; & ei quoq; animali, quod rationem participat. Quo igitur pacto quod contrarium ei eſt, maxime conueniens eſſe aſſerit? Quoniam, vt ipſe quoque concedit, plus temporis in hoc permanet anima. Id autem ei euenit: quia cum ortui, atq; interitui obnoxium animal ſit, multum temporis ita permanet, vt peritas, atq; rectas animæ actiones recipere non queat. Diuq; poſtea a perturbationibus illis, quæ in eius mentẽ incidunt, impeditur. Prætereaque & illis diſtrahitur ſollicitudinibus, quæ hominum vitæ quotidie accidere ſolent: vnde & eo prohibetur ocio: quod ad veritatem inueſtigãdam anima quærit. Quodq; inſuper maximum, atq; grauiſſimum eſt: impetus ille animæ qui in corpus magna cum vehementia vergit: atq; implicatio illa cum ortu, eam ab ea cõuerſione remouet: quam in ſeipſam facit. In qua ipſum ſapere, veritaſq; ſecundum rationem conſiſtit.

Dubitatio. Reſponſum.

Cur longius in errore aia permaneat.

Prima cauſa

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sapere, veritaſq; vbi poſita.

CENTESIMAQVINQVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur haud idem eſt ipſum ſentire, & ipſum ſapere, manifeſtũ. Illius quidem enim omnibus copia conceſſa eſt. Huius autem paucis animalium.

EXPOSITIO.

Prudentia ſiue communius, & de ea omni contemplatione, quæ ſecundum rationem fit, intelligatur: ſiue magis proprie de ea, quæ ad illa, quæ in actione collocata ſunt, ſpectat: omnino de recta, atq; vera contẽplatione, & de ea, quæ non ſine cauſa fiat, intelligitur, atq; dicitur. Ideoq; paucis animalium eius copia facta eſt. Neque enim vel hominibus omnibus: ſed ex his perpaucis. Ipſum vero ſentire non ſolum hoĩbus, ſed & animalibus quoq; datum eſt. At quoniam hac ratione rectam contemplationem ſecundum rationem a ſenſu diſtinxit; ſeparat & aliam quancunq; contemplationem, quæ tamen ſecundum rationem fiat, a ſenſu, ſubiungens.

AT NEQVE ipſum intelligere in quo eſt ipſum recte, & ipſum nõ recte. Ipſum quidem enim recte, prudentia, & ſcientia, & opinio uera. Ipſum uero non recte, contraria horum. Neq; id ſane eſt idem cum ipſo ſentire. Ipſe quidem enim ſenſus propriorum ſemper uerus: & omnibus ineſt animalibus.

Intelligere quidem nunc ipſum ſimpliciter ſecundũ rationẽ agere appellat. Quod eã habet vim, vt & quod recte, & quod non recte cõplecti valeat. Vt ipſe quoq; Ariſtoteles manifeſte exponit. Ab huiuſmodi itaq; intelligere ſenſum philoſophus diſiungit. Haud tamen quia veritatis ſenſus expers habeatur. Nanq; aut ſemper, aut vt plurimum propriorũ ſenſilium ſenſus verus exiſtit. Verum quoniam ſenſus primo in actione illa, quæ in corpore verſatur, circunſcriptus eſt. Cum ipſum ſane intelligere multum profunditatis poſſideat: atq; ſeparabile exiſtat. In iiſq; cognitionibus collocatum ſit: quæ ſemper verum dicant: vt ſcientia, & prudentia. & in iis quæ aliquando id agant: cuiuſmodi vera opinio exiſtit. Deinde vero propter ſenſilium anguſtias illud ſenſus obtinet, vt de propriis ſenſilibus ſemper verum dicat: quia pauca percipit. Neq; ei accidit, quemadmodum opinioni: quæ aliquãdo mentitur: quia cum quadam ratione, aliquaq; ex parte, in cõtẽplatione aliorũ quoq; multorũ rẽ attingat: interdũ & ea, quæ minus quadrent, de re dicat. Præterea quia ſenſus extrema eſt illa vita, quæ cognoſcendi vim habeat: quemadmodum illud quoq; indicio eſſe poteſt, quod iis adſit animalibus, quæ omni prorſus dignitate, atq; exiſtimatione careant. Ipſum autem intelligere iis tantum ineſt, quæ rationem participant.

COGITARE autem contingit, & falſo: & nulli ineſt, cui non & ratio.

Cogitatio. Illam rationis actionem, quæ percurrẽdi vim habeat, cogitationem philoſophus appellat. Quæ quidem omnino verum dicit, cum cauſis coniuncta percurrat. Vbi vero ſine cauſis id agit, interdum mentitur. Cogitatio quidẽ igitur eſt rationis illa actio, quæ percurrẽdi vim habeat. Verum qm̃ haud prope terminos percurſus iſte fit: neq; cũ continuitate, quẽadmodum naturalis tranſitus: cõprobatio illa animæ in vnoquoq; termino, atq; quaſi in
Exiſtimatio. vno termino permanſio, exiſtimatio eſt. Quæ cũ hoc tanq̃ vero, conuenit. Ita, vt haud idẽ cogitatio, atq; exiſtimatio ſit: licet ſimul eluceſcant. Semper nanq; in percurſu ea poſita eſt actio, quæ rationis particeps eſt: & in cõprobatione eius, quod verum appareat. At neq; cogitatio, neq; exiſtimatio ſenſus eſt. Quorum alterum adipiſci nõ potuit: quia rationis particeps nõ fuit. Nam & aliis quoq; animalibus ratione carentibus ipſe adeſt. Alterum vero, quia non percurrit. Neq; enim ſenſus ex aliis alia colligit. Neq; ita verũ dicit, vt ſeipſum verũ dicere cõprehendat. Propria nanq; ſenſilia vere cognoſcit, vt quod albũ ſit, viſio. Quod vero cognoſcat, ſenſus ipſe percipere non valet. Neq; enim idẽ eſt rei ipſius cognitio: atq; ea perceptio, quæ huius rei cognitionẽ veram eſſe nouit. Cuiuſmodi exiſtimatio ipſa apparet: quæ poſt rei intelligentiam, vtrũ intelligentia illa vera ſit, iudicat: tũcq; cõponit, atq; cõplectitur, quod cognitũ fuit. Senſus aũt ſolum, quod ei occurrit, cognoſcit: licet vel falſo occurrat: quẽadmodum in imaginibus, ſimulachrisve euenit. Nã diiudicare non valet. Licet itaq; in propriis verus ſemper ſenſus ſit: attamen haud ſe veracẽ eſſe ſentiet. Cogitatio vero ſiue vere, ſiue falſo in ea, quæ cognoſci debent, incidat, nequaquã illi appulſui acquieſcit. Neq; componit, niſi & quod vera ſit intelligentia, adiudicet. Quod tum recte, tum nõ recte facit. Nam aliquando in adiudicatione hac aberrat. Tametſi itaq; cogitatio aliquando mẽtiatur: haud tamen eam ob cauſam ſenſu deterior eſt: qui in propriis ſenſilibus verax exiſtit. Quod nanq; illa aliquando mentiatur, eã ob cauſam euenit: quia multa ſimul intuea tur. Illud q; præterea verum, aut falſum dicere, non ex primo appulſu, reiq; illa intelligentia, ipſi datum eſt: ſed ex illius intelligentiæ adiudicatione.

CENTESIMAQVINQVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

IMAGINATIO nanq; diuerſum & a ſenſu, & a cogitatione. Ipſa nanq; non fit ſine ſenſu: & ſine hac non eſt exiſtimatio.

EXPOSITIO.

Coniunctio illa, nanq;, quæ eam habet vim, vt cauſam reddat, nunc poſita fuit: quia dictum fuit, in iis tantum quæ rationem participant, cogitationem ineſſe. Tanquam ſi intuliſſet: quod haud eadem imaginatio cum cogitatione: quemadmodum neq; eadem cũ ſenſu. Addit enim & id. Quandoquidem & de imaginatione ei ſermo propoſitus eſt: de qua ſermonem habens illud dicit: quod & a ſenſu, & a cogitatione diuerſa eſt. In iiſq;, quæ poſtea philoſophus infert: ſimul quidem cauſam affert, ob quam nõnullis imaginatio nihil

a ſenſu

a ſenſu differre videatur: aliiſq; cum cogitatione, atque exiſtimatione conuenire. Quæ ea nempe eſt: quia ſimul inſit, aliquando quidem cogitatio, aliquando aũt exiſtimatio. Nam ita actionem eam, quæ rationis particeps ſit, appellat. Simulq; ex his philoſophus noſter diſtinguendam imaginationem ab vtroq; cenſet: hoc eſt, a ſenſu, atq; cogitatione. Quandoquidem enim haud ſine ſenſu, ſed eo omnino præexiſtente, fiunt imaginationes. Quoniam in diſtantia quadam, atq; partitione, & diuiſione, ac figuris, modi iſti, qui imaginandi vim habent, collocati ſunt: quæq; huiuſmodi ſenſilia ſunt. Quæ vero ſenſilia ex ſenſu nobis nota fiunt. Cumq; quidam ad intellectum non perueniant: ſed eis ſatis ſuperq; ſit, ex cauſa & extrema eorum, quæ inde efficiuntur cognoſcere: ideo iure nonnulli decipiũtur: qui non diſtinguunt, quod accedit, atq; aduenit ab eo quo haud ſine. Qui vero diſtinguũt hanc imaginationem a ſenſu, cognoſcunt. Eodemq; præterea modo & ab exiſtimatione. In illis nanq; animis, quæ totæ extrinſecus vergunt: quæq; ab actione illa ſecundũ ſe omnino recedunt: quæq; in ſola ſenſilia directæ ſunt: cum & generatio ad auerſionem illius vitæ quæ ſecundum rationem fieri debet, ſimul agat: opus eſt cogitationi primo quidẽ ſenſu: poſtea vero experientia, atq; memoria. Quo quod vniuerſale adhuc eorum quæ ex ea forma determinantur, cognoſcere queant: atq; inde & ad eam recurrere formam, quæ illorum determinandorum vim habeat. Quorum cognitio eiuſmodi eſt, vt cogitare, atque intelligere valeat. Ita, vt & hic iis, qui non diſtinguunt, quod memoria tenere valet ab eo, quod quæ vniuerſalia ſunt, colligit, amborum confuſio accidat. At iis qui hac in re gradũ ſiſtunt, illud certum occurrat diuerſitatis inditium: quod alterum quidem tanquam finis eluceſcit. Alterum vero tanquam id, quo haud ſine.

QVOD autem non eſt eadem imaginatio, & exiſtimatio, manifeſtum. Hæc quidem enim affectio in nobis eſt, cum uelimus.

Exiſtimationem quidem, vt iam dictum fuit, eam cognitionẽ Ariſtoteles appellat, quæ rationis particeps ſit: intellectionem vero nunc imaginationem dicit. Quam etiam affectionem vocat: & in ea facultate, quæ recordari queat, collocatam eſſe vult. Quo igitur pacto licet haud ſine hac exiſtimatio fiat: attamẽ eam ab exiſtimatione diſtinguit? Quoniam huiuſmodi affectio in nobis, eſt, cum voluerimus. Quod haud eam ob cauſam dictum fuit, quia omnis imaginatio in poteſtate noſtra collocata ſit. Nam quædam vel nobis inuitis fiunt. Sed quia quædam in nobis ita fiant, vt vel arbitratu noſtro expromãtur. Licet nequaquam ad eas reprimendas eandem vim habeamus. Affectio itaq; ea imaginandi vim habens eſt: quia partibile aliquid obtinet: rerumq; vmbras, atq; imagines conſequitur: atq; a corporibus inſeparabile quid habet. In nobis aũt, noſtraq; poteſtate poſita eſt: qm̃ haud ita ſemper imagines effingimus: vt omnino cum rebus conueniant: neq; ita imaginationes promimus: vt nulla ex parte rerum veritatem negligamus. Quemadmodum enim ſenſus eam habebat vim, vt tanquam verum perciperet, ſed quod ſenſibile tantum comprehẽdere poterat: eodem modo & imaginatio haud eiuſmodi eſt: vt verum ſemper aſſequatur: ſed circa imagines tantum, atq; adumbrationes eius omnis actio collocata eſt. Quæ præter ſenſum id tantum aſſumit: quod haud ſemper eorum ſenſilium præſentia indigeat: quibus illæ imagines ſimiles ſint. Sed ex ſeipſa eas promat. Neque iis omnino acquieſcit, quæ a principio viſa fuerunt: ſed tum addit, tum adimit, tum mutat, tũ arbitratu ſuo quacunq; ratione variat.

Interrogatio. Reſponſum

ANTE oculos enim licet conſtituere: quemadmodum qui, in iis, quæ memoria conſtituuntur, collocant: & qui ſimulachra effingunt.

Illud ante oculos conſtituere, eſt rerum imagines promere, atq; ſecundum eas agere. Quemadmodum inquit, qui in iis, quæ memoria ſeruantur, collocant: hoc eſt, qui remini ſci volunt. Ita, vt pro reminiſcentia, memoria poſita fuerit. Nam ſic Alexander exponit. Aut potius, quemadmodum cum recordari velimus, perſæpe ſecundum imaginem agimus. Illud vero & ſimulachra effingere, illud indicat: quod haud omnino rebus ſimilis illa imaginum depromptio, appulſusve ſit.

OPINARI autem haud in nobis. Necesse enim aut mentiri, aut uerum dicere.

Existimatio latius opinione patet. Opinio vero pro quacũq; existimatione sumpta fuit. Cuiusq; commune est, verum, aut falsum dicere. Quandoquidem in comprobatione omnis existimatio collocata est. Comprobatio vero non solum in intelligẽtia eorum, quæ incidunt, versatur: sed & in distinctione veri atq; falsi. Nanq; in ipsa rerum conuenientia, & non conuenientia verum, falsumq; consistit. Res vero in nostra potestate minime sunt.

Ver. falsum vbi posita.

CENTESIMAQVINQVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

PRAETEREA uero, cum quidem opinemur, horrendum quidpiam, aut formidandum, confestim una patimur. Eodemq; præterea modo & si fidẽtiæ plenũ sit.

EXPOSITIO.

Comprobationem illam animæ, quæ in existimatione posita fuit, ex affectionibus illis cõfirmat: quæ eã cõsequũtur. Timet enim, & confidit, quia arbitratur. Nã in fide arbitratur.

IVXTA imaginationem autem eodem modo nos habemus, quemadmodũ qui intuentur in pictura, quæ horrenda, & fidentiæ plena.

Cum similitudinibus nanq; maximam conuenientiam habet imaginatio, & quemadmodum quæ in pictura aliorum sunt imagines: ita sese habent, & quæ in imaginatione collocata sunt. Ideoq; haud ita anima iis complicatur, vt tanquam vera ducat: quo aut fidentia impleatur, aut timore afficiatur. Lætatur nanq;, aut dolet, haud tanquam ea, quæ in ipsis rebus sit: sed tanquam earum memoriam retineat.

SVNT autem & ipsius existimationis differentiæ, scientia, & opinio, & prudẽtia, & quæ contraria his.

Quandoquidem ab existimatione imaginationem distinguere philosophus sibi proposuerat: opinionemq; pro ea omni existimatione accepit, quæ in medio collocata est. Cõmuniter nanq; cuicunq; ineſt, non autem opinioni soli, tum fides: tum quod haud in nobis, sed in ipsis rebus de his veritas posita sit: tum affectiones illæ, quæ ob eas res, tanquam veræ habeantur, excitantur, fidentiæ scilicet, atq; timores. Ideoq; existimationis species diuidit. Quo communis esse, quæ de ea omni dicta fuere, ex formis progredientes cognoscamus. Prudentia quidem igitur cognitio quædam est, quæ cum causa agendi vim habet. Scientia vero, quæ contemplandi. In vtranq; vero partem vergit vera opinio, cum vtraque ex parte causæ expers fuerit. Opus nanq; est hoc loco eam interpretari opinionem, quæ vera sit. Quandoquidem in eadem acie cum scientia, atq; prudentia statuitur. Præterea q; quoniam contraria in parte, vt imperitiam, atq; imprudentiam habemus: ita falsam quoq; opinionem collocemus.

DE quarum differentia alius est sermo.

In ethicis nanque, quas nunc existimationis differentias dixit, apertius diiudicat.

CENTESIMAQVINQVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

DE ipso autem intelligere, quoniam diuersum est ab ipso sentire. Huius autem id quidem imaginatio uidetur esse. Id uero existimatio, de imaginatione determinantes, sic de altero dicendum.

EXPOSITIO.

In ipsa anima, & intelligere, & sentire interpretandum est. Neque enim intelligere illud præstantius, q̃ secundum animã, aut imaginatio, aut existimatio est. Sed interpretari oportet quod dictum fuit, non secus ac si ita dicatur. De ipso autem intelligere animæ.

SI SANE est imaginatio, iuxta quam dicimus spectrum aliquod nobis adesse, & non. Siquid per translationem dicimus.

Quemadmodum ipſi ſenſui, quod ſenſibile: & ſcientiæ, quod ſciri queat: ita & imaginationi ſpectrum conueniens eſt, quod ab ea cognoſci debeat. Quemadmodumq; quilibet ſenſuum ex propriis, conuenientibuſq; ſenſibilibus determinatus fuit: ita & nunc imaginationem quoq; Ariſtoteles deſcribit: ex qua ſpectra nobis adſunt. Eamq; diſtinguit ab ea quæ per tranſlationem ex hac ſumptam, dicitur. Quando in eo, quod apparet imaginatione vtimur, & in ſenſu, atq; in opinione.

VNA quædam eſt horum poteſtas, aut habitus: ſecundum quem iudicamus, & uerum dicimus, aut mentimur. Hæc autem ſunt, ſenſus, opinio, intellectus, ſcientia.

Cum diuerſæ ſint animæ poteſtates, vt quæ nutriendi, ſecundum locum mouendi, cognoſcendi, appetendi facultatem obtinet: imaginatio quædam eſt vis, quæ cognoſcēdi poteſtatem habet: quæq; iudicare valet: hoc eſt, eam obtinet vim, vt ſpectrum comprehendere, atq; cognoſcere queat. Verum nīq;, aut falſum dicit. Nam ſpectrū rei, cuius eſt ſpectrū, ſimile effingens, verum dicit. Quod ſi diſſimile extiterit, mentitur. Siue id contra voluntatē ſuam ei accidat, vt propter obliuionem. Siue ſua ex appetitione, aliquid addat, aut adimat, aut quacunq; ratione variet. Ex quibus illud confirmatur: quod imaginatio vis quædam eſt, quæ iudicandi facultatem aſſecuta eſt. Cuiuſcunq; nanq; facultatis cognoſcendi vim habentis ipſum verum dicere proprium eſt. Licet ad huiuſmodi aliquam & ipſum quoq; mentiri, pertineat.

POTESTAS habitus, iuxta quem iudicamus, & uerum dicimus, aut mētimur. Hæc autem ſunt, ſenſus, opinio, intellectus, ſcientia.

Poteſtatem quidem nunc philoſophus dicit, eam omnem formam, quæ ſubſtantialis eſt: ex qua omnem hominem rationis compotem eſſe inquiunt. Habitum vero vocat, eminentem illam diſpoſitionem. At imaginatio ſubſtantialis quædam eſt poteſtas, atq; eminens quædam diſpoſitio. Iuxta quā, determinata, aut indeterminata ſpectra effingimus: & aut vere, aut falſo: & aut non ſine ratione, atq; via, aut abſq; vllo ordine. Propter quæ poteſtates illas enumerat, quæ cognoſcendi vim habeant: ſenſum, opinionem, ſcientiam, intellectum: a quibus imaginationem differre ſe demonſtraturum proponit. Senſumq; appellat cognitionem illam, quæ excitatur ex inſtrumento, quod prius recipit a ſenſibili actionem: quæq; ipſorum quidem ſenſilium exiſtit: ſed omnino conuenit cum ſenſilium formis, quæ in ipſis ſenſoriis adſunt. Opinionem autem exiſtimationem eam dicit, quæ in iis poſita, quæ aliter quoq; ſeſe habere poſſunt: & fidem quoq; eam intelligit, quæ in iis, quæ neceſſaria ſunt, abſq; vlla cauſæ inquiſitione verſatur. Scientia vero ea eſt cōuolutio quæ rationis particeps non ſine cauſa eſt: atq; eorum exiſtit, quæ ſemper eodem ſeſe habeant modo. Intellectus deniq; contemplatio illa terminorum, collecta, atq; impartibilis ab Ariſtotele accipitur.

Sēſus qui ab Ariſt. dicat.

Opinio.

Scientia.

Intellectus.

CENTESIMAQVINQVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur non eſt ſenſus imaginatio patet ex his. Senſus quidem enim, aut poteſtas, aut actus, ut uiſus, & uiſio.

EXPOSITIO.

Primo huiuſmodi quadam ratione imaginationem a ſenſu diſiungit. Senſus inquiēs, aut actus eſt, qui ſentiendi vim habet, vt viſio: aut poteſtas, qñ non agit, quēadmodū viſus,

APPARET autem aliquid, licet neutrum horum inſit, ut quæ in ſomnis.

Haud ita, vt in animali, neq; qui actu, neq; qui poteſtate inſit ſenſus: quod fieri non poteſt: ſed cum imaginationibus neuter adſit, apparet aliquid: hoc eſt, ſpectrum fit: quemadmodum viſa illa ſomniorum plena, quæ inter dormiendum occurrunt. Neq; ſenſus ille, qui tanquam actu eſt, idem cum his exiſtit. Nam ſenſus dormiendo non agit. Neq; poteſtas adeſt, quæ non agat. Quandoquidem actu ſpectra adſunt. Ita, vt imaginatio quidem agat: ſenſus autem minime. Ideoq; haud idem cum imaginatione ſenſus.

DEINDE ſenſus quidem ſemper adeſt: imaginatio autem non.

Confeſtim enim vbi in lucem hanc edita animalia fuerint, actio illa quæ ſentiendi vim habeat, adeſſe poteſt: nequaquam vero quæ imaginatione concipere valeat. Adfuiſſe nãq; ſenſum opus fuit: atq; adeo perſæpe forſan. Poſterior itaq; imaginatio eſt, neq; ſemper eã ob cauſam adeſt. Siquidem poſt ſenſum: atq; ab ipſo potius mouetur ſenſu. Hæc itaq; ſecunda fuit ratio, quæ vires has ſeparauit. Tertia vero iſta.

SIN autem actu idem, omnibus contingeret feris imaginationem ineſſe. Videtur autem non. ut formicæ, aut api, aut uermi. Deinde hi quidem ueri ſemper. Imaginationes autem ſunt plures, falſæ. Poſtea neq; dicimus, cum agamus exacte circa ſenſibile, quod uidetur nobis id homo: ſed potius cum haud exacte ſentiamus, tunc aut uerus, aut falſus. Et quod ſane dicebamus antea, apparent & dormientibus uiſa.

Tertia hæc eſt ratio, quæ a ſenſibus, atq; imaginationibus ſecũdum actum, poteſtates, atq; ſubſtantias eorum diſtinguit: tribuſq; ordinatim ab ipſis actionibus ſumptis vtitur argumentis. Quorum vnũ illud eſt, quod haud in omnibus animalibus, & vniuſcuiuſq; ſenſibilis imago innaſcatur. Nam in cane omnium confeſsione exiſtit: & in equo, qui eum etiam cognoſcit, qui ſui curã habeat: & in aliis quoq; permultis. Formicæ vero, & api, atq; adhuc manifeſtius vermi, non vniuſcuiuſq; determinati imaginatio adeſt: ſed cõmuniori quadam ratione nutritionis. Aut ſi & eius nutritionis imaginatio adſit, quæ in iſto reperiatur nemore, quemadmodum in apibus apparet: at nequaquam tamẽ & ea quæ huius floris, qui in hoc exiſtit indiuiduo. Ita nanq; interpretari illud debemus, quod haud in omnibus imaginatio inſit. Nequaquam vero ita, quaſi nulla iam ratione inſit. In omnibus enim reperitur: licet haud determinata ſit. Senſus vero ipſius, atomi, induiduive ſemper ſecundum actum eſt. Quare actio illa, quæ imaginandi, concipiendive vim habet, nequaquam eadem cum illa erit, quæ ſentire valeat. Secundum autem huius rationis argumentum ex veritate, & falſitate ſumptum eſt. Siquidem actiones illæ quæ ſentiendi vim obtinent, vt plurimum veræ ſunt, niſi diſtantia, aliquodve extrinſecus, impedimentum afferat. Actiones vero quæ ex imaginatione proficiſcuntur maxima ex parte falſæ. Contingit autem illis, vt verum dicant, propter anguſtias in quas redactæ ſunt. His aũt vt falſum proponant: quia ex appetitione quadam indeterminata excitantur. Tertium autem argumentum ex perſpicuo, atq; obſcuro ſenſilium cognitionis modo ſumitur. Exactiora nãq; ſunt ſpectra, q̃ ſenſilia: vt recta, planum, figura: ſed actio ipſius ſenſus, qui circa ſenſilia verſatur, perſpicua. Actio vero imaginationis procul abeſt, atq; obſcura eſt. Ideoq; & de ipſo ſentire per trãſlationẽ dicimus ipſum apparere, & ipſum imaginatione concipere de eo dicitur, quod haud perſpicuum. Quando contingit haud omnino verum dicere: interdum vero vt & ſenſus quoq; mentiatur. Viſa vero & dormientibus apparere dixit, vt in ſomnis. Viſa nanq; & ſpectra eorum quæ viſibilia ſunt, intellexit.

CENTESIMAQVINQVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

AT QVI neq; ex iis, quæ ſemper uerum dicunt, ulla erit, ut ſcientia, aut intellectus. Eſt enim imaginatio etiam falſa.

EXPOSITIO.

Neq; enim ſcientia, neque prudentia, multoq; minus intellectus ipſa imaginatio erit. Illud nanq; verum ſemper dicere, intellectui, atq; iis adeſt cognitionibus, quæ cum ratione ſunt: quæcunq; cum cauſis iunctæ ſunt. Nam omnis cauſa eſt ſubſtantia. Ac ſi cauſa proprie, & prima quoq; ſubſtãtia eſt. Imaginatio vero, procul tũ a cauſa, tũ ab oĩ ſubſtãtia abeſt.

RELINQVITVR itaq; uidere, utrum opinio. Fit nãq; opinio, & uera, & falſa. Sed opinionẽ quidẽ conſequitur fides. Neq; n. licet opinari, quibus uidetur fidem non adhibere. Beſtiarum autem nulli adeſt fides. Imaginatio uero permultis.

Differentia

Differentia illa, quæ nunc ponitur inter opinionem, atq; imaginationem, eadem mihi videtur cum ea, quæ antea quoq; dicta fuit. Ibi nanq; ipsum opinari haud in potestate nostra positum esse dicebatur, quia ex necessitate mentitur, aut verum dicit. In his vero quod opinionem fides omnino sequatur, asseritur. Fides autem est comprobatio quædam ei, qđ cognitum fuit, tanquam verum. Idcoq; iis, quæ sine ratione sunt, non adest. Fides nanque iudicium illud est, rationis particeps, quod rei, tanquam veræ intelligentiam consequitur. Nouit nanq; & intellectus, rem veram esse: sed impartibiliter, atq; vnius formæ apprehensione vtrunq;. Illa vero cognitio rationis compos, quæ vtrum intelligentia vera sit, iudicat: ita comprobat, vt omnino ratione nitatur, aut necessaria, aut probabili, aut persona ipsa loquente, tanquam ea, cui fides adhibenda sit. Atq; id secundum quandam rationem iudicat. Vt & de ipsis sensibilibus duplex adest cognitio, quarum altera sentiendi vim habet: altera vero rationis compos. In iisq;, qui procul conspiciuntur duplicitas ista elucescit. Neq; enim hominem esse comprehendo, nisi, quod moueatur, duos habeat pedes, atq; rectum incedat, ratione colligam. In iis vero quæ prope sunt, latet: quia confestim cognitionẽ eius, quod cernitur, cognitio eius q; & vere cognoscamus, consequitur. Neq; enim idem est, ea de quacunq; re sit intelligentia: atq; intelligentia de ea, q; vera sit: quam comprobatio consequitur: quæ veritatis domicilium est. Veritatis nanq; studiosa anima est: quæ nunquam a falso affici tolerat. Sed prope id, quod verum apparet omnino, & confestim, permanet. Diiudicatum itaq; fuit in omni existimatione, quod ipsius cognitionis duplex sit. Verum cognitionem rerum notitiam gignere valentem: quæ certa, atq; exacta sit: confestim & quod vera sit cognitio consequitur. Quemadmodum & visionem illam, quæ prope fit. In cognitione autem illa, quæ vim opinandi habet, ex eo quod videtur, & in superficie positum est, ac fere longius abest: quia neq; ad profunditatem accedit, neque cum primis causis iuncta est, discrimen apparet. Recteq; Aristoteles dixit, quod fides opinionem sequitur. Quãdoquidem cum fides opinionis constituendæ vim habeat, latius ea patet. Quemadmodum & animal amplius, atq; maius homine est. Nanq; fides scientiæ, & intellectui inest, prudẽtiæq;, & ipsi præterea opinioni. In his nanq; duobus opinio suum habet esse: tum inquam in illa rerum intelligentia, quæ haud admodum penetret: tum in ea comprobatione, quæ tanquam vera sit. Fides vero quæ quamcunq; cognitionem rationis compotem, atq; intelligentem consequitur, bestiarum nulli inest. Quandoquidem cognitio illa, quæ sine ratione est, haud eam habet vim, vt rem tanquam veram comprehẽdat: sed rem solam, cum eius etiam cognoscendæ vim habeat, percipere valet: atq; ita, vt vera quidem sit: id autem ipsum, hoc est, vtrum vera sit, nequaquam iudicat. Id náq; eius cognitionis munus est, quæ eam habet vim, vt in seipsam cõuertatur. Eius inquam, quæ id ipsum omnino cognoscat: quod vere, aut falso percipiat. Ea nanq; seipsam cognoscet. Omnis autem vita, quæ rationis expers est, in id tantum tendit, quod extra collocatum fuit. Quoniam quæ extrinsecus etiam sunt, solum appetit: atq; ea sola cognoscit. Neque appetitio eorum, quæ extrinsecus sunt, tanquam bonorum fit: sed tanquam suauium solum. Neq; cognitio eorum est, tanq̃ verorum, sed tanquam sensilium solum. In consensu nanq; illo rei, aut tanquam bonæ, aut tanquam veræ, referre oportet, quod seipsum, aut vtile, aut verax ostendit. Neq; enim in iudicio eius, quod cum cognosci debeat, extrinsecus positum est: ipsum cognoscere omnino collocatum fuit: neq; in alicuius ossis consensu, quod delectet. Contra nanq; potius euenit: vt animam nostram vehemens illa voluptas circa ea, quæ extra sunt, ita afficiat: vt & intensus quoq; eorum sensus, qui eam a seipsa recedere cogit. Fides quid.

PRAETEREA omnem quidem opinionem sequitur fides: fidem uero ipsum persuasum esse. persuasionem autem sermo. Belluarum uero nonnullis, imaginatio quidem inest, sermo autem non.

Ex eadem quidem sententia hæc quoq; elicitur ratio: quæ tamen haud absq; vllo discrimine cum illa, quæ antea posita fuit, eadem est. Illa quidem enim a fine: hæc autem ex ea via, quæ ad finem tendit, sumpta fuit. Quoniam fides finis est. Ipsum vero persuaderi

via exiſtit ad hanc. Ac robur quidem, viſq; ei admouetur, ex definitione fidei: quæ compro batio quædam eſt, tanquam propter id, quod verum ſit. Definitioni autem ipſius fidei vis adiicitur, ex notitia, quæ de perſuaſione habetur: quam etiam fidem præcedere oportet: qp pe cum fides perſuaſioni, tãquam finis accedat. Eſt enim perſuaſio comprobatio illa, quæ ex ratione, fit: quemadmodum fides comprobatio illa eſt, quæ iam adeſt. Nanq; in perſua ſione exquiſitio, quædam fit, ipſius intelligentiæ rerum: & receptio quædam earum, tanq̃ verarum. Quandam vero vel beſtiis imaginationem adeſſe inquit: nam & eam, quæ deter minata eſt, & quæ de quopiam ſimpliciter habetur, imaginationem vocat.

Perſuaſio qd

Fides quid.

CENTESIMAQVINQVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

MANIFESTVM itaq;, quod neq; opinio cum ſenſu, neq; per ſenſum, neq; cõplexus opinionis, & ſenſus, imaginatio eſſet, propter hæc.

EXPOSITIO.

Quia Plato tum in Sophiſta, tum in Philebo, imaginationem in admiſtione opinionis, atq; ſenſus collocauit, ex his aduerſus eam poſitionem inſtare Ariſtoteles videtur. Re vera autem, quanam ratione oporteat, admiſtionem illam interpretari, ex euerſione ſententiarum prope poſitarum, demonſtratur. Neq; enim ita accipere debemus, vt ſenſus quidem præcedat: opinio autem ſequatur: atq; in huiuſmodi actione imaginatio ſuum habeat eſſe. Quam quidem intellectionẽ philoſophus indicauit, cum dixit, neq; per ſenſum. Neq; ita, vt hæc ambo, ſimul exiſtant. Neq; ita, vt in vnum quidem conueniant: ſed vtrunq;, tam inquam ſenſus, q̃ opinio, ſimplicem propriam afferat actionem: quæ alterius reſpectu im mixta ſit. Quod cognoſcendum eſt, ipſum Ariſtotelem dicere, cum inquit. Neq; opinio cũ ſenſu. Aut ita, vt & in vnum concurrant, atq; mutuo complicentur: verum aut diſiũctim: ſed vna quædam communis ex ambobus fiat actio: non cum comparatione in euerſione quadam vtriuſq;, quemadmodum in mulſo euenit. Neque enim in iis, quæ ſine corpore ſunt, id conſtitui poteſt. Sed ita, vt ambo pura, atq; ſyncera ſeruentur. Quatenus vero & al terum totum per alterum totum pertranſeat. Haud itaq; quacunque ratione, huiuſmodi ſenſus, atq; opinionis admiſtio, imaginatio eſt. Propter hæc philoſophus inquit, & ea quæ dicta fuerunt, intelligit: quæcũq; ſcilicet, cum ſenſus, atq; opinionis propria ſint, ab vtroq; horum imaginationem dimouere. Vt, ſi in viſis illis, quæ in ſomnis apparent, neq; qui ſecundum poteſtatem, neq; qui ſecundũ actum adeſt ſenſui. Et ſi ſenſus præſentibus quidem ipſis ſenſilibus fit: imaginatio vero licet ea procul abſint. Et ſi opinio quidem in poteſtate noſtra poſita non eſt: & poſt comprobationem illam, quæ tanquam ad veritatem ſpectat: & ex perſuaſione, atque ſermonibus fit: imaginatio vero & in poteſtate noſtra poſita eſt: & ſine fide, atq; ſermonibus conſiſtit. Nequaquam itaq; in eorum amborum actione, ſiue ſimul in vnum conueniant: ſiue alterum quidem præcedat, alterum vero ſequatur: imaginatio collocari poterit. Propter hæc igitur: & propter rationem illam, quam nunc in fert. At quamnam eorum admiſtionem Plato intelligit? Eam profecto, quæ in mediis ſimplicibus, atq; in iis, quæ ſunt: quæ propter affinitatem illam, quam cum ambobus extremis habet, ex extremis compoſitio, atq; admiſtio dicitur. Hoc enim pacto & Ariſtoteles ex albo, & nigro medios colores conſtare inquit. Et ipſe quoque Timæus ita, animam ex impartibili illa ſubſtantia, atq; ex ea, quæ circa corpora diuiſa, conflatam eſſe aſſerit. Propter ſolam ſcilicet affinitatem mediorum cum extremis: quæ non ſine ſimplicitate quadam cõſiſtit. Imaginatio nanq; media inter ſenſum, & opinionem eſt.

Dubitatio.

Reſponſum

ET PATET, quod haud alia quædam eſt opinio. Sed eius eſt, cuius & ſenſus. Dico autem ex albi opinione, & ſenſu, complexus imaginatio eſt. Neq; enim ſane ex opinione quidẽ ipſius boni, ex ſenſu uero ipſius albi. Ipſum igitur uideri, eſt ipſum opinari: quod ſentit haud ſecundum accidens.

Perſpicuum eſt, quod determinatur: quod ſcilicet minime, ex ſenſu quidem de alio: ex opinione autem de alio, illa componatur imaginatio: quæ ex ambobus conſtat. Sed ex iis,

quæ

quæ de eodem habeantur. Neque ex iis, quæ de eodem, ſecundum accidens: vt de Socrate. Haud ex ſenſu quidem q̃ albus, ex opinione autem quia bonus. Secundũ accidens nanq; ita de eo agent. Quandoquidem vtriq; tam albo inquam, q̃ bono Socrates ſubiicitur. Sed ſi vna ex ambobus imaginatio fieri debeat: quod ambo tam ſenſus ſcilicet, quam opinio per ſe circa idem verſentur, oportet: quod q̃ & albus, & bonus Socrates exiſtat.

CENTESIMAQVINQVAGESIMANONA PARTICVLA.

APPARENT autem & falſa, de quibus ſimul exiſtimationem ueram habet. Vt apparet quidem ſol, unius pedis: perſuaſum autem eſt, eſſe maiorem terra. Cõtingit itaq;, aut abieciſſe ſuii ipſius ueram opinionem: quam habebat ſeruata re, neq; oblitũ, neq; diſſuaſum. Si adhuc habet, neceſſe eam ueram eſſe, & falſam. Sed falſa fiebat, cum lateret mutans res.

CENTESIMASEXAGESIMA PARTICVLA.

HAVD itaq; unum quodq; horum eſt: neq; ex his imaginatio.

EXPOSITIO.

Perſpicuum, vt arbitror, & id quoq; eſt: quemadmodum non ſolum oportet ambo, ſenſum, inquam, atq; opinionem per ſe de eodem eſſe: ſed neq; inter ſe diſſidere. Seditio autẽ in cognitionibus, illa eſt, cum altera vero: altera falſo hæret. Cũ itaq;, vt in sole accidit, ſenſus quidem falſus ſit: opinio autem vera, continget imaginationem illam: quæ ex vtriuſq; complexu conſtat, eandem exiſtentem ſimul veram, atq; falſam eſſe. Niſi quiſpiam in deteriorem partem vergere, atq; vel opinionem falſam reddi aſſerat. Quod nanq; ſenſus qui de sole habetur, nequaquam ad veritatem traducatur, perſpicuum eſt. At neq; opinio ad falſitatem deuenient: cum neq; nos opinionem mutemus: neq; sol nunc alia ratione ſeſe habeat, atq; antea habuerit. Duobus nanq; modis, vt & in eo explicatur libro, qui prædicamentorum nomine circunfertur: contingit eum, qui vere antea, quapiam de re exiſtimarit, poſtea falſo opinari: aut quia ipſe diſſuaſus, oblitusve ſit: aut quia res eo inſciente mutata fuerit. Imaginatio itaque, & vna exiſtens, & de re vna, tum falſa propter ſenſus erit. Id nanq; indicat. Apparet & falſa. Tum vera, propter exiſtimationem. Et in eo, igitur, Apparet quidem sol vnius pedis, illud apparere, pro eo, quod eſt, imaginatione cõcipi accipiemus. Ita, vt propter ſenſum, idem viſum & verum ſit. At propter fidem, quam de sole habemus, ipſa terra longe maior ſit.

AT quandoquidem licet, ubi motum fuerit hoc, moueri alterum ab hoc. Imaginatio autem motus quidam eſſe uidetur: & haud ſine ſenſu fieri: ſed iis, qui ſentiunt, & quorum ſenſus ſunt. Licet autem fieri motum ab actione ipſius ſenſus.

CENTESIMASEXAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

ET hunc ſimilem neceſſe eſt eſſe ſenſui. Eſſe iam poterit ipſa motus, qui neq; ſine ſenſu contingat.

EXPOSITIO.

Cum ex iis, quæ antea dicta ſunt, philoſophus demonſtrarit, quod diſiuncta eſt imaginatio ab aliis poteſtatibus, quæ vim cognoſcendi habẽt: deinceps quænam ea ſit, tradit ex actionibuſq; eius ſubſtãtiam aſſequitur. Mouetur quidem igitur proxime a ſenſibilibus ſenſorium, non ſolum quia patiatur, ſed & quia agat, quia viuax eſt. Nam excitatur in huiuſmodi affectione, quæ agendi vim habet, pura illa actio, atq; iudicium, quod ſentire valet: quod prope ipſius ſenſibilis formam permanet. Cum neq; extrinſecus, neq; cum affectione, ſed intus, ſubſtantia illa, quæ ſentiendi vim habet, iuxta proprias, atq; conueniẽtes rationes illud promat: ſed ita, vt conueniat, cum actione illa, quæ patiendi vim habens in ſenſorio exiſtit. Ita, vt motus quidem ſit, affectio illa, quæ in ſenſorio a ſenſibili fit. Appulſus autem ille rationis, atq; purum illius animæ quæ ſentiendi vim habeat iudicium, atq; terminus ille prope ſenſibilis formam, non motus, ſed impartibilis eſt quædam actio.

Propter quam vita illa,quæ imaginatione concipiendi vim habet,excitatur, cum ei proxime iuncta sit:quæq; instrumento quidem vtitur eodem:sed haud ita,vt sentiendi vim habeat,atq; extrinsecus vlla ratione afficiatur:sed imaginatione concipere valeat,& ab huiusmodi vita fingatur,atq; formetur.Neq; mirum cuiquam videri debet, si idem vehiculum diuersis nostris vitis substratum fuit.Quandoquidem & ei quoq; nostræ vitæ subiectum est:quæ rationis existit particeps.Vna itaq; cum nostris illis actionibus,quæ rationem participant,afficitur non solum spiritus,sed & solidum id quoq; instrumẽtum.Præcipue igitur,spiritus,tanquam sentiendi vim habẽs afficitur:& sensus ad eam accedit actionẽ, quæ secundum suam formam fit:& spiritus aptus redditur ad earum imaginum, quæ imaginatione concipiuntur,receptionem:ipsaq; imaginatio excitatur ad imagines illas depromẽdas,quæ ex propriis rationibus eius afferendæ vim habent:licet ita,vt cũ formis illis, quæ sentiendi vim obtinent,conueniant.Neq; semel,aut bis interdum solum imaginibus illis, quæ sentiendi vim habeant,indiguit:sed & persæpe ad similes promendas.Vbi itaq; excitata fuerit vel a seipsa,promit ipsa imaginatio spectra:& format,atq; effingit figuram ex seipsa.Aut æque,non absimiliq; modo,atq; sensilium formas sunt:aut & exacta quapiam ratione aliquid admouens.Quemadmodum cum ei,quæ latitudine careat,rectam porrigat: & exactissimas præterea quasq; figuras.Interdumq; etiam indefinite agit: multisq; modis imagines variat.Et vt sensu indigeat,quo a principio excitetur:commune cum nostris illis quoq; vitis,quæ rationem participant,habet.Nanq; hæ propter totam illam animæ ad ea, quæ extra sunt,conuersionem:a principio quasi quadam percussione eorum quæ extrinsecus collocata sunt,quæ in sensorio fiat,indiguerunt:quo ea,quæ a se proprie,atq; conuenienter cognosci debent,perciperent.Verum cum hæ ad illud pertranseant,quod sine corpore,atq; vmbra,imagineve,& omnino sine diuisione cognosci debet:imaginatio in eo cõtinetur quod corporis formam refert:& imagines effingit,atq; diuisionem patitur.Nam q̃uis eas omnes nostras actiones,vt Iamblichus vult,designet,quæ rationem participãt: attamen & ex sensibilibus illis formis adumbratur affingendo,atq; partiendo.Ideoq; sensui proxima habetur.Licet eam ob causam ipsi sensui præstet:quia post excitationẽ illã quæ a principio fit,& ex seipsa quoq; agit:neque semper sensilibus præsentibus eget.Præterea q;, quia certam admoueat notitiam.Quod forsan haud omnis imaginatio habebit: sed quæ eorum existit animalium,quæ rationem participant. Omnis autem imaginatio id possidet,vt ducendorum,atq; commouendorum animalium vim habeat. At in aliis ea existit vita,quæ in ipsis cognoscendi vim habet.In ipsis vero hominibus,tunc valet, cum propter aliam quãcunq; causam occultetur ratio.Verum iam & Aristotelis verba prosequamur.

VERVM quandoquidem licet,ubi motum fuerit id,moueri alterũ ab hoc.Imaginatio autem motus quidam uidetur esse:& non sine sensu fieri:sed sentientibus,& quorum sensus sunt.Licet autem fieri motum ab actione ipsius sensus.

CENTESIMA SEXAGESIMA PRIMA PARTICVLA.

ET HVNC similem necesse est esse sensui.Esse iam ipsa poterit motus,qui neq; sine sensu contingat.

EXPOSITIO.

Quemadmodum lapis mouetur a vecte:qui quidem vectis motus a manu fuit.Verum oportet ex quadam communi ratione coniunctionem illam adiungendi vim habentem, quandoquidem,iis quæ sequuntur,admouere:donec redditio fiat. Vt,& quandoquidem imaginatio motus quidam esse videtur:& non sine sensu fieri,sed sentientibus,& quorum est sensus.Et quandoquidem licet fieri motum ab actione sensus.& quandoquidem hũc sensui ipsi similem necesse est esse:& quod reliquum est,reddit ex eo, Ipsa iam esse poterit motus,& quæ sequuntur.Verum quonam pacto,cum imaginatio actio quædam sit, cognoscendi vim habens,quæq; intus excitatur,motus est?Nunquid videtur, philosophus dixit.Videtur autem omnino:quandoquidem cum corpore id habet:quod patiatur quodam modo,atq; moueatur.Quoniam vis illa sentiendi extrinsecus cõmouetur: quæ vero

Dubitatio.
Responsum

concipere

concipere valet, ab ea effingitur vita, quæ id præstare queat. Illud quidem igitur, quod est, haud sine sensu fieri, sed sentientibus principium inesse, commune ipsi imaginationi, vt iam dictum fuit, cum illis nostris vitis est, quæ rationem participant. Illud autem eius proprium, illud inquam, & quorum sensus est. Neq; enim ad id, quod sine corpore sit, imaginatio ipsa pertransit: sed permanet, in imaginibus, & distantiis, atq; figuris illis, quæ corporum formam referunt. Fieri quidem igitur ab actione, quæ sentiendi vim habeat, motum, aut actionem aliam, nõ solum de imaginatione, sed & de nostris illis cognitionibus rationem participantibus, verum, atq; perspicuum est. Verum propter proximam, atq; corporis formam referentem affectionem, ex necessitate similis est imaginatio sensui. Iure itaque Aristoteles concludit: quod cum imaginatio motus sit, propter corporatam illam effictionem, vt iam dictum fuit, haud sine sensu innascitur. Particulares nanq; sunt, atq; corporis formam referunt, tum imagines, tum formæ illæ. Particularia vero, atque corporum formam referentia ex sensu primo sese cognoscenda offerunt. Quoniam neq; ad vniuersalia sine sensu peruenire valemus.

NEQVE non sentientibus inesse.

Neq; enim plantis imaginatio inest, aut iis, quæ neq; omnino viuunt: neq; iis, quæ sensum superant: quæcunq; scilicet ex intellectu, aut ratione intelligente perficiuntur. Quando quidem non sine interuallo, atq; forma eæ sunt actiones, quæ imaginatione concipiendi vim habent. Quæ vero illius puræ sunt rationis: quæq; multo magis ipsius existunt intellectus, partitionem istam interualla, atq; formas inferentem superant. Nunquid igitur vel cœlestibus quoq; imaginationem concedere debemus? Profecto id facere debemus, si & sensum quoq; illis concedimus. Verum id ea ratione agẽdum, vt eis sensum tribuamus, qui totus intus, & a seipso excitetur: atq; constituendorum, cognoscendorumq; sensilium cunctorum vim habent: & qui antea determinatus sit a sensilibus illis, quæ extrinsecus, in ipsis tamen diuinis reperiuntur vehiculis: ex rationibus illis existimationis, quæ corporũ formam referant. Verum quæ haud effingendi vim habeant, neq; alia's aliæ sint. Sed proxime, atq; coniunctim complecti queant, quæ aliorum effingendorum vim habent, & ipsam [illegible]m, eorum quæ eximendo alia's alia fiunt. Dubitatio. Responsum.

ET MVLTA secundum ipsam & facere, & pati, quod habet: & esse & ueram & falsam. Id autem contingit propter hæc. Sensus quidem propriorum, uerus est, aut quamminimum habet falsum. Secundum autem huius, cui euenẽre & hæc. Et hic iam contingit mentiri. Quod quidem enim album non mentitur. Si autem id ipsum album, aut aliud aliquid mentitur. Tertium autem communium, & sequentium accidentia, quibus insunt propria. Dico autem, ut motus, & magnitudo, quæ euenẽre sensilibus. Circa quæ præsertim iam licet decipi iuxta sensum. Motus autem qui ab actione fit, diuersus erit a sensu, qui ab his tribus sensibus.

Pari quidem imaginatione vult, quia ab ipsis sensibus moueatur. Facere vero, quia vbi iam mota fuerit, & seipsa excitatur, & memoria animalia mouet. Illud nanq; secundum ipsam, non solum quia ipsa determinandi vim habeat: sed & tanq̃ mouere quoq; valeat, pro eo, quod est, ab ea interpretandum est. Siquidem & anima illa, quæ imaginatione assequi valet, viuenti corpore, tanquam instrumento vtitur: & esse tum vera, tum falsa potest. Nanque imaginatio illarum est facultatum, quæ vim cognoscendi habentes in nobis reperiuntur. Cuicunq; autem cognitioni ipsa veritas, tanquam certus finis propositus est. Cæterum quando haud ex iis imaginatio est, quæ semper verum dicant, quemadmodum intellectus, & scientia, iure aut vera, aut falsa est. Interdum quidem & quasi volens mentitur. In nostra nanque potestate, vt dictum fuit, positum est, & visa illa, quæ non sint, confingere. Verum id ei imaginationi forsan accidit, quæ rationis compos est, quæ variat, propter transmutationem illam rationis, quæ in multas parteis spectat, ac sæpe oppositi

tas. Imaginatio vero illorum, quæ ratione carent, haud huiusmodi est: quia in angustum redacta est. At verum, atque falsum illud, quod omnem consequitur imaginationem, ex conuenientia, quam cum sensibus habet, describit. Nam eam, quæ cum propriis moueatur sensilibus, vt plurimum vera esse inquit: præsertim cum neque propter distantiam, aut aliud aliquid, quod occurrat, & ipse quoque sensus aberret. Quoniam si verum sensus dicat, & imaginatio quoque illa, quæ nuper commota fuit, verum dicit. Quemadmodum, quæ diuturno interposito temporis spatio, excitatur: quæq; eorum sensilium, quæ haud propria sint, persæpe a veritate decidit. Ideo & antea quoque dictum fuit, veros semper esse propriorum sensus: imaginationes autem multas falsas. Non cum adhuc sensus adsint: sed vbi iam fuerint, ac post aliquod tempus. At circa ea, quæ secundum accidens sensilia, licet adsint fiunt imaginationes falsæ, vt quod Cleonis filius albus sit. Neque id cuiquam mirum esse debet: nam & sensus, & ad ea spectant, falsi esse possunt. Eodemq; modo sese habebit, & sensus illi, atque imaginationes, qui circa communia sensilia versantur: qui licet ea adsint, interdum falluntur. Quoniam licet haud secundum accidens hæc sensus percipiant: at non primo. Propria nanque primo comprehendunt. Insunt autem ipsa communia, quemadmodum & propria, quæ ambo accidentia sunt, iis, quæ secundum accidens sensilia: quæ eæ sunt substantiæ, quæ subiectæ sunt. Illa vero verba, Circa quæ præsertim iam licet decipi, de vtrisq; sensilibus intelligere debemus: hoc est, de iis, quæ secundum accidens dicuntur: & de iis, quæ communia sunt.

ET PRIMVS quidem præsente sensu uerus. Alii uero, & præsente, & absente esse possent falsi: & præsertim cum procul ipsum sensile sit. Si itaq; nihil aliud habet, quæ dicta sunt, nisi imaginatio. Id autem est, quod dictum fuit. Imaginatio esset motus a sensu, qui secundum actum fit.

CENTESIMASEXAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVONIAM autem uisus in primis sensus est, & nomen a lumine accepit: quoniam sine lumine non licet uidere. Et propter ipsum permanere, & eodem modo esse cum sensibus, & multa secundum eos, faciunt animalia. Alia quidem, quia non habent intellectum, feræ. Alia uero adumbratus sit intellectus interdum, affectione, aut ægritudinibus, aut somno, ut homines.

EXPOSITIO.

Excitatur nanque confestim vbi sensus adfuerit imaginatio. Licet interdum lateat, quia sensus vim percutiendi habet. Qui vbi distractus fuerit, protractionem significat: præsertimque si procul abfuerit, quod sentiendi vim habet. Quando etiam contingit, vt non solum imaginatio, sed & sensus in propriis sensilibus aberret. Propter quæ illud Aristoteles colligendo infert, quod nulli alii præter quàm imaginationi, quæ dicta fuerunt, motum conueniunt. Erant autem quæ dicta fuerunt, ab eo sensu qui secundum actum esset, innatum esse. Corporum autem ipse est motus. Et quia effingitur, atque formatur spiritus, dum excitatur imaginatio, nam motus de ea dicitur: quia ipsa sensui similis est: quia a corporibus inseparabilis. Nam semper cum actione illa, quæ imaginatione concipiendi vim habet, effingitur spiritus. Neque iis, quæ non sentiunt ipsa imaginatio inest: neque sine sensu fit. Quandoquidem appulsus omnis animæ, qui ad ea, quæ extra, fit, ex sensibilibus excitatur. Imaginatio vero & in sensibilibus imaginibus permanet: & multa, quod eam habet, iuxta eam facit, atque patitur. Nanque & appetit, quod facere est: & erubescit, atque pallescit. Quod ad ipsum pati adducitur. & verum, atque falsum dicit: quia ex illis existit potestatibus, quæ cognoscendi vim habent. Quæ tamen neque semper verum dicunt. At & nomen quoque ipsum imaginationis, seu, vt Græci dicunt, φαντασίας,

Aristoteles

Aristoteles adducit, propter affinitatem illam, quam cum sensibus habet, declarandam. Nam ex visu, qui inter ipsos præstantissimus est: cuius actio non sine lumine fit: ex quo & φαντασίαν, denominatam vult: cum lumen quoq; a Græcis φῶς, appelletur. At quia permanent, similesq; sensus huic sunt, multa secũdum eos, animalia faciunt. Omnis nãq; actio in sensibilibus collocata est. Quoniam in actionibus ipsis vtitur sensilibus: atq; in appetitionibus, quæ ad ipsas tendant, sensilium vtitur memoria. Quæ quidem permanẽs est actio, sensibus similis. At in aliis quidem aĩalibus, quod initium facit, atq; ducẽ in actionibus agit, ipsa est imaginatio. Quandoquidem nihil præstãtius habent. In ipsis vero hominibus, quod actiones orditur, intellectus ille est, qui agendi vim obtinet: cum secũdum rationem agimus. Neq; sine imaginatione quicquam agit. Nanq; ipse imaginationibus vtitur: quia actiones in sensibilibus positæ sunt: & impetus ad eas, haud sine sensiliũ memoria fit. Quia vero interdum tenebris intellectus ille, qui agendi vim habet, obtegitur: & nos tunc iuxta imaginationes præcedentes mouemur. Quod perspicue, ac maxime aperte in somnis euenit. Nam tunc imaginatio sine vlla ratione id, & illud indeterminate tractat: & ipsum interdum animal mouet. At & in animi perturbationibus id quoq; accidit: quemadmodum in immoderatis illis cupiditatibus, & indignationibus, voluptatibus, atq; doloribus, & timoribus: cum anima ratione non vtatur. Et in ægritudinibus præterea quibusdã: quemadmodum in dementiis. Causam vero ob quam tenebræ intellectui effundãtur, vel puerilis ætas sustinere valet.

DE imaginatione quidem igitur, quid est, & propter quid est, dictũ sit hactenus.

Nanq; definiuit ipsam. Ipsius autem quid est, declarandi vim definitio habet. Verũ quia potestas est, quæ cognoscendi facultatẽ obtinet, quæ aliquando quidem verũ dicit: aliquãdo autẽ mentitur, & eius quoq; causas noster philosophus explicauit: quas ex eo, propter quid est, commemorat. Ex quibus altera quidem tanq̃ efficiens est: & sensus secundũ actũ existit. Altera vero tanq̃ finis. Quo secundum eam animalia multa faciãt, atq; patiantur.

PRIMA PARTICVLA.

DE particula autem animæ qua cognoscit anima, & sapit, siue separabilis sit, siue & non separabilis secundum magnitudinem, considerandum quam habet differentiam, & quonam pacto fit ipsum intelligere.

Hic secũdũ et latinos fe[illegible] incipit liber de ala

EXPOSITIO.

Quid quidem, & qualis separabilis ille ab animis intellectus sit: quodq; prima sit substãtia, & impartibilis, atq; præstantissima vita, & supremus ille actus, idẽq; intelligibile ipsum, & intellectio, & intellectus, & perpetuitas, & perfectio, & permansio, & terminus, & omniũ causa, opportunius, atq; perfectius in iis, quæ a nobis in duodecimo diuinæ philosophiæ: atq; ita, vt Iamblichi contemplationes de eo, ex Aristotelis quoq; mente cõsequeremur, tradita fuerunt. Potius itaq; nunc, qualis ille sit intellectus, cuius anima nostra particeps sit, dicendum est. Est enim quidam vel proprius intellectus, cuius quælibet anima rationis cõpos, particeps existit. Quo determinatur vnaquæq; anima, cũ sub id, quod definitur, subingrediatur: & in rationem loco ipsius formæ subeat. Omnis nãq; forma indiuisibilis est. Quandoquidem tum terminus, tum perfectio existit. Anima vero haud indiuisibilis est, vt eius indicat actio, quæ conuoluitur: quæq; non sine diuisione, atq; collectione progreditur. Vbi itaq; in id, quod determinatur, atq; forma afficitur, subingressa fuerit, particeps redditur: atq; adeo quælibet anima sua ex substantia, tetigit terminum, & formam, & propriũ. Siquidẽ & in iis, quæ cõposita sunt, ĩdiuidua reperitur forma. Iuxta quã proprie apud stoicos dicitur qualis. Quæ & collectim accedit, & rursum recedit: eademq; & tota ipsius compositi vita permanet: licet aliæ particulæ alias fiant, atq; intereant. Si itaq; vel ex cõpositis vnumquodq; propria determinatur forma: multo magis id quoq; anima obtinebit: quæ tum proxime ipsis iungitur formis: tum diuersa profecto erit forma hæc, cuius anima existit particeps, a primis illis formis, quas nihil iam participare potest: quippe quæ sui

Quę de vero intellectu dicantur.

De quo intellectu nũc Aristoteles agat

Ois forma ĩdiuisibilis.

aliis copiam faciat, neque omnino in ſeipſa remaneat: neque terminus ſit ſeparabilis: ſed alterius, hoc eſt, ipſius animæ exiſtat. Id ipſumq; iam dici queat, id autem eſt, terminus eius, quæ in id, quod determinetur, ſubingrediatur. At & ab ipſa anima quoque hæc tanquam præſtantior ſubſtantia diuerſa erit. Nam non ſecus differt, atque terminus ab ea, quæ terminatur: & perfectio ab ea, quæ perficitur. Cæterum quandoquidem anima ſubſtantia quædam eſt, quæ non ſine ratione cognoſcendi facultatem habet: quia hanc determinet, impartibilis erit ſubſtantia, quæ cognoſcendi facultatem habeat. Id autem intellectus eſt. Verum huiuſmodi intellectus, vt aliis ſui copiam faciat: atq; adeo id totum ſit, hoc eſt, animæ intellectus. Nunquid igitur de hoc nunc Ariſtoteles verba facit? At neq; is animæ particula eſt. Sed formalis eius cauſa exiſtit, & præſtantior quædam ſubſtantia. Prætereaque tranſitus ille ab imaginatione ad eum ſine medio, abſurdus, non conuenienſq; ei eſt. Nam ſubſtantiam rationis compotem ſuperat: & ex ea vita, quæ nutriendi vim obtinet per media ſemper aſcendit. Quandoquidem & manifeſte philoſophus noſter determinat, ſcribens. Dico autem intellectum quo cogitat, atq; exiſtimat anima. Ac animæ quidem definitionem capere oportet: quo magis perite ipſam cognoſcamus. Quemadmodum & in aliis fieri conſueuit, vt cum animal rationis particeps, mortale nouerimus, quo hominem cognoſcamus. Nam in ea vita, quæ ex ratione perficitur: quæq; finitas ſecundum tempus habeat menſuras, humanam intelligimus formam. Hac ſane ratione, vbi animam in ſubſtantia, atque vita quadam conuoluta, quæ agendi, atq; contemplandi vim habeat, conſiderauerimus: & quod aliquando quidem ad ſenſilia, aliquando autem ad intelligibilia cõuertatur: & cauſam quoque eius, quæ formalis exiſtat, in indiuiſibili, & intelligente tum cauſa, tum vita collocabimus. Quæ tamen neq; agendi vim habeat, neq; abſque vlla conuolutione contemplandi: ſed quædam huius determinandæ vim habens cauſa ſit: & actio quæ actionem, atque huiuſmodi conteplationem inducere queat. Intelligo autem formalem animæ cauſam eam, ex qua cum ei inſeparabiliter adſit, determinatur: quæq; iam in id quod determinatum fuit, ſubingreſſa eſt. Quemadmodum & omne id, quod determinatur, ex aliquo determinatur termino, qui ei præſens ſit: qui communiter iis omnibus, quæ eiuſdem ſunt ſpeciei, & cuiuſque proprius ſit. Quod de iis dicitur in quibus multa, quæ eiuſdem ſint ſpeciei, exiſtunt. Ea itaque nunc nobis proponitur meta, vt de eo loquamur intellectu, cuius anima particeps eſt. Neque & præterea de eo, quem non participat. Sed de ſubſtantia, quæ rationis particeps exiſtat. Quandoquidem de anima, tota tractatio fit. Particula autem, ipſa humanæ animæ ratio appellata fuit: quoniam tota vna eſt. Dictumq; præterea fuit, quod nunc vna redditur: cum implicetur ratio in impetu illo ad corpus, cum ſecundis, atq; corporum formas referentibus, illis vitis. At cum dixerit Ariſtoteles, qua cognoſcit anima. Quandoquidem cognitio tum ea dicitur, quæ ſentiendi vim habet: tum quæ imaginatione concipiendi: quo eam quæ rationis compos eſt, indicaret, addidit illud, & ſapit. Quod rationis proprium exiſtit: quæ profunditatem habet. Atque eius quidem rationis, quæ haud ſecundis vtatur vitis: ſed ex ſeipſa agat, non autem patiatur: agatq; ea, quæ cognoſci debeant. Nam non aliunde, ſed ex ſeipſa promit. Altera vero ratio eſt, quæ in id, quod extra vergit: quæq; cum cognitionibus illis corporum formam referentibus complicata eſt: eaq; aut imperfecta exiſtit: aut perfecta quidem: ſed quia a prima illa perficitur, atq; formis expletur. Ita, vt iam duplex prima ſit animæ ratio. Quarum altera ſeparabilis, atq; ex ſeipſa, iis, quæ conuenienter, atq; proprie ab ea, cognoſci debeant, referta. Ex qua conuerſio illa animæ in ſeipſam, atq; coniunctio cum præſtãtioribus fit. Altera vero ex qua, cum a permãſione illa recedat, qua in ſeipſa anima permanet: tota ad ſecunda iſta tendit. Aut quia omnino a cauſis recedat: propter multum, tum a ſeipſa, tum a ſuperioribus illis, rationis receſſum: cum poteſtate ſolum, atq; imperfecte formas habeat. Aut quia & perficiatur, & in vita illa, quæ iam appulit, ſecundum rationem, quæ haud in ſeipſa maneat: neque in iis, quæ cognoſci debeant: quæ in ea, ſua ex ſubſtantia inſint: ſed omnino recedat: ſubingrediaturque in vitam eam, quæ cum appulſu fit: atque in vitã eã, quæ in ſubſtãtialium rationum ſubſiſtentia poſita eſt: recipiatq; quæ cognoſci debent, in habitibus illis, qui circa ſubſtãtiam exiſtunt: progrediaturq; ab iis, quæ ſubſtãtialia ſunt:

Ex definitiõe rẽ melius cognoſci.

Formalis aię cauſa.

Quæ nobis hic propoſita meta.

Duplex prima aiæ rõ. Prima. Secunda.

quemadmodum

quemadmodum ſciens facit. Erit quidem igitur altera quidem materialis, & poteſtate exiſtens, & paſsibilis ratio, quæ extra vergit: & ſecundis cognitionibus cõnexa eſt: quæ imperfecta eſt: & tota extra tendit. Altera vero, quæ in appulſu quidem collocata eſt: ſed plena, & quæ perfecti aliquid habet. Quæ licet circa ſubſtantiam verſetur: attamen haud circa ſubſtantialem illam actionem: quæ vel ipſa paſsibilis eſt: quia a ſubſtantialibus, atq; ab iis, quæ primo cognoſci debeant, ab ipſiſq; cognitionibus iuxta ſecundas menſuras perficitur. Vel poteſtate itaq; exiſtit: at haud omnino iuxta id, quod imperfectum. Sed iuxta id, quod poteſtate ſecundo dicitur loco. Quod iam quidem ex habitu perfectum eſt: licet non agat. Quemadmodum enim viuax inſtrumentum poteſtate vitam habere dicitur, tametſi viuat: quia aliunde aduentitie viuat: eodem modo & quod ex appulſu intelligit: tanquam illud, quod manentibus formis, atq; ex intellectionibus in iis inſitis, aduentitie perficiatur, poteſtate: licet iam intelligat: attamen intelligere dicitur. Hæc autem prima eſt ſubſtantialis ratio, quæ primum illud eſt, quod in anima cognoſci debeat, & prima cognitio: & quatenus ad animatam rationem ſpectat, fieri poteſt vt ſua ex ſubſtantia actu ſit, propter coniunctionem cum intellectu. Quemadmodum enim materialis illa ratio, & imperfecta, ei quæ ſentiendi vim habet, ſimilis eſt, propter impetum illum in id, quod cognoſci debet: omnino q; ipſa, quatenus rationi pote eſt, eius quod extra, fit: ita & quæ omnino ab eo, quod extra recedit: quæq; ſibi ipſi impartibiliter iuncta eſt, intellectui quatenus pote eſt, ſimilis redditur: qui primus ſua ex ſubſtantia, actu eſt. Hac itaq; ratione mihi ſaltẽ duplex, & triplex animæ intellectus eſſe videtur. Nam ſecundus aliquando quidem imperfectus, aliquãdo autẽ perfectus exiſtit: atq; ita dupliciter diuiditur. Neq; enim ita fit diuiſio in duo, aut tria: vt omnino rationes inter ſe paratæ ſint. Sed potius ita, vt circa vnam primã, duæ aliæ verſentur: atq; ab ea progrediantur: & circa vnam ſubſtantiam primam, ſecunda, atq; tertia ſubſtantia perficiatur. Illa nanque ſubſtantia prima, quæ a ſeipſa progreditur: ſecundas, atq; tertias in ſeipſa vitas promit: quæ haud actiones ſine ſubſtantia ſunt: ſed id ipſum ſane: hoc eſt, vitæ. Ois aũt vita ſubſtantia eſt: vel extrema illa ſit. Siquidem ex ea aĩal determinatur. Siquidem vita illa, quæ generandi vim habet, contrariorum recipiendorum facultatem obtinet. Verũ neq; ita prima illa in ea, quæ extra progreditur: quin & in ſeipſa quoque maneat. In ipſo nanq; manere tum ei, tum aliis, cum quacunq; ratione maneat, ſuum conceditur eſſe. Cæterum cum progrediatur, haud pure permanet. Vnus itaq; intellectus eſt: qui id pure, atq; ſyncere permanet, quod antea erat. Quiq; rurſus remittit, quod permanẽs eſt, ex appulſu, atq; progreſſu a ſeipſo ad ea, quæ extra. Quiq; ex hac quoq; cauſa imperfectus exiſtit: licet perfectus factus ſit. At rurſum quoq; a ſecundis illis appulſibus ſeiungitur: ac in ſeipſum reuertitur. Quando etiam illud eſt, quod vere eſt. Nam in illo appulſu, quodam pacto a ſeipſo recedit: neq; in ſeipſo omnino manet. Neq; id pure eſt, quod vere eſt. Nam & quo ad ſubſtantiam pertinet, quadam ratione confringitur. Tametſi haud iccirco omnino pereat. Neq; ita, vt non permanens, aliquo extra progrediatur. Cæterum nõ ſecus, atq; animatæ medietati cõuenit: tanquam eius, quod diuiſibile, atq; indiuiſibile medius exiſtit. Eodemq; modo & eius quod in ſeipſo pmanet, & eius, quod omnino aliquando a ſeipſo recedit: & eius, quod genitum, atq; ingenitum eſt: & eius quod immortale, atq; mortale omnino medius eſſe poteſt. Nam vitæ illæ quæ cum appulſu agunt, aliquando quidem nituntur: & rurſus contrahuntur in eam, quæ in ſeipſa maneat. Hæc autem aliquando quidem ſupremam illam permanſionem in ſeipſa exiſtentem perfringit: atq; illã quoq; ipſius permanentiæ ſummitatem: quæ ex conuerſione in ſeipſum perficitur. Ita, vt neq; ſemper eodem modo permanendo ſeſe habeat: quẽadmodum Platoni videtur: neq; ita intus progrediatur, vt omnino a ſeipſa recedat. Neq; enim adhuc progrederetur: neq; omnino permaneret. Quandoquidem in illa conuerſione in ſeipſam perficitur. Sermonem itaq; omnem in his Ariſtoteles de anima ea quæ rationis particeps ſit, habet. Verum haud de eo intellectu, cuius ipſa particeps primo eſt, loquitur. Nam, vt iam diximus, poſſumus ex hac ad eum peruenire. Cum haud ei illa accidant, quæ animæ euenire queunt. Verum ea definiendo agit: quæ anima illa, quæ ab eo determinatur, eſt, atq; viuit. Ipſa igitur anima eſt, quæ mutatur, & manet: quæq; ad ſecũda illa progreditur: quæq;

Quõ duplex triplexve aiẽ intellectus.

rursum in supremam, atq; separabilem substantiam recedit. Intellectus autem ille, cuius ipsa particeps est: cum semper eodem modo permaneat, quo vere est: determinat quascunque animæ constitutiones. Quemadmodum & naturalis illa forma: quæ eorum determinandorum vim habet, quæ gignuntur: impartibilis existens, atq; id, quod est, vere manês: eam habet vim, vt diuisibilia, & quæ quacunq; ratione mutantur, determinare queat. Verum intellectus, inquit, ille præstantior est animæ substãtia. De intellectu autem Aristoles verba facit: non de ea substantia, quæ rationis particeps sit. Cæterum si de anima hæc tractatio est, quonam pacto præstantissima animæ vita, quæ ea est, quæ rationis particeps existit, prætermittitur? Quoq; præterea pacto cum ab extrema illa exordium sumpserit, hoc est, ab ea, quæ nutriendi vim habet: & per proximas ascenderit: hoc est, per eam, quæ sentire valet, & per imaginationem, nonne & cognitiones illas adiunget, quæ rationis compotes sunt? Præsertim cum non sine præclaro ordine, quemadmodum apparet, ascendat. Nam primo illam tradidit, quæ imperfecta, iuxta id, quod potestate primo. Deinde eam, quæ perfecta secundum habitum. Atq; ita ad eam peruenit actionem, quæ in idem cum substantia venit. At per te eam omnem pertransit, quæ rationis particeps: deq; eo philosophatur intellectu, qui ab anima seiunctus est. De quo ne vspiam quidem se locuturũ proposuit. Qua nanq; ratione inficias iturus es, quin manifeste, id quod nunc in contemplationem proponitur, animæ particula nominetur? Qua etiam sapere dictum fuit. Prudentia vero cognitio quædam rationis particeps est: non autem ad eum spectat intellectũ, qui vltra animam abit. Rursumq; etiam philosophus infert. Dico autem intellectum, quo cogitat, atq; existimat anima. Existimatio vero, & cogitatio cognitiones rationis cõpotes existunt. Nam intellectum, vel rationem ipsam vocat. Intellectusq; nomẽ vel ad imaginationem ipsam extendit. Nam opinionem ab imaginatione distinguens, scribit. Quod autem non eadem existimatio, perspicuum. Hæc enim affectio in nobis est. Intelligereq; illud intelligit, quod imaginatione concipiendi vim habet: quodq; ante oculos collocatur, vbi voluerimus: quemadmodum qui in iis positi quæ ad memoriam reuocandam pertinent: & qui sibi simulachra fingunt. Atq; id Aristoteles imaginationem nominat, dicens. Secundũ imaginationem eodem modo nos habemus, quemadmodum qui intuentur in picturis, quæ horrenda, aut fidentiæ plena. In hisque solam imaginationem intellectionem dixit. Existimationem autem cognitionem illam appellauit, quæ rationis particeps est. At communiter ipsum intelligere de his ambabus dicens, postea infert. De ipso vero intelligere, quoniam diuersum ab ipso sentire: huius alterum quidem imaginatio videtur esse: alterũ vero existimatio. Et per particulam illud, huius, ipsum intelligere accipit, nõ autem ipsum sentire. Quemadmodum & diuersitas illa, quæ inter sensum, atque imaginationem affertur, indicat. Verum solam quoq; rationem intellectum philosophus appellat: dum ipsam ab imaginatione distinguit. Nam multa inquit, secũdum imaginationes facere animalia. Alia quidem quia non habent intellectum, vt feræ. Alia vero quia contegatur intellectus interdum, perturbationibus, aut ægritudinibus, aut somno, quemadmodum homines. At videtur omne id, quod a seipso ad actionem excitatur, ita, vt cognoscendi vim obtineat, intellectum appellare. Quandoquidem ad imaginationem vsq; ipsum producit. Et proprie animatam ipsam rationem, quippe quæ proxime secundum intellectum determinetur. Neq; eam minimi facit Aristoteles, cum haud circa sensilia ipsa cõuertatur ratio, quatenus sensilia: sed aut eas contempletur formas, quæ horum secundum substantiam cognoscendorum vim habent: aut eas quæ in ipsa substantia rationis compotes existũt: aut & per eas ad præstantiora tollatur. Tunc enim actu intellectus fit: quippe qui intelligibilia cognoscat: non autem sensilia, quatenus sensilia: quorum percipiendorum & sensus facultatem habet. Tunc nanque potestate solum intellectus est. Plato quidem igitur vel in omnibus consueuit formas, & quæ formis affecta sunt, ambigue appellare. Aristoteles vero cum quidem partibile quod forma affectum est, sit, ambiguitatem cauet. Quod ob multam distantiam, quæ inter partibilem, & impartibilem formam est, facit. Anima vero rationis particeps ita sese habet: vt non solum termineturr: sed terminus quoq; sit. Nam, vt quodam pacto media inter id, quod diuisibile, & id quod indiuisibile existit: sic & termini, & eius quod

Obiectio.

Responsum

Intellect⁹ nomẽ apud Aristotelẽ late patet & multa significare

terminatur, rationem ſubit. Quorum alterum ei datur, tanquam illi, quæ conuoluitur: alterum vero propter tranſitum illum ſemper prope terminos: & propter collectionem illam omnium eorum, quæ conuoluta ſunt, in vnum. Quæ quidem iam determinanti ipſi intellectui, æqualis reddi videtur. Hancq; ob cauſam in dialogo eo, quem Ariſtoteles conſcripſit, & Eudemi nomine appellauit: animam formam quandam eſſe enunciat. Hiſq; in libris eos laudibus proſequitur: qui animam eam habere vim dixerunt, vt formas recipere poſſet. Licet haud tota huiuſmodi dicenda ſit: ſed ea, quæ intelligendi facultatem obtinet: tanquam ea, quæ veras formas ſecundo loco cognoſcere valeat. Veræ nanq; formæ eiuſdem ſunt ordinis, cum præſtantiori illo animæ intellectu. Verum cum hæc iam prædeterminata ſint, Ariſtoteliam dictionem in manus ſumentes conſideremus, vtrum quæ antea determinata a nobis ſunt, cum ea conueniant.

DE particula autem animæ, qua cognoſcit anima, & ſapit: ſiue ſeparabilis ſit, ſiue & non ſeparabilis ſecundum magnitudinem, ſed ſecundum rationem, conſiderandum quam habet differentiam, & quonam modo ſit ipſum intelligere.

Dum metam eorum quæ propoſita ſunt, philoſophus determinat, oſtendit hãc eo contineri ſermone, qui de ea anima, quæ rationis particeps ſit, haberi debet. Ea nanque animæ particula eſt, cum vna cum ea, quæ ſentiendi, & appetendi, ac nutriendi vim habet, accipiatur. Neq; ad eam vſq; ſolum progredi oportet, quæ corporum mouendorum facultatem obtinet: ſed & ad eam, quæ cognoſcere, atque agere valeat. Nam cum illud ſapere, ei, quod eſt, cognoſcere admouerit: non ſolum quale illud cognoſcere dixerit, expoſuit: ſed & eius agendi vim habentem præſtantiam indicauit. Non ſolum enim rationis cõpos, ſed & agendi quoq; vim habens ea exiſtit vita, quæ ſapit. Cæterum eam quoq; cognitionem accipere debemus, quæ ei conueniat animæ, quæ rationis particeps ſit. Quæ aut proprias, atq; conuenientes pertractet rationes: aut ad præſtantiora tendat: aut & eorum quæ ſubingrediuntur formas, & omnino ſubſtantias conſideret. Accidentia autem nequaquam. Hæc nanq; ad ſenſum attinent. Illud autem ſiue ſeparabilis, ſiue non: haud corporis reſpectu interpretandum eſt. Siquidem & antea dixit. Quod vtrum intellectus aliquod cõtineat corpus, vel fingere difficile eſt. Ac ſiquidem vel nunc confeſtim infert. Neq; ipſum cum corpore mixtum eſſe: neq; ei, aliquod inſtrumentum adeſſe, quemadmodum ei, quod ſentiẽdi habeat vim. Sed ad eas animæ particulas, quæ dictæ fuere, hoc eſt, ad eam, quæ nutriendi, quæq; imaginatione concipiendi vim habeat, id referendum eſt. Atq; adeo quandoquidem, vt dictum fuit, tripliciter intellectui ipſum cum ratione cognoſcere conceſſurus philoſophus eſt, proponit ipſum, quod ſapit ex ſe, inueſtigare. Vtrum ſeparabile ſecũdum ſuiipſius magnitudinem ſit, ſiue non: ſed ſecundum rationem. Ita, vt inquirendum ſit, vtrum tres in nobis ſint intellectus: tanquam ſubſtantiæ, quæ mutuo ſeiunctæ ſint: vel vnus quidem intellectus, & vna ſubſtantia, ſed quæ ratione differat. Quia aliquãdo quidem tota in ſeipſam cõuerſa ſit: aliquando autem ad id, quod extra, vergat: & eadem tum imperfecta, tum perfecta ſit. Ita, vt tametſi diuerſæ ſint ſubſtantiæ: attamen ſubiecto ſeiunctæ non ſint. Sed circa vnam primam, tres illæ conſtitutæ ſint. Quæ diuerſæ effectæ ex vita illa vnius ſecundũ diuerſas rationes. Illud nanq; conſiderandum eſſe, quam habeat, differentiam: omnium confeſsione, haud ad vitas illas referendum eſt, quæ a nobis enumeratæ fuere. Iam enim nobis in memoriam reuocatum fuit: quemadmodum exiſtimatio ab illis differt. Sed potius ad eas ſpectat diuerſitates: quæ in ipſo ſapere reperiuntur. Quod & poſtea fiet. Quoniam autem haud perfectam intellectionem noſtra habet anima: inueſtigandum & quonam modo ipſum intelligere, fiat. Ideoq; ex neceſsitate ab eo ſumptus antea fuit intellectus ille, qui poteſtate, & imperfectus exiſtit Nanq; ab imperfecto omnis ortus exordium capit: & per illud quod ſecundum habitum perfectum, in eam deſinit perfectionem, quæ prope actum permanet.

SECVNDA PARTICVLA.

SI SANE eſt ipſum intelligere, quemadmodum ipſum ſentire, aut pati quoddã eſſet ab intelligibili, aut aliquid huiuſmodi alterum.

EXPOSITIO.

Non de omni intelligere dicit, huiusmodi ipsum esse, quale ipsum sentire. Neq; enim illud, quod secũdum habitum perfectum, cum possit ex seipso agere, huiusmodi est. Nam ipse intellectus seipsum cognoscere valet. Quandoquidem sensus haud eam habet vim, vt seipsum cognoscere possit. Neq; ex se, absq; sensilium præsentia excitatur. Multoq; præterea minus illud est: quod in eo, quod est, omnia, facere: & in eo, quod omnia fiat, collocatum est. Quodq; arti ex proportione respondet. Quod & absq; vlla affectione existere, manifeste dicitur: & separabile: & sua ex substantia, actus esse. Id autem intelligere, quod potestate est, & cum materia, & ab ipso intelligibili afficitur. Haud igitur de omni intelligere, accipere debemus: quemadmodũ nonnulli fecerunt: qui postea Aristotelem reprehendunt: quod sibiipsi contrarius esse videatur. Ac ne illud quoq; pati videatur, hæc de anima interpretemur: aut de eo intellectu, cuius anima particeps est. Intellectum autem illum, qui arti ex proportione respondet, eum dictum fuisse fateamur, cuius nihil particeps est: quiq; seiunctus est. Omne nanq; illud cognoscere, & sapere, quod in tractatione hac, quo inuestigetur, in medium adductum fuit, manifeste animæ dicitur esse particula. & ille huc adducitur intellectus: quo cogitat, atq; existimat anima. At de eo, qui secundum habitum perfectus, illud iam dicendum est: quod aliquando quidem fit, quemadmodum ipse sciens: & aliquando potest per seipsum agere, atq; addiscere, & inuenire. Quæ quidẽ omnia, ei tantum animæ conueniunt: quæ hominum est. Verum non solum patientem intellectum, sed agentem quoq; philosophus in anima collocat. Necesse enim esse inquit, in anima huiusmodi reperiri differentias. Ideoq; tum habitui, tum lumini intellectum illum in anima efficientem similem facit. Quo ille qui animam superat, & supra eam existit: potius prope ipsum illuminantem permaneat. Propositum itaq;, vt iam dictum fuit, Aristoteli est, in hac tota tractatione, de ea loqui hominum substantia rationis compote, quæ in his ipsis hominibus reperitur. Quam sane ipse intellectum vocat. At cum tripliciter eius intelligere Aristoteles consideret: ab extremo principium facit: & ab eo, quod in primis audientibus notũ. Ac fere id ipsum, quo inquiratur, in medium adducit, qua inquam ratione ipsum intelligere fiat. Ex imperfecto nanq; omnis ortus, generatio ve fit. Extremus autem intellectus ille est, qui materialis dicitur: quiq; ita vocetur, vt Aristoteles ipse dicturus est: quia omnia patiatur: atq; aliunde perficiatur. Neq; enim adhuc ipsa intelligibilia existit: sed quia ea recipiat, perficitur. Vt & sensum quoq;, quia sensilia recipiat, perfici scimus. Ideoq; eũ quoq; sensui similẽ fecit. Hancq; profecto ob causam, & ex positione noster philosophus ea protulit verba: dum coniungente vsus est coniunctione. Si vt sentire, ipsum est intelligere hoc est. Si illud intelligere consideretur: quod quemadmodum ipsum sentire existit. Tãquam id, quod ab illa permansione in seipso, quodq; ab illa conuersione in seipsum longe abest. Sed extrinsecus vergit, tum procul a seipso, tum ab eius formis, quæ eius sint. Licet neque omnino abalienatũ sit: ita, vt neq; vlla ratione in seipso maneat: neq; illæ maneant formæ, quæ in ipso sunt. Quod propter illum impetum extra, tum a seipso, tum a formis, quæ in ipso sunt, quisquam forsan suspicari posset. Ita, vt aliud sit, quod progreditur: quod ab aliis manentibus perficitur, atq; expletur. Nostra nanq; rationis particeps anima, cum vna, vt ita dicam, existat: simul & vna remanet, & multiplex redditur, in impetu illo ad corpus. Nã neq; pure permanet: neq; omnino recedit. Sed tum quadam ratione manet: tum a seipsa recedit. Et quia suiipsius respectu diuersa redditur: quod idem cum seipsa habet, obscurum, atq; hebes efficit, conuersionemq; illã, in seipsam remittit. Nã in lapsu illo, quo ad secunda nititur: haud ita labitur: quin in seipsam quodam pacto præterea conuerti queat. Omnis nanq; comprobatio rationis particeps cum conuersione, vt iam dictum fuit, existit. Is autẽ animæ intellectus, qui lapsum ad ea, quæ extra, sequitur: haud ex seipso intelligit: neque a seipso, neq; per seipsum. Sed quemadmodum sensus a sensibili: ita is ab intelligibili, atq; ab eo intellectu, qui eiusdem ordinis cum illo est, excitatur, atq; expletur: tanquam alius ab alio. Quod propter diuersitatem intellectus labentis, eius qui permanet, respectu euenit. Hacq; ratione pati quoddam esse poterit, illud iuxta labentem intellectũ intelligere: quippe cum ab alio perficiatur. Illa enim particula, quoddam, adiecta fuit, illi particulæ pati: ne

Aristo. in hac tota de aia tractatione mens.

huiusmodi

huiuſmodi forſan aliquando pati interpretemur, quod corrumpendi vim habeat. Illud vero, aut huiuſmodi alterũ: quo & ab ea affectione, quæ ſentiendi vim habet, differat. Magis enim proprie ibi id extat, propter inſtrumenti motionem, & propter diuerſitatem illam quæ penitus inter ſenſilia, atq; ipſum ſenſum exiſtit: & quia extrinſecus illa ſubſiſtunt. In ipſo vero intelligere, neq; aliud omnino ipſum intelligibile eſt: neq; foris, ſed intus reperitur. Neq; corporea quæpiam motio fit. Quandoquidem neq; tanquam inſtrumento eget. Nam affectio, paſſio ve in eo tantum poſita eſt, quod ab altero expleatur. Quatenus autem & a ſeipſo quodam pacto, quia vna eſt animæ ſubſtantia, huiuſmodi aliquid alterum: ita vt ſimul quidem ſimilitudinem cum affectione ſeruet: quia quaſi aliunde, aliquid afferatur. Simulq; diuerſum ab affectione ſit: propter perfectionem illam, quam a ſeipſo adipiſcitur. Vnde & inueſtigat anima: tanquam ea, quæ nõ habeat: & inuenit res, in ſeipſam intuens, tanquam ea, quæ habeat. Cæterum quia ab actionibus, quæ manifeſtiores ſunt, in ſubſtantias ipſas adducendi ſumus: iure ab ipſo intelligere in eam nos contemplationem Ariſtoteles perducit, quæ de eo habetur, quod ſic intelligat. At haud, quemadmodum in ipſo ſentire, ſenſilia vel ante actionem illam, quæ ſentiendi facultatem obtinet, ſumpſit: ita & ipſa intelligibilia, ante ipſum intelligere accipit. Quoniã ipſum intelligibile occultius eſt: q̃ ipſum intelligere iuxta progredientem eum intellectum, de quo loquimur. Quippe quod magis ſubſtantiale, ac permanentius ſit. Tanquam id quod omnino primum, & ſupremum animæ.

TERTIA PARTICVLA.

IMPASSIBILE profecto eſſe oportet. Vim autem formæ recipiendæ habere.

EXPOSITIO.

Quandoquidem pati eſſe dixit, ipſum recipere, atq; aliunde habere, quæ cognoſci debeant: ideo iure impaſſibile eſſe inquit, quod recipiendi quidem vim habeat: haud tamen adhuc conſecutum ſit. Intuetur nanq; philoſophus in vitam eam rationis compotem: quæ iam progreſſa ſit: quæq; a ſeipſa receſſerit: quæq; adhuc imperfecta exiſtat. Cuiuſmodi ea nempe eſt, quæ imperitorum exiſtit: & eorum, qui rerum ſubſtantias nequaquam cognoſcere valeant. Cognoſcit etenim vel tunc anima ipſa: ſed accidentia cognoſcit, & quæ ſubſtantiam conſequuntur. Verum haud atoma, quemadmodum ſenſus, atq; imaginatio. Sed quæ communia ſint. Nam cum ratione circa ea agit: & quod mutuo inter ea cõſequẽs, aut oppoſitum, & quod præcedat, ſequatur ve conſiderat. Quod & eæ omnes artes præſtant, quæ circa ea, quæ in materiæ concretione poſita ſint, verſantur. Prætereaque & illæ quoq; ſcientiæ, quæ mathematicæ dicuntur. Neq; enim hæ ſubſtantias, ſed figuras, & magnitudines, & affectiones, & motus, mutuoſq; illorum concentus contemplantur. Subſtãtialeſq; eorum rationes prætermittunt. Nam hæ abſq; vllo interuallo, ac coniunctæ ſunt. Vnde diſtantias, atq; diuiſiones, quæ ab iis exierunt, nec ſine diuerſitate progreſſæ ſunt, pertractant. Verum ſi hæc quoque a formis ortum habent: quonam pacto? nonne intellectus etiam, qui extra progreſſus eſt, hæc ex participatione, atq; affinitate quadam, quam cũ formis retinent, cognoſcet? Ne vel fruſtra intelligibiles formæ in anima inſint: quæq; nihil in intellectum agant. Nunquid agent illæ quidem vel tunc: ſed neq; tanquam intelligibilia, neq; tanquam formæ. Intelligibilia nanq;, omneſq; formæ, ſubſtantiæ indiuiſibiles, atq; termini exiſtunt. Intellectus autem in illo eius impetu ad ea, quæ extra, particeps intelligibilium redditur formarum, haud tanquam ſubſtantiarum, neq; tãquam eorum quæ ita cognoſci debeant, vt indiuiſibilia ſint: ſed tanquam eorum, quæ in diuiſionem, & affectionem deſinant: & in eam omnino naturam, quæ ſubſtantias conſequatur. Iure itaq; Ariſtoteles illud impaſſibile ipſius intelligere interpretans, tanquam id, quod nondum quidem habeat, ſed recipere valeat: non ſimpliciter id quod cognoſci poſſet, adduxit, ſed formam ipſam. Quæ quidem forma impartibilis eſt, & ſubſtantialis, atq; intelligibilis terminus. Intellectus nanq; ille eſt: quo terminos cognoſcimus.

Artes mathematicæq; ſcię q̃ cõtẽplent.

Dubitatio.

Reſponſum

ET poteſtate tale, ſed haud id.

Neq; enim, quandoquidem haud iam perfectus ille animæ intellectus eſt, qui alio vergit: & ita aptus, atq; natus eſt, vt ſemper ſit imperfectus. Nam & perfici quoq; valet. Quod ei datum eſt, cum in impetu illo ad ea, quæ extra permanens, quemadmodum ſciens, ex habitu perficitur: qui quidem habitus, ſubſtantiæ appulſus etiam eſt. Ideoq; ipſe in receſſu quodam a ſubſtantia, atq; extrinſecus collocatus eſt. Hac itaq; ratione poteſtate eſt, & tanq̃ is, qui aliunde recipiat: & tanquã adhuc imperfectus, & qui nondum receperit. Quoniam autem ſecũdo loco eſt intellectus: qui iam digreſſus ab eo, qui prope primam ipſam ſubſtantiam permanet: neq; eundem cum illo intellectu ſeruat ordinem, ſed remiſſum: ideo & tale, ſed haud id dictum fuit. Recte igitur poteſtate tale, ſed haud id.

ET eodem modo ſeſe habere, quemadmodum quod ſentiendi uim habet ad ſenſilia: ita intellectum ad intelligibilia.

Id profecto intelligens, de quo ſermo eſt. Quod & propoſitum fuit ad inueſtigandum, & antea dictum fuit. Si ſane eſt ipſum intelligere, quemadmodum ipſum ſentire, & a quo fit ipſum intelligere. Cuiq; recte adiunget id. & eum qui iam ita factus ſit quælibet: quemadmodum ſciens, qui ſecundum actum, factus eſſe dicitur. Qui ſane cum adhuc effectus nõ fuerit: eodem modo ſeſe habet ad ipſa intelligibilia: quemadmodum quod ſentiendi vim habet ad ſenſibilia. Nam ſentiendi vim habere inquit, quod ſentire quidem poteſt: haud tamen adhuc ſentit. Ita, vt & ex iis, quæ aliunde aduenium perficiatur: & ex eo, quod poſſit, ſimile reddatur: præterea q; ex eo, quod haud eadem: ſed huiuſmodi qualia vnde exemplũ ſumitur, quæ innaſcantur, ſint. Neq; enim ſenſilia ipſa in eo, qund ſentiendi vim habet, reperiuntur: ſed horum formæ, quæ accidentium formæ ſunt. Neq; ipſa intelligibilia, in huiuſmodi intellectu reperiuntur: ſed quæ talia. Præterquam quod, quæ quidem ſentiendi vim habent, præſtantiora ipſis ſenſilibus ſunt, tanquam viuacia, & quæ in id, quod impartibile adducta. Quæ vero intelligere valent, ipſis intelligibilibus cedunt: quippe cum hæc intus remaneant, illa vero ad ea, quæ extra progrediantur. Et quoniam ipſa quidem ſenſilia omnino diuerſa ab iis, quæ ſentiendi vim habent: ipſa vero intelligibilia ſimul diuerſa, atq; eadem. Nõ ſolum enim intellectus ille, qui lapſus eſt, diuerſus exiſtit: ſed idem quoq; cum eo, qui permanet. Et quoniam ipſa quidem ſenſilia per ſenſoriũ, quod ſentiendi vim habet, excitant: dum in ſenſorium agunt: Nam anima, quæ ſentiendi vim habet, appulſu couuenientium rationum, prope ſenſilium formam perſiſtit. Intelligibilia vero abſq; vllo medio ipſum perficiunt intellectum. Qui tamen ex ea actione quam in ſe reconditam habet, inde perficitur.

Tres diuerſitates inter intellectũ atq; ſenſum.
Prima.
Secunda.
Tertia.

QVARTA PARTICVLA.

NECESSE itaq;, quoniam omnia intelligit, immixtum eſſe, quemadmodum inquit Anaxagoras, quo imperet. Id autem eſt, quo cognoſcat. Quod enim prope apparet prohibet, quod alienum, atq; obſtruit.

EXPOSITIO.

Dilucidum eſt, quod & hæc de eo dicuntur intellectu, qui nunc propoſitus eſt: qui & progreſſus eſt, & imperfectus exiſtit. Atq; is nullum ex intelligibilibus eſt. Sed eorum omnium reſpectu immixtus eſt. Quod eam ob cauſam factum fuit: quo ea omnia participando intelligat: neq; ex ſe id agat. Sed ex ea parfectione, quam aliunde adipiſcitur. Quoniam intellectus ille, qui quemadmodum ſciens, quælibet ex ſe fit: haud immixtus etiam eſt: ſed quælibet exiſtit. Multoq; magis id ille conſecutus eſt, qui prope primam animæ ſubſtantiam permanet: quiq; ſua ex ſubſtantia, actus eſt. Verũ is, qui iccirco omnia intelligit, quia aliunde ad eum traducuntur: immixtus eorum omnium reſpectu anteaquam intelligat, eſt. Nam tanquam materia iis ſubiicitur, quæ intelligit. Abſq; vlla forma vero id omnino eſt: quod pure, atq; ſyncere a materia ſtat, materiale ve exiſtit. Ideoq; naquaquam in corporibus concedimus vnum aliquod reperiri elementorum: minimeq; aliquid quod forma affectum ſit, primam materiam eſſe. Nam inter formas mutua quædam inſita eſt contrarietas. Ex qua illud ſequitur: quod quicquid ex quauis earum conſtitutum fuerit, impe-

Sole clarius, hic tres illos Simplicii, & Ariſt. intellectus agnoſce

dietur,

dietur, quin reliquas recipere valeat. Seſe nãq; opponit, atq; obſtat, aut obſtabit, quæ ineſt, illis omnibus. Quo itaq; imperet, atq; pure quælibet cognoſcãt, immixtus huiuſmodi intellectus, reliquorum omnium reſpectu ſit. Quemadmodum Anaxagoras quoq; intellectum ſimilium illarum particularum reſpectu immixtum ſeruat: quo illis omnibus præſtet. Iſq; ille eſt, qui cuncta ſeiunctim efficit, atq; intelligit. At noſter iſte animæ intellectus, qui materialis dicitur, remiſſe agit. Ita, vt abſq; vlla prohibitione oĩum particeps efficiatur.

QVINTA PARTICVLA.

ITA, ut neq; ipſius ſit natura ulla quæpiam: At nũquid hæc, quod poſſibile? Qui itaq; uocatur animæ intellectus.

EXPOSITIO.

Illud ita, vt neq; ipſius, haud ita, vt & materiæ intelligendum. Ipſa nanq; abſq; vlla forma exiſtit: & ex eo tantum conſtituitur, quod corporatarum formarum recipiendarũ vim habeat. Intellectus autem is, & ipſe quoq; ex ea conſtituitur anima, quæ rationis compos eſt. Senſilia q;, vt iam dictum fuit, cognoſcit. Nequaquam itaq;, verba illa, neq; ipſius, ita interpretari debemus: vt & ſenſus quoq; nullam habeat naturam. Nam tum intellectus ipſe, tum ſenſus proprias quaſdam habent naturas. Verum verba iſta ita ſtatuere, ac collocare oportet: vt tranſponamus illud, eius, quadam ratione ſic. Ita, vt neq; ſit natura ipſius vlla. Ne aliud aliquid tanquam ei ſimile comparare cogamur. Nullam autem ipſius naturã eſſe, verum eſt: ſi naturam accipiamus intelligibilem, & intelligentem. Neq; enim intelligit, neq; intelligitur actu. Poteſtate q; tantum in horum vtrunq; vergit, anteaquam intelligat: donec imperfectus ſit. Licet enim ſenſilia cognoſcat: attamen nequaquam intelligibilia comprehendit: quæ ſubſtantiales terminos referunt. Ne intellectus quidem igitur eſt. Quandoquidem intellectus intelligibilium cognitio exiſtit. Intelligibilia vero ſunt, quorũ cognoſcendorum vim ſenſus non habet. Nam in duas quoq; parteis res omneis diuidere conſueuimus: in intelligibilia, atq; ſenſibilia. Iure itaq; & vocari Ariſtoteles inquit, huiuſmodi animæ intellectum. Quippe qui haud adhuc ſit: quia actu non ſit. Sed tamen vocetur: quia poteſtate intellectus ſolum ſit: nihil ex intelligibilibus ipſis formis exiſtat. Quas philoſophus in eorum numero, quæ eſſe dicuntur, collocat: tanquam eas, quæ proprie actu ſint, anteaquam ille intelligat. Quod nanque iuxta aliquid intelligit, omnino ab ipſis intelligibilibus determinatur, & eſt, quale quod intelligitur.

DICO autem intellectum, quo cogitat, & exiſtimat anima: nihil eſt actu eorum quæ ſunt, anteaquam intelligat.

In tranſitu nanq; illo rationis, qui percurrendi vim habet: quem quia cognoſcẽdo peragit, cogitatio indicat: & in contemplatione illa, quæ non ſine aliquo receſſu fit: quam exiſtimatio ſignificat: quod imperfectum ita contingit, vt neq; intelligat: & quod ſecundum habitum perfectum, quando poteſt tum alia ex ſeipſo, tum ſe cognoſcere.

SEXTA PARTICVLA.

QVAPROPTER, neq; mixtum eſſe, æquum eſt ipſum corpori. Qualis nanq; quidam fieret: calidus, aut frigidus. Et inſtrumentum aliquod eſſet, quemadmodũ ei, quod ſentiendi uim habet. Nunc autem nihil eſt.

EXPOSITIO.

Quandoquidem poteſtate ſolum, intellectum eum de quo locuti hactenus ſumus, Ariſtoteles eſſe dixit: & nihil eorum quæ ſunt, ipſum actu eſſe: nullamq; eius eſſe naturam: ſed id potius tantum, quod poſſibilis exiſtat: nunc non illud nobis ſignificãdum putauit: ne ipſum ſine ſubſtantia, aut ſine vita eſſe duceremus. Vita nanq; omnino, atq; ſubſtantia ea eſt, quæ cognoſcere, & ſapere poteſt: quæq; intelligibiles formas cognoſcendo recipere valet. Haud id igitur nos monere voluit. Sed potius ne ſubſtãtia aliqua, & vita, intellectus is eſſe putaretur, quæ corporis formam referret. Quoniam in corpore in primis, quod po

teſtate, atq; imperfectũ reperitur. At mutationes demonſtrant ipſum ab ea omni vita, quæ a corporiqus inſeparabilis ſit, ſeiunctum. Inſeparabilis nanq; vita duplex eſt: altera quidẽ quæ viuax ipſum inſtrumentum effingit: ſecundum quam viuens eſt. Altera vero, quæ viuente ipſo corpore, tanquam inſtrumento vtitur. Quemadmodum nauta vtitur naui. Quæ quatenus vtitur inſeparabilis quoq; eſt. Quarum neutra cum intelligibilibus concinnari poteſt. Neq; inquam, vita eſt, quæ inſtrumẽti eſt: quæq; cũ corpore mixta: quæq; coniuncta cum qualitatibus, quæ io ipſo ſunt. Corpus nãq; naturalibus formis cedit: multo ergo magis intelligibilibus cedere debet. Paſſibilesq; qualitates, cum ab omni ſubſtantia exciderint: procul ab intelligibilibus quoq; receſſerunt. Quare vita illa, quæ cum his iũcta eſt: quæq; cum corpore mixta, nunquam cum intelligibilibus conueniret. Totũ nanq; illud, quod corporis fit: quod admiſtio vere indicat: & ab ea ſuperatur forma, quæ genitorum communiter determinandorum vim habet. Nondum autem dico, ab iis, quæ ſeiuncta ſunt. Deſeritur præterea & ab ea conuerſione, quæ in ſeipſum fit. Ita, vt neq; intelligere queat. Multoq; præterea magis id qualitatum illa expletio fert. Quæ ſe minime aptam ad intelligentem illam actionem: minimeq; accommodatam ad intelligibiles formas, præ ſe fert. Rationem nanq; eam, quæ formales ſubſtantias recipere, comprehendereve debet, ab accidentibus nudatam, atque remotam eſſe oportet. Ab illiſq; poſtremis in primis: quales paſſibiles qualitates ſunt. Corporiſq; reſpectu immixta eſſe debet. Quo & quæ indiuiſibilia ſunt, intelligat: atq; in ſeipſam conuerti queat. At vnde illud oſtenditur, quod nullum adſit intellectui ipſi inſtrumentum: ita vt omnino a corporibus ſeparabilis ſit? Nunquid id poſtea manifeſte Ariſtoteles demonſtraturus eſt: vbi paululum progreſſus fuerit? Quod tunc præſtabit, cum diſcrimen inter vacationem illam ab affectione: quæ tum intellectui, tum ei, quod ſentiendi vim habeat, data fuit, declarabit.

Inſeparabilis vita duplex. Prima. Secunda.

Dubitatio. Reſponſum.

ET RECTE ſane dicentes animam eſſe locum formarum. Præterquam quod non tota: ſed quæ intelligendi facultatem habet. Neq; actu, ſed poteſtate, formæ.

Laudat philoſophus eos, qui animam formarum locum eſſe enunciarunt. Simulq; illud indicat: quemadmodum haud de eo intellectu ab eo verba fiebant, cuius anima particeps exiſtit. Ille nanque non anima, ſed præſtantior quædam ſubſtantia eſt. Simulq; illud etiam indicat: quemadmodum formas non ipſa accidentia vocat. Nam eorum recipiendorum vim ea habet anima: quæ ſentire valet. Sed eas ſubſtantias ita appellat: quæ ex ſe ſunt: aut quæ omnino, quæ ſuiipſarum exiſtunt: aut ex iis, quæ determinantur, conſtituũtur. Locus autem anima dicitur: tanquã ea, quæ illa, quæ adueniunt, & extrinſecus ſunt, quodam pacto recipere poteſt. Quo cum loco eo, qui corporatus eſt: ſeruetur proportio. Sin autem id ita ſeſe habet: neq; ea anima tota, quæ intelligendi facultatem obtinet, locus erit. Sed ea, quæ dicta fuit: quæq; omnino extra labitur. Quoniam illa quæ permanet, iam idẽ cum formis illis, quæ cum ea eundem ſeruant ordinem, eſt: non autem eas recipit. Et poteſtate, non autem actu ea exiſtit: quæ quodam pacto a ſeipſa receſſit: quæq; in ſeipſam tota conuerſa eſt. Nam quæ ſuiipſius ſubſtantiam permanet, haud poteſtate adhuc, ſed actu eſt. Immo vero ipſe potius actus exiſtit.

SEPTIMA PARTICVLA.

QVOD autem non ſimilis paſſibilitas eius, quod ſentiendi, & eius, quod intelligendi vim habet: manifeſtum in ſenſoriis, & in ſenſu. Senſus quidem enim non poteſt ſentire, ex eo, quod admodum ſenſibile: vt ſonum ex magnis ſonis. Neque ex vehementibus coloribus, & odoribus, neq; intueri: neq; odorari. Sed intellectus cum aliquid intellexerit admodũ intelligibile: nõ minus intelligit inferiora: ſed & magis. Quod quidẽ. n. ſentiẽdi vim habet: haud ſine corpore. Intellectus uero ſeparabilis,

EXPOSITIO.

Vult quidem philoſophus ex his demõſtrare, quod antea dictum fuit. Quod inquam nullum eſt inſtrumentum in intelligibilium formarum contemplatione. Demonſtrat autem id

tem id ex comparatione intellectus cum ipso sensu. Quo vbi ex sensu cognouerimus, quid patiatur omne id, quod per instrumentum aliquid cognoscit: vbique quod intelligendi vim habet liberum ab affectione nouerimus: & ab ea quoque contemplatione, quæ per instrumentum fit, id seiunctum statuamus. Impassibilitatem autem Aristoteles vocat, receptionem illam, quæ nondum in eo facta sit: quod alicuius recipiendi potestatem habeat. Si itaque nequaquam similis est impassibilitas illa, quæ in eo, quod sentiendi, & in eo, quod intelligendi vim habet, reperitur: neque quod recipiendi vim habens in ambobus existit, simile erit, neque ipsa etiam receptio. Quæ igitur hic dissimilitudo adest? Quoniam receptio eius, quod sentiendi vim habet, non sine conuersione quadam, & mutatione, & corporata affectioue fit. Affici nanque, pati ue ipsum sensorium à sensilibus opus est: si sensus agere debeat. Receptio autem eius, quod intelligendi vim habet, absque vlla mutatione est. Acceptioque non sine propria actione huic adest. Id autem inde patet. Quoniam sensus, qui vehemens aliquod proprium sensile comprehenderit: vt visus lucidum colorem, minime potest confestim tenuiora comprehendere. Intellectus autem potis est, ex contemplatione eorum, quæ admodum intelligibilia sint: tum hæc, quæ admodum cum forma iuncta sunt: vt transcendentes termini, & præstantiores perfectiones, & substantiæ puriores: tum minora quoque intelligere. Atque adeo magis quàm antea maiora intelligere potis est. Intellectio enim confirmatur ex contemplatione illorum præstantiorum, in secundorum istorum cognitionem. Vnde præstantissima, atque optima, eorum quæ de principiis, atque causis ducta sunt, ex ipsis principiis, atque causis cognitio habetur. Quæ igitur huius diuersitatis causa? Quoniam quod sentiendi vim habet, haud sine corpore agit: & recipit formas, ita vt in illa receptione disgregetur, aut congregetur, aut omnino aliquam instrumentum ipsum toleret affectionem: apertissimeq; percutiatur in vehementiũ illorũ sensiliũ affectionibus. Vbi itaq; admodũ, exẽpli causa, disgregatum sensorium fuerit: ab eo quod minus disgreget pati non potest: neque illam mouet actionem, quæ ad vitam sentiendi vim habentem, circa ipsum spectat. Intellectus vero, qui separabilis ab omni corpore est, nihil conuersione, aut affectione corporis formam referente indiget. Ideoque neque quo ad contemplationem eorum, quæ inferiora sunt, impedimentum ei vllum affertur. Nam ex propria sua actione, & quæ à præstantioribus ortum habent, recipit. Neque corpus patitur: sed diuersa agit. Licet pati dicatur.

OCTAVA PARTICVLA.

QVANDO uero ita quæcunq; fiat, ut sciens, dicitur, qui secundum actum.

EXPOSITIO.

Intellectus ille, qui quadam ratione à seipso recedit: quique in id, quod extra progreditur: aliquando quidem totus circa sensilia conuersus est: nullaq; ratione, neque formas, neque substantias intelligit. Quæ à ratione, & à præstantiori illo intellectu comprehendi debent. A sensu autem nequaquam. Ideoque intelligibilia dicuntur. Quandoquidem & ipsam quoque rationem intellectum Aristoteles appellat. Cum potestate intellectus sit, & imperfectus, & materialis: atque huiusmodi, vt aptus quidem sit ad intelligibilium illarum formarum receptionem, atq; ad earum intellectionem: sed haud adhuc receperit. Ali quando autem iam perfectus ille est intellectus: atque intelligibilium formarum plenus. Quatenus tamen ei intellectui, qui iam progressus sit, pote est. Qui haud à sensibilibus perficitur: sed in his, tanquam in extremis formarum vestigiis insidet: indeq; ad ipsarũ formarum inuestigationem, non sine quadam inclinatione in seipsum excitatur. Hacq; ratione iunctus cum manente, atq; prima illa animæ substantia, à formis in illa existentibus perficitur: & ab illa quoq; cognitione, quæ cum ea in vnum redacta est. Licet haud id quidẽ fiat, qđ substantialis eius cognitio est: neq; in illas formas euadat, quæ in eius substãtia permanẽt. At ex formis iis, quæ his proxime appẽsæ sunt: & ex cognitiõe illa, quæ ei, quæ substãtialis est, cõiũgitur, expletur, atq; pficitur. Simulq; tãq; ab aliis pmanẽtibus, q̃tenus progressus est, diuersus redditus fuit. Simulq; & à seipso. Q̃quidẽ vnus quodã pacto, &

idem manet, atque progreditur. Perfectio itaque, quæ in eo, qui progressus est, reperitur: haud huiusmodi est, qualis quæ substantialis est: sed ex appulsu, atque secunda, post eam, quæ in substantia, substantialis ue: & secundum habitum existit. In substantia nanque habitus versatur: non autem ipsa est substantia. A posterioribus igitur ad priora, in contemplatione hac, quæ tanquam de animæ partibus habetur: per ea, quæ proxima, atque coniuncta sunt, Aristoteles ascendit: ab intellectuque illo, qui materialis, & imperfectus, & potestate est, ad eum accedit, qui progrediens uel ipse quidem est: sed perfectus ea perfectione est, quæ ex appulsu habetur. Qui quæcunque ita fieri dicitur, ut sciens ille, qui secundum actum: homo inquam. Id quidem igitur dictum fuit: ne in intellectu isto, qui ita perfectus, actionem ipsam, aut eandem cum habitu, aut semper sequentem statuamus. Cæterum quemadmodum sese habet, qui secundum actum sciens: id autem est, is, qui perfectum iam habitum adeptus est: tametsi non semper secundum eum agat: ita & perfectum quoque eum ponamus intellectum, qui iam progressus est. Qui propter progressum, quemadmodum ipse à substantia seiungitur: ita & actionem ab habitu diuisam habet. Quæ quidem actio neq; semper sequitur: sed aliquando. Quia & ipse quoque aliquando perficitur. Recte itaq;, & particula illa, quæcunque de eo, dicta fuit: propter diuisam illam formarum collectionem, quæ in ipso existit. Illud uero fieri, propter perfectionē illam, quæ aliunde uenit: quæq; haud perpetua est: sed aliquando in eo reperitur.

ID AVTEM contingit, cum possit agere per se. Est quidem consimiliter, & tunc potestate quodam pacto. Haud tamen eodem modo, & anteaquam discat, aut inueniat.

Illud quidem posse per se agere, eius intellectus proprium est, qui progressus quidem sit: sed perfectus existat. Materialis nanque intellectus perficitur etiam à seipso, quatenus unus, & idem est, animæ ille intellectus, qui permanet, & qui progreditur. Haud tamen ex seipso agere, atque cognoscere ipsa intelligibilia potest: donec imperfectus sit. Nam ubi perfectus fuerit: qui ille est, qui nunc quo de eo, contemplemur, propositus fuit: licet neq; substantialis sit, animæ intellectus: tunc per se agere ualet. Neque enim in potestate: sed in eo, quod iam agat, suum habet esse. Isque præterea in potestate quoque est: quia non semper agat. Iccircoq; & ipse quoq; potestate quodam pacto est: & tanq̄ is, qui nō semp agat: & tanq̄ is, qui aliunde perfectus sit. Quēadmodum & corpus, quod iam uiuit, potestate uitā habere dicitur. Quod ei datur, propter aduentitiam illā uitæ acceptionem: quæ non solum aliunde accedit: sed & aliquando ei conceditur. Sed haud eodem modo, & anteaquam discat, aut inueniat. Qualis erat imperfectus ille intellectus: qui & ante ipsam perfectionem potestate erat atq; ab ipso perficiente maiori, atq; manifestiori diuersitate differebat.

ET IPSE præterea ipsum tunc potest intelligere.

Haud secundum accidens id intelligere debemus: quia intelligibilia habeat, atq; idem quadam ratione cum formis illis: quæ intelligi debent, sit. Ita, ut præcipue formas, non autem seipsum intelligat: quemadmodum Alexander uult. Nam seipsum præcipue intelligere debet. Quoniam ubinam aut Alexander, aut nos de eo aliquid scribimus, tanquam de illo qui neque seipsum intelligat, neque intellectionem, aut uitam, aut substantiam suiipsius? Nanque intellectus esse debet: non autem sensus: qui ad alia extenditur, & ex extensione illa ad alia, seipsum quoque sentit. Non solum enim is intellectus est: sed intelligibilis quoque. Qui quemadmodum alias intelligibiles formas sortitur ex iis, quæ in animæ substantia insunt: ita & intellectus, & intellectio à substantiali illo intelligente, atque intellecto fit. Verum nihil, inquit Alexander, ipsum à seipso patitur. Ipsum uero intelligere in eo, quod intellectus ab intelligibili patiatur, collocatum esse uidebatur. Haud simpliciter illud uerum est. Sed de eo, quod cum ipso sentire similitudinem nactum sit. & quod aliunde quodam pacto perficitur. Licet ex sua actione illam aliunde accedentem perfectionem recipiat. Patitur igitur & materialis ille intellectus: &

Obiectio Alexandri. Responsum.

qui

qui iam ex appulſu perfectus eſt: quatenus à ſubſtantiali intelligibili perficitur: & quatenus intellectus, atque intelligibilis fit. Vbi vero ſemel perfectus fuerit, ipſe ſeipſum, & formas illas, quæ in ipſo ſunt abſq; vlla affectione, ex perfecta ſua actione intelligit. Affectio nanq; illa in acceptione, atq; expletione, quæ aliunde fit, collocata erat: non autem in mutatione, conuerſione'ue quapiam.

NONA PARTICVLA.

QVONIAM autem aliud eſt, magnitudo, & ipſum magnitudini eſſe: & aqua, & ipſum aquæ eſſe. Ita autem & in aliis multis: ſed haud in omnibus. In nōnullis enim idem ipſum carni eſſe, & carnem. aut alio, aut alia ratione ſeſe habente iudicat. Caro enim non ſine materia. Sed quemadmodum ipſum ſimum hoc in hoc.

EXPOSITIO.

Ariſtotelis quidem propoſitum in his eſt: diuerſas tradere intellectiones eius intellectus: qui progreſſus quidem vltra ſubſtantialem permanſionem eſt: ſed perfectus fuit ſecundum habitum ex ſubſtantiali illa perfectione, quæ in anima reperitur. Quarum quidem intellectionum altera compoſitarum, atque diuiſibilium ſubſtantiarum eſt: altera vero ſimplicium, & indiuiſibilium. Quod ob eam ſanè cauſam facit, quo & hac ratione diiudicet ſubſtantialem animæ contemplationem. Quæ quatenus ei pote eſt, in ſimplicibus, atque impartibilibus permanet. Quemadmodum præſtantior ille animæ intellectus, haud à formis ad ea, quæ formis affecta ſunt, pertranſiens: quo & hæc quoque cognoſcat: ſed in ipſarum formarum intellectione: ex intellectione illa, quæ cauſam affert: cognoſcit tanquam ex cauſis, & quæ formis affecta ſunt, & quæ his euenere: &, vt vno verbo complectar, omnia quæ de cauſis deducta ſunt: & materiam, quæ earum extremarum recipiendarum vim habet: & quæ his, quacunque ratione adſunt. Qua quidem intellectione in formis, quæ cauſam afferendo complectuntur ea omnia, accepta fuere, quæ à cauſa deducuntur. Quem ſanè intellectum, & anima ea, quæ in ſuiipſius ſubſtantiam recurrit: quatenus ei pote eſt, imitatur. Vtpote, quæ ei innate iuncta eſt: dum in ſupremis illis ſuiipſius rationibus permanet: & in id quod extra, nulla ratione progreditur. Sed cum illis formis colligata eſt, quæ in ipſo intellectu exiſtunt. Atque in his ipſa quoque, quæ à cauſis efficiuntur, iuxta ſimplicitatem illam cauſas referentem, contemplatur. Nequaquã vero & anima, quæ à ſeipſa progreditur, licet iam vel perfectam induxerit contemplationem: in ſimplicitate illa formali permanet. Sed per perfectionem quidem, quæ à ſubſtantia ei tradita fuit, & coniunctionem illam cum ea aſſequitur. Tanquam altera quodam pacto ad alteram tendente. Neque enim cum coniunctione appellit ad formas. Tametſi vel longius illa abſit, quæ pure in ipſa permanſit. Per progreſſum vero eorum quæ extra, non ſolum ex cauſis, ſed & ordine ſeruato ipſa iam progreſſa, ad ea ſeſe adigit, quæ ex cauſis deducta iam progreſſa ſunt. Senſu quidem ſenſilia aſſequens. Cognitione vero rationis compote ſubſtantias compoſitas, & omnino forma affectas. Quæ quidem cognitio tum diuerſa ab ea eſt, quæ formarum comprehendendarum vim habet: & eadem quoque: ſed quæ quaſi deflexa ſit: atque ita quæ terminantur, intelligat. Terminos nanque recte, & abſque vlla flexione percipit. Termini nanque perfectiones ſunt. & eorum intellectio propè perfectionem permanet. Quandoquidem & omnis quoque cognitio propè id exiſtit, quod cognoſci debet. Quæ vero forma affecta, perfecta ſunt. Qui vero ordine ſeruato ad hæc appellit, intellectus eſt: non autem perfectiones ipſæ: ſed perfectionem participare dici poteſt. Nam refractio participationem indicat. Medicus enim medicina quaſi reflexa eſt. Quod propter permanentiam illam euenit: quæ ex medicina quidem oritur: ſed ſecunda, atque iam egreſſa eſt. Quoniam id, quod in participando illud eſt, quod vere eſt: diuerſum ab eo, cuius particeps exiſtit, eſt: licet iuxta illud ſit. Et ita recta, quæ refracta eſt: hoc eſt, quæ deflexa, ita, vt angulum faciat: ab ea, quæ extenſa erat, facta fuit. Sed cum exierit quod ſimplex: ac ſub

diuiſionem ferè ſubingreſſa ſit, Hæc itaque in his de perfecto ipſo intellectu, in ipſo progreſſu philoſophando pertractat Ariſtoteles. Ante omnia q; nos de eo certiores facit: quod diuerſum quid à forma, quod forma affectum eſt, exiſtit. Magnitudo quidem igitur, & caro, & aqua, forma affecta ſunt. Ipſum vero eſſe vniuſcuiuſq; eorum, ipſa vniuſcuiuſq; forma eſt. Forma nanq; in ipſo, quid erat eſſe, definiri conſueuit. Quandoquidem ex ea, & iis, quæ forma affecta ſunt, ſuum adeſt eſſe. In quibus itaq; forma non manet eadem, ac ſui ipſius eſt: ſed eam habet vim vt alterum definiat: in his alterum eſt ipſum, hoc eſt, quod definitur: & ipſum eſſe ei: quod quidem eſſe eſt terminus iuxta quem definitur. In quibus autem forma abſque materia extat: & quæ propè ſeipſam maneat: neque alterius terminus ſit: in his idem exiſtit ipſum, & eſſe ei, vt caro, & carni eſſe. Licet haud verum Ariſtoteles ſumpſerit exemplum. Vnde infert quemadmodum caro in materia eſt: & eſt quemadmodum ipſum ſimum. Verum quod ita ſeſe habeat, quod ſine materia eſt, indicare voluit.

Dubitatio. At quonam pacto dicitur hoc in hoc: caro inquam, & ſimum: & vt vno verbo dicam: quod compoſitum ex materia, atque forma? Siquidem alterum quidem hoc, hoc eſt, ipſius for-

Reſponſum. mæ. Alterum vero in hoc. Nunquid id ex natura formæ in materia exiſtentis habet: aut & cuiuſcunque reſpectus eſt, qui in alterum, tanquam in id, quod determinetur, deſinat? Neque enim idem eſt, quod forma affectum eſt, cum forma, quæ in altero reperiatur. Hæc quidem enim terminus eſt: licet & alterius ſit. Illud autem quod terminatur exiſtit: licet ſine materia ſit. Quemadmodum cœleſte corpus eſt. Haud idem igitur ſimum cum cauitate illa, quæ in nare reperitur, eſt. Neque animal cum vita illa, quæ in corpore eſt. Quemadmodum neque medicus cum facultate illa curandi, quæ in homine reperitur. Ex cauſis nanque illis elementariis, atque proximis ſcientiam pariendo cognoſcitur. Nam ex forma, quæ eius determinandi vim habeat: & ex materia, quæ hanc recipere queat. Illud itaq; hoc in hoc: quod ab Ariſtotele poſitum fuit: non ipſum compoſitum: ſed compoſiti cauſas indicat. Nam formæ poſitio in materia, compoſitum perficit.

DECIMA PARTICVLA.

EO QVIDEM igitur quod ſentiendi uim habet, calidum & frigidum iudicat, & quorum ratio quædam caro. Alio uero, aut ſeparabili, aut quemadmodum refracta ſe habet in ſeipſam cum extenſa fuerit, ipſum carni eſſe iudicat.

EXPOSITIO.

Quandoquidem alio, aut eo, quod aliter ſeſe habeat, iudicare dixit magnitudinem, & ipſum magnitudini eſſe, diſtinguit, quænam quidem alio: quænam q; eo, quod aliter ſeſe habeat. Quæcunque quidem enim ſenſilia ſunt, vt qualitates, colores, figuræ, & magnitudines, & quemadmodum ipſe dixit, quorum ratio quædam caro. Id autem eſt, quorum cauſa proxima, ſubſtantia, quæ definitur. Perſæpe enim, vt & à Platone in Gorgia, & in Theæteto, ita & ab Ariſtotele ratio, pro proxima cauſa ſumpta fuit. Proxima autem cauſa accidentium omnium, ea eſt ſubſtantia, quæ determinatur. Quoniam in ea, & circa eam, & ex ea ſubſiſtunt. Caro igitur ſumpta fuit, pro ea omni ſubſtantia, quæ determinatur. Senſilia quidem igitur ſenſu intellectus iudicat. Accidentia enim & particularia ſenſilia omnia ſunt. Quorum conuenienter comprehendendorum vim ſenſus habet. Intellectus autem ſubſtantias percipere valet. Ideoq; in his alio iudicat. Senſu nanque iudicat: qui alius præter intellectum eſt. At intellectus eam omnino habet vim: vt determinatam ſubſtantiam iudicare valeat. Quandoquidem & rationem intellectum Ariſtoteli appellare, vt & antea dictum fuit, viſum eſt. Is igitur haud alio terminos iudicat. Sed ſeipſo quidem: verum aliter ſeſe habente, iudicat. Quod tãdiu fit: quandiu intellectu illo, qui progreſſus eſt: quique in nobis perfectus, & formas iudicemus. Quandoquidem anima, quæ in ſuiipſius ſubſtantiam recurrit: quæq; propè perfectum permanſit actum: quæq; formis iuncta eſt: quæq; omnino ſeiuncta ab iſto ſecundorum appulſu, diuerſa ab illa exiſtit vita, quæ extra progreditur. Ideoq; hic recte adiectum fuit illud, Alio vero, aut ſeparabili, aut quemadmodum refracta ſeſe habet erga ſeipſam, cum extenſa fuerit: ipſum carni eſſe iudicat.

Alio

Alio quidem enim cum ſeparabili, hoc eſt, cum contemplatione illa, quæ ſeparata eſt ab actionibus, quæ extra prominent, atq; in habitus, & poteſtates progrediuntur, formas iudicat. Niſi profecto, & tunc non alio, ſed eodem, quod tamen alia ratione ſeſe habeat, dicere velimus. Nam & vna quoq; tota anima eſt, quæ manet, atq; progreditur. Omnium itaque conceſſione, eodem quidem dicere poſſumus: ſed quod aliter ſeſe habeat. Cum intellectus ille, qui progreſſus eſt, & ſeparatas cognoſcat ſubſtantias, & formas ex ſe determinet. Quodq; ita ſe alia quadam ratione habeat: quemadmodum ſeſe habet recta, reſpectu eius quæ refracta ſit. Nam ea, quæ refracta eſt, vt iam determinauimus, cognitionẽ eorum indicat, quæ eiuſdem ordinis exiſtentia, forma affecta ſunt. Quæ vero extenſa, tanquam recta & abſq; vlla deflexione exiſtens, non ſecus ac nota ſignum'ue cognitionis terminorum, & perfectionum ſumpta fuit: propter eas, quas ſuperius diximus cauſas.

VNDECIMA PARTICVLA.

RVRSVM uero in iis, quæ in abſtractione ſunt, ipſum rectum tanquam ſimũ. Cum continuo enim. Ipſum autem quid erat eſſe, ſi eſt diuerſum ipſum recto eſſe, & ipſum rectum alii. Sit nanq; dualitas, altero itaq;, aut alio modo ſeſe habẽte iudicat.

EXPOSITIO.

In abſtractione mathematica collocata eſſe, & opinari, & dicere Ariſtoteles conſueuit. Licet haud, quemadmodum Pythagoræi fecerunt, eminentes illas mathematicarum imaginum rationes in imaginatione inueſtiget: quæ ſubſtãtiales ſunt, in vita illa animæ, quæ corporum formam referat: ſed in ipſis imaginibus, quæ imaginatione concipiuntur, ea collocata dicit. In quibus re vera ſuam omnem tractationem mathematici poſuerunt. Pythagoræi igitur, qui in prominentes illas, atq; viuaces imaginum rationes inſpexere, ſubſtantias, res iſtas mathematicas eſſe voluere. Ariſtoteles vero ab imaginibus ſubſtãtiam remouet: & ex abſtractione imagines fieri inquit: quippe cum eas anima recipiat, ex imitatione quadam ſenſilium reſpectu. Haud quia ex propria actione & has anima promat. Indicat autem id circunductio illa, quæ in id, quod verum, atq; exactum fit. Neq; enim vere cubũ figura illa, quæ ſenſilis ſit, refert. neq; ſine latitudine exacte recta, naturalis eſt: ſed quæ mathematica. Intus quidem igitur & imagines hæ ſunt: ſed haud ſine ſenſiliũ cognitione: nã anima eſt, quæ ipſas promit. Tametſi haud ita promit, quemadmodum præſtantiora illa, quæ ſciri, aut intelligi poſſunt. Nam propter maximam ſimilitudinẽ, quæ inter ea eſt, quæ imaginatione concipiuntur cum ipſis ſenſibilibus, quod abſtractionis eſt proprie in iis ſedem, atq; locum ſortitum eſt: quæ concipiũtur imaginatione. Ita, vt eadem cum ſenſilibus ſine naturali tamen materia ſint. Quoniam & illa quoq; imago, quæ in imaginatione eſt, haud tanquam forma, ſed tanquam id, quod forma affectum ſit, exiſtit. Omnis nanq; forma impartibilis, atq; indiuiſibilis eſt. Magnitudines autem in partitione, & numeri in diuiſione collocati ſunt. Recte itaq; & ipſum rectum, tanquam ſimum dicitur: propter cõtinuitatem, atq; partitionem. Quia neq; forma, neq; ipſum quid erat eſſe ſit: quod eſt ipſum recto eſſe: ſed præter ipſum rectum. Philoſophus autem ex poſitione: ſi eſt alterũ dixit: quoniam nequaquam hæc nunc tractanda propoſuit. Nam in iis, quæ poſt naturalia dicũtur, hæc & tractauit, & declarauit. Nunc q; in memoriam reuocauit, dicens. Sit nanq; dualitas, ipſum ſcilicet rectum. Vnitas quidem enim, ipſum recto eſſe, quia indiuiſibiliter vnũ. Dualitas autem ipſum rectum, haud tanquam duo. Nam & ipſum quoq; vnum eſt. Sed continuum, & diuiſibile, & quod hac ratione dualitatem referat. Vel mathematica ergo anima altero, aut alia ratione ſe habente iudicat. Quemadmodum in iis, quæ expoſita fuerunt ſatis ſuperq; declaratum fuit.

ET omnino nempe, ut ſeparabiles res a materia, ita & quæ circa intellectum.

Non circa omnem intellectum nunc intelligit. Neq; enim circa eum, qui ab anima ſeiũctus eſt. Neq; circa eum, qui in anima reperitur: ſed cum illo innate, in vnum redactus eſt.

Nam nequaquam à formarum cognitione illi remouentur. Verum eum intellectum Aristoteles significat: de quo sermo nunc à nobis habetur: qui in progressu perfectionem adeptus est: quiq; quodam ordine seruato, ac conuenienter res cognoscit. Quo & tanquã terminus propter perfectionem formis insideat: & tanquam is, qui determinetur propter inclinationem illam ad ea, quæ extra, ad ea, quæ forma affecta sint, se conferat: tanquam ad ea, quæ ex formis iam progressa sint. Intelligit autem huiusmodi intellectus, tum quæ ab omni materia separabilia: quemadmodum animatam substantiam, & præstantiorem illũ intellectum. Tum quæ quadam ratione separabilia: quemadmodum formas mathematicas, & naturales. Quæ haud quo ad ipsum esse spectat, subiecto indigent: & ea ratione separabiles sunt. At quia aliorum determinandorum vim habent, eam ob causam ab iis inseparabiles sunt. Eaq; præterea is intellectus intelligit, quæ formis affecta sint. Quæ tamẽ nequaquam à materia separabilia. Videtur nanq; philosophus materiam ipsam nunc vocare, substantiam eam, quæ determinata sit. Quemadmodum itaq; sese habent res iuxta id, quod separabile, aut inseparabile à materia, ita & intellectus huius contemplationes. Hæ nanq; ita circa intellectum versantur, vt aut quæ omnino separabilia, aut quæ quadam ratione separabilia, aut quæ inseparabilia comprehendant. Sin autem eius actiones huiusmodi, patet, quod & ipse, neq; solum, aut omnino, aut aliqua ex parte separabilis, neq; solum inseparabilis. Sed & omnino separabilis, propter innatam illam coniunctionem, quã cum animæ substantia tam obtinet: & propter perfectionem, quam inde nanciscitur. Prætereaq; quadam ex parte separabilis, rursusq; inseparabilis. Quod ob extensionem illã ad ea, quæ extra, ei ascribitur. Quæ tum ad formas, quæ aliorum definiendorum vim habet, sit: tum ad ea, quæ ex se determinantur.

DVODECIMA PARTICVLA.

DVBITARET autem aliquis, si intellectus simplex est, atq; impassibile: quemadmodum inquit Anaxagoras, quonam pacto intelliget? Si ipsum intelligere pati quoddam est. Quatenus enim aliquid commune ambobus inest: alterum quidem facere uidetur: alterum uero pati.

EXPOSITIO.

Cum iam perfecerit Aristoteles contemplationem de progrediẽte illo intellectu, qui duplex est: quatenus duo sunt, quæ ex eo, quod imperfectum, atq; perfectum distinguũtur: & ex quod potestate duplex: & ex eo, quod aut totus cum secũdis vitis complicetur: aut & in seipsum, in suamq; substantiam reuertatur: ex qua etiam perficitur: cumq; ad substantialem illum animæ intellectum accessurus sit, duas de intellectibus illis, de quibus locuti antea sumus, proponit dubitationes. Quarum prior in primis ei, qui imperfectus est, conuenit: minusq; ei, qui iam perfectus. Altera vero econtrario. Ex his autem ambabus affinitatem quandam intellectuum eorum, de quibus dictum fuit, cum eo, de quo sermo habẽdus est, philosophus tradit. Licet alter quidem longius absit: alter autem propinquior sit. Nanq; extremus ille, atq; materialis commune aliquid cum intellectu ipso efficiente habere: tanquam is, qui perfici aptus, atq; natus sit, ostenditur. At qui secundum habitum perfectus, multo maiorem coniunctionem cum eo sortitus est, qui ex seipso perfectus: quia & ipse sine materia, atq; intelligibilis est. Quandoquidem in iis, quæ sine materia existunt, qd intelligibile intelligit. Quænã igitur prima est dubitatio, & vnde commouetur? Ex eo intellectu illo, qui secundum actum, quiq; supra animam existit. Ille nanque impassibilis est: quippe qui à nullo patiatur. Istorumq; secundorum respectu immixtus. Quæ tamẽ & ipse intelliguntur ex ea eorum acceptione: quæ à causis ortum habet. Verum haud eundem seruat ordinem cum his. Ideoq; neq; quicquam commune habet, iuxta coniunctionem illam, quæ ipsum eiusdem esse ordinis demonstret. Quoniam iuxta acceptionem illam causam eorum, quæ hinc deducta sunt, referentem, seiuncta illa affinitas, quæ in primis secũdorum respectu existit, reperitur. Quo itaq; pacto nos ipsum intelligere in ipso pati collocamus, & in affinitate illa, quæ non sine admistione sit. Ita, vt & eiusdem ordinis sit quodã

pacto affinitas: quemadmodum in iis, quæ faciunt, atq; patiuntur. Cauſæ nanq; illæ ſeiũctæ, atq; excelſæ, omnium quidem conſtituendorum, ſed haud efficiendorum vim ab Ariſtotele habere dicuntur. Quandoquidem neq; ipſius ortus, generationis ue proxime principia ſunt. Nam ipſum efficiens id quod fit, reſpicit. At illæ ipſius ſubſtantiæ, atq; ipſius eſſe cauſæ omnibus ſunt. Dubitatio ita q; hæc eſt. Quonam pacto in ipſo pati, ipſum intellige re collocari poſſit: cum impaſſibilis ſit ipſe intellectus, quemadmodum & Anaxagoræ videtur. Quoq; præterea pacto non habebit aliquid commune cum efficiẽti, ſi patitur. Nam iuxta aliquid quod commune ſit: alterum quidem agit: alterum vero patitur. At immixtus eſt: neq; quicquam cum alio vllo commune intellectus habet. Huiuſmodi quidem igitur dubitatio eſt. Affert autem præterea philoſophus & alteram, ita ſcribens.

DECIMATERTIA PARTICVLA.

PRAETEREA uero, ſi intelligibilis, & ipſe: aut enim & aliis intellectus inerit, niſi ſecundum aliud ipſe intelligibilis. Vnum autem aliquid ipſum intelligibile forma, aut mixtum aliquid habebit: quod facit intelligibilem ipſum, quẽadmodũ alia.

EXPOSITIO.

Dubitatio quidem hæc, vel imperfecto illi intellectui conuenit: tanquam eo, qui poteſt & ipſo ſeipſum intelligere, iuxta illud qnod primum poteſtate. Manifeſtius autem ad eum ſpectat, qui iam perfectus eſt. De quo perſpicue dictum fuit. Et ipſe ſeipſum poteſt intelligere, iuxta illud ſcilicet, quod poteſtate ſecũdum. Quod autem ſeipſum intelligere poteſt, patet, quemadmodum non ſolum eſt intelligens, ſed & quod intelligitur: & intellectus ſimul, atq; intelligibile. Patetq; quemadmodum ſubſtantiali illi animæ intellectui, præſtantioriq; præterea illi, eatenus ſimilis redditur: quatenus in id, quod ſine materia eſt, adducitur. Quod propter impartibilem in ſeipſum coniunctionem fit. Ideoq; dubitatio iſta ita cõmunis eſt: vt aduerſus id, quod ſimplex, atq; immixtum ipſius intellectus inſtet. Nanq; ſi quod intelligibile, & aliis quoq; naturalibus formis adeſt, ſimpliciterq; naturalibus ſubſtantiis: intellectus autem haud omnibus adeſt: nequaquam ſpecie idem, hoc eſt, ratione eſſe poterit, intellectus, atq; intelligibile. Tametſi ſubiecto aliquando conueniant. In quibus ita q; conueniunt: quandoquidem haud quatenus intellectus eſt intelligibilis: iuxta aliud aliquid, quod & aliis commune ſit, ipſum intelligibile obtinebit. Haud ita q; ſimplex erit. Illud quidem, mixtum, dictum fuit, propter illam intelligibilis additionem. Quod ſua proprietate diuerſum ab intellectu eſt. Illud q;, quemadmodum alia, adiectum eſt: quod auget dubitationem: propter affinitatem intellectus cum iis. Licet hæc partibilia, atq; cum materia ſint. Nam huiuſmodi ſunt, alia illa.

DECIMAQVARTA PARTICVLA.

NVNQVID ipſum quidem pati iuxta cõmune aliquid diuiſum fuit. Prius quoniam poteſtate quodam pacto eſt intelligibilia intellectus. Sed actu nihil anteaquã intelligat. Oportet autem ita, ut in tabella, cui nihil ineſt actu ſcriptum. Quod contingit in intellectu.

EXPOSITIO.

Excipit ex his philoſophus priorem illam dubitationem. Suamq; ſeruans poſitionem: quia patiatur intelligendo intellectus ille, qui extra à ſeipſo progreditur: communeq; aliquid cum intelligibilibus hunc habere concedens: attamen eum, qui adhuc imperfectus ſit, haud omnino ab intellectu illo, qui ſecundum actum exiſtat, diuelli demonſtrat. Eoq; intelligere quia aptus, atq; natus ſit: & quia intelligibilium formarum intelligendarũ vim habeat. Nam ex ſuperioribus illis formis iam repletus habetur. Sẽper enim, vt ipſe quoque Ariſtoteles dicturus eſt: maiore honore dignus videtur efficiens, quàm id, quod patitur. Sin autem, & quia ex ſe agat, à præſtantiori illo perficitur: quemadmodum ipſa intellectio indicat: quæ pura actio eſt: quonam pacto nonne & multo maius puro illi inhæret intellectui? Multoq; præterea magis id præſtabit ille, qui progreditur quidem, ſed perfectionem

adeptus est? quiq; iã ex se agere potest, iuxta id, quod secundo loco dicitur potestate? Hæc itaq; meta est eorum, quæ aduersus priorem dubitationem dicuntur. Sed verba ipsa considerãda sunt. Ipsum pati, inquit, iuxta commune diuisum fuit antea. Quoniam quod patitur, quandam omnino affinitatem cum eo, quod facit, obtinet. Nam id potestate esse oportet, quod actu ipsum efficiens est. Ideoq; potestate quodam pacto intellectus ipsa intelligibilia existit. Is inquam intellectus: qui quia patiatur, intelligit: quiq; adhuc imperfectus est. Isq; potestate quodam pacto est. Tametsi haud simpliciter tanquam materia. Quod ob eã intellectus perfectionem euenit: quæ ex propria actione ab intelligibilibus fit. Quoniam q; haud duo tantum: sed & vnus quodam pacto sit intellectus ille qui manet, & ille qui progreditur. Quiq; & hac ratione actu quodam pacto sit. Quatenus vero progreditur: & à seipso recedit: & adhuc imperfectus est, potestate est. Actu vero nequaquam, anteaquam intelligeret. Anteaq; quàm sufficiens redderetur, vt per seipsum intelligeret. Isq; ille est intellectus, qui tabellæ non scriptæ assimilatur. Nanq; & ea cum apta sit, vt in ea scribatur: nondum literis insignita fuit. Anima nanq; nostra, quæ ad id, quod extra labitur: adeo à propria, atq; sua remouetur substantia: quippe cum in stultitiam, atq; imperitiam, tum suiipsius, tum omnis formalis substantiæ deferatur: vt perfectione illa indigeat, quæ quasi inducatur ab alio. A seipsa quidem enim omnino id assequitur: sed tanquam ab altera. Quoniã tum a seipsa, tũ à propria substantia, procul abest: Perficitur itaq; anima nostra, vbi in substantiales illas rationes, quæ in ipsa existunt, conuersa fuerit: iuxta q; eas inuestigarit, atq; inuenerit rerum vnitatem: quæ excitantur in contemplationem, atq; illud eius perficiunt, quod extra progreditur. Iccirco q; intellectus ille, qui progressus est, perfectionem adeptus est: quemadmodum id, quod literis ornatum fuit: & quasi aduentitie, atq; aliunde. Nam a substantiali illa actione perficitur. Quod contingit, in intellectu illo, de quo sermo est: qui inquam fluit, atq; labitur. & qui aut adhuc imperfectus: aut ex habitu, atq; appulsu perficitur. Ille nanq; qui secundum puram actionem substantialis, solus, vel in seipso manet: vel ex seipso perfectus est.

DECIMAQVINTA PARTICVLA.

ET IPSE præterea intelligibilis est, quẽadmodum quæ intelligibilia. In iis nãq; quæ sine materia, idem est, ipsum intelligens, & quod intelligitur. Nanq; sciẽtia quæ contemplandi uim habet, & quod sciri ualet, idem est.

EXPOSITIO.

Secundam dubitationẽ deinceps Aristoteles diiudicat. Id ipsum nanq; intellectus proprium est: seipsum inquam intelligere, aut posse intelligere. Ideoq; tũ intelligibilis est, qui adhuc imperfectus: tanquam potestate intelligibilis, atq; iuxta id, quod primo modo dicitur potestate. Tum qui perfectus est multo præstantiori modo est intelligibilis: iuxta id, quod secundo modo dicitur potestate. Isq; ex seipso ad seipsum intelligendum sufficiens est, & tanquam is qui iam perfectus: & tanquam is, qui substantiali illi intellectui æqualis effectus sit: quiq; ei iam proximus existat, qui actu est intellectus. Licet enim potestate vel ille quoq; intellectus sit: qui perfectionem adeptus est: at iuxta id existit, quod secũdo modo potestate est. Verum si intelligibilis, vel intellectus, quemadmodum ipsa intelligibilia existit: intelligibiles autem & illæ quoq; formæ sunt, quæ in materia existunt: habebitq; aliquid commune cum iis: & non est immixtus earum respectu: neq; simpliciter inerit. Siquidem diuersum ipsum intelligibile est ab ipsius intellectus forma. Quemadmodum ipsum intelligibile indicat: quod in iis, quæ cum materia sunt reperitur: non autem ipse intellectus. Nam ea quæ ratione quoq; eadem sunt, semper conuenire necesse est. At qua sanè ratione iis philosophus occurrat, considera. Nam in iis, quæ sine materia sunt, idẽ esse inquit, quod intelligit, & quod intelligitur. Coniunctione q; illa, nanq;, quæ ad causam ostẽdendam accommodata est, causam afferens, vsus est. Ex qua quod intelligibilis ipse intellectus sit, ostenditur. Sine materia nanq; is omnis est. Et siquod contineat corpus vel fingere difficile est. In seipsum q; conuertitur, vbi illud sciendũ est: quod opinionem, quæ extrema est animæ ratio, fides omnino consequitur. Quæ tanquam comprobatio in veritate

Dubitatio.

Responsum Aristotelis.

est:

eſt:quæ ex conuerſione opinionis in ſeipſam perficitur.Nam ea tunc tanquam veram eſſe iudicat intelligentiam illam,quam de rebus conſecuta ſit. Quoniam itaq; intellectus ſine materia omnino eſt:& intelligibilis,tanquam is,qui ſeipſum intelligat.In intellectu autem illo,qui ſecundū actum,atq; forma eſt,idem ipſum intelligens,& quod intelligitur.Quoniam,oīs actio,quæ cognoſcendi vim habeat,eo quod cognoſci debeat,determinatur:& id eſt, quod id quoq;,qđ cognoſci debet,vere exiſtit.Iá quidē & ſenſus,multoq; magis ſciētia id obtinebit. Nanq; quanto præſtantior eſt cognitio:tanto præſtantior quoq; coniūctio illa:quæ illi cognitioni cum eo,quod cognoſci debeat,intercedit.Senſus enim eam in primis habet vim,vt quæ in materia poſita ſunt,cognoſcere queat. Idq; iuxta illas eorum formas agit,quæ in ea ſunt.Neq; enim in ſeipſo eas habet:quia ſenſus proprie ſenſilia ipſa non fit. Scientia vero eam præcipue obtinet facultatem:quæ formarum,atq; rationum,quæ in ipſa ſunt,contemplandarum vim habet. Quod eam ob cauſam ſortita eſt:quo quæ a' cauſis effecta ſunt,ex ipſis cauſis contempletur. Tametſi igitur vel ad eam deueniat cognitionem quæ eiuſdem ordinis cum iis,quæ à cauſis deducta ſunt,eſt:verum quæ ex comprehēſione illa,quæ hæc præcedit:quæq; ex cauſis in ipſa exiſtentibus ortum habeat:eadem erit cū iis,quæ ſciri debent.Hoc eſt,cum iis,quæ in ipſa exiſtunt:quæ & proprie, & primo ex iis, quæ ſciri debent,exiſtunt.Scientia itaq;,quæ contemplandi vim habet:& quod ita ſcientiæ ſeſe offert,vt iam in contemplatione poſitum ſit:quodq; haud adhuc poteſtate eſt, idē exiſtit. Quoniam ratio illa,quæ ſcientiæ pariendæ vim habet,vbi in ſeipſam conuerſa fuerit: & in ſeipſa quod ſciri debeat,obtinuerit:& ex eo inter agendum determinata fuerit: & cognitionem ſuam propè terminum eius,quod cognoſci debet,collocat:ita,vt vna, atq; eadē ratio ſit,eius quod ſecundum actum ſciri poſſit: & ipſius ſcientiæ ſecundum actum: iſq; eius,quod ſciri debet,terminus eſt. At cum dixerit Ariſtoteles,quod in iis,quæ ſine materia ſunt:idem ipſum intelligens,atq; id,quod intelligitur,eſt,addidit. Nanq; ſcientia,quæ contemplandi vim habet,& quod ita ſciri valet,idem eſt. Ita,vt intellectum illum, quem tradidit,cum ipſam eſſe ſcientiam velit.Poteſtate quidem illum imperfectum. Actu vero eū,qui ſit perfectus:quiq; iam contempletur.Neq; enim ſcientia ipſa vtitur,tanquam ipſius intellectus exemplo.Sed quia ex manifeſtiori ipſius ſcientiæ,atq; eius,quod ſciri debeat, vocabulo,ea mutuo eadem eſſe demonſtrare velit.

DECIMASEXTA PARTICVLA.

IPSIVS autem non ſemper intelligere,cauſa inueſtiganda.

EXPOSITIO.

Haud omnino intelligibile illud,quod ſine materia eſt,vel ſemper quoq; intelligit, neque id determinatum fuit.Sed ſolum,quod idem ipſum intelligibile in iis,quæ ſine materia ſunt,cum ipſo intellectu eſt. Ita,vt quod actu illud,quod intelligitur eſt: ipſum quoq; intelligens actu ſit.Et quoad poteſtate intelligibile ſit, poteſtate quoq; illud, quod intelligit,exiſtat. At nihilominus par,atq; conueniens eſt,vt cauſam inueſtigemus,propter quā nonnulla ex intelligibilibus illis,quæ ſine materia exiſtunt,non ſemper intelligunt. Quādoquidem neq; actu ſibiipſis intelligibilia ſunt.In cauſa autem eſt progreſſus ille:qui ſemper ab extremis ad extrema per media fit. Ita,vt nihil inane ſit.Nam media quoq; extremis maiora eſſe neceſſe eſt.Quippe quæ præſtantiora ſint:magiſq; appropinquent iis, quæ primo ſunt.Humana itaq; anima media exiſtit:huiuſq; animæ ratio potius:quam intellectum nunc appellauit:media inquam exiſtit inter ea,quæ partibilia, & quæ impartibilia: & inter ea,quæ eodem modo ſemper ſeſe habent,& ea quæ omnino mutantur:& inter ea, quæ omnino ſuiipſorum ſunt,atq; eorum,quæ exiſtunt in alio. Ita, vt ab alteris quidem ſeiuncta ſit,ab alteris autem ſuperetur. Quatenus iuſq; ab iis ſeiuncta eſt,quæ in alio exiſtūt, & ipſa quoq; ſine materia eſt. Quatenus vero ſuperatur ab illis ſummis: & ab iis, quæ in ſeipſis ſemper manent:non ſemper pure intelligit,aut intelligitur. Sed manifeſtiſſime vita illa,quæ recedit à ſubſtantiali intellectione rationis,in id quod imperfectum,atq; poteſtate exiſtit,defertur. Hæcq; ſubſtantialis eius intellectio mihi perfringi videtur, in appulſu

illo vitæ,quæ extra progreditur.Quo in ſeipſa tota medietatem ſeruet.& quo & id ipſum promat,rationem illam extra progredientem.& quo,quod iam Ariſtoteles dixit,ſeparetur. Nam ſeparata eſt,quod vere eſt. Tametſi ratio hæc ſeparata locum non habeat in intellectu illo,qui ſemper ſeparatus reperitur. At quonam pacto cum ſemper eodem modo permaneat,aliquando quidem imperfectam illam rationem progredientem à ſeipſa dimittit? Aliquando autem perficiebat? Aliquando vero & in ſeipſam adduxit? Verum patet, quēadmodum ſubſtantialis ille animæ noſtræ intellectus,neq; pure in conuerſione illa in ſeipſum manet:neq; quemadmodum ille,qui pasſibilis dicitur,recedit. Qui ille eſt, qui extra progreditur.Ne & is altero perficiente indigeat.Adeo enim ſubſtantialis ille intellectionem remiſit:vt haud in ſummitate quidem illa intelligat:verum ſibiipſi ſatis ſuperq; ſit, ad ſuiipſius perfectionem.Hactenuſq;,vt illum quidem extra progrediētem perficiat.Poſtremo vero in receſſu ab illo,atq; conceſsione,quæ in ſeipſum omnino fiat,poſitus ſit. Quādoquidem & ſeparatus cū ſit,id eſt,quod vere eſt.Medietas itaq; in cauſa eſt: propter quā ſubſtantialis ille intellectus pure maneat.Nunc autem verba philoſophus hactenus de eo fecit:qui progreſſus eſt:qui non ſemper intelligit.Aut quia propter multum lapſum recedat à ſubſtantia illa perficiente. Totuſq; ſenſuum,atq; imaginationum,& ſummatim vitæ illius corporis formam referentis ſit,& propter hanc cauſam imperfectus maneat. Aut quia licet iam perfectus ſit,intellectus ille qui iam progreſſus eſt,impeditur quo ad contēplationem.Hocq; illi euenit,quia cum actione particulariter facit,propter partitionem illā multam,quæ in eo,qui progreditur,apparet.Illud autē propter corpus:& caſus, qui ei extrinſecus eueniunt:quæ multas difficultates præbent.Prætereaq; propter imaginationes etiam illas:quæ indefinite excitantur.At cū de intelligibili eo philoſophus locutus ſit,quod ſine materia exiſtat:tanquam idem cum intellectu ſit: anteaquam de eo intelligibili determinet,quod cum materia ſit,in medio de ratione ea,quæ vim ſciendi habeat, ſtatuit: quia ſemper intelligit:Quo cum expleuerit ſermonem illum, qui de intelligibilibus illis habitus fuit, quæ ſine materia ſunt; ita ad eum accedat, qui ad ea intelligibilia pertinet, quæ cum materia ſunt.

Dubitatio.

Reſponſum.

IN IIS autem,quæ habent materiam, poteſtate ſolum unumquodque eſt ipſorum intelligibilium.

Haud quia ſibiipſi ſolum intelligibile fieri potuerit. Nam id in nonnullis tantum ex illis intelligibilibus eſt,quæ ſine materia ſunt.Neq; quia vnquam alii intelligibile factū eſſe poſsit. Tametſi enim ſemper ab alio intelligatur,& nunquam à ſeipſo poteſtate eſt. Quēadmodum & corpus illud,quod iam viuat,vitam poteſtate habere dicitur. Tanquam id, quod haud ſecundū ſeipſum,neq; à ſeipſo,ſed aduentitie viuat.Intelligibile ſane,& quod in materia alteri ſit,imperfecte intelligibile eſt.Neq; enim ſufficiens eſt, vt ſeipſum intelligat:niſi ipſum intelligens adſit:quod diuerſum ab ipſo ſit.Imperfecte itaq; intelligibile erit: quod altero,quo intelligatur,indiget.Quod autem poteſtate,ipſius imperfecti erit. Ita, vt ambiguum quodam pacto ſit:aut ita ſeſe habeat,quemadmodum quæ ab vno ducūtur, qđ in illis intelligibilibus conſideratur,quæ ſine materia ſunt:& qđ in iis,quæ cū materia.

QVARE illis quidem non inerit intellectus.

Intelligibilibus inquam illis,quæ cum materia ſunt.vt formis eorum,& ſubſtantiis cōpoſitis.Et cauſam addit,propter quam non inerit.

SINE materiaen im poteſtas eſt intellectus talium.

Sine materia intellectum omnem eſſe enuntiat:& propter hāc quoq; cauſam in iis,quæ cum materia ſunt,non ineſſe.Poteſtatem autem eorum quæ cum materia ſint,eſſe inquit: quippe cum quod poteſtate eſt,eum perficiat.Nam in tractatione,quæ poſt naturalia dicitur:nō ſolum in patiente,ſed & in agente collocat quod poteſtate.Et in omni præterea cauſa,quæ quacunq; ratione cum eo,quod ex ea deductum ſit, poteſtate implicata ſit: &eius

quod

quod poteſtate finiendi, aut perficiendi vim habeat. Iure itaq; & intellectus poteſtas illorū intelligibilium eſt: quæ in materia poteſtate ſint. Nam ipſe quod poteſtate illorum eſt, ad actum in ſeipſo ducit. Quemadmodum enim qui menſurat, cum circa id, quod menſuratur, agit: non in illud aliquid facit: ſed cognitionem, quæ quantum illud ſit, declarat, apud ſe retinet. Eademq; ratione & is, qui ea quæ cum materia ſunt cognoſcit: circa ea quidem verſatur. Verum neq; quicquam in illa agit: neq; quicquam ab illis patitur: ſed ex cauſis in ſe exiſtentibus: quæ eorum comprehendendorum vim habent, eam promit actionē, quæ eorum cognoſcendorum facultatem obtineat.

ILLI autem ipſum intelligibile inerit.

Intellectus inquam, quoniam omnes ſine materia ſunt. Verum haud alterius, ſed ſuiipſius & omne id, quod ſine materia eſt, exiſtit. Suiipſius itaq; & intellectus eſt. Illud autem cuius intellectus, ipſum intelligibile eſt. Quare omnino intellectibus ipſum intelligibile inerit. At hoc in loco eum Ariſtoteles ſermonē perfecit: qui de intellectibus illis inſtitutus erat, qui progrediuntur: ad eumq; accedit, qui hos promouet, atq; perficit.

PARS SECVNDA.

DECIMASEPTIMA PARTICVLA.

VONIAM autem quemadmodum in omni natura eſt aliquid. Alterū quidem, materia unicuiq; generi. Idq; illud, quod omnia poteſtate illa. Alterum uero cauſa, & efficiendi uim habens: quia faciat omnia. Vt ars reſpectu materiæ paſſa eſt. Neceſſe & in anima ineſſe has diuerſitates.

EXPOSITIO.

Neq; hæc mihi uidentur, aut de intellectu illo, cuius anima particeps eſt, aut de eo, qui & hoc præſtantior dicit: ſed de noſtra anima, quæ rationis compos eſt. Illudq; quidem dico, quandoquidem de anima tota tractatio eſt. Id autem, quoniam vel ipſe manifeſte infert & in anima eas diuerſitates ineſſe. Sententiaſq; illas omnes nobis in memoriam reuocare poſſumus, quæ deinceps ſequuntur: quæ non tranſcendunt contemplationem eam, quæ de anima fiat, Ideoq; nunc hæc cum iis iungentes, quæ antea dicta fuere, dicamus: quod poſt duplicem illum intellectum, qui iam traditus fuit: qui quidem receſſit à præcipua illa animarum ſubſtātia: & ob id & ab ea, quoq; actione, quæ in ea inſita, atq; innata eſt: quiq; progreditur ad ſecundas vitas, atq; cōtemplationes: quæ aut imperfectæ, aut perfectæ quidem ſint: ſed ex appulſu: & quia aliis perficiantur formis, quæ in prima ſubſtantia permaneant: nunc eum Ariſtoteles contemplatur intellectum, qui propè ipſam ſubſtātialē actionem ſtat: & formas intelligentes conſiderat: non autem eas, quæ progrediuntur: ſed eas, quæ in ipſa animæ ſubſtantia permanent. Impetus nanq; ille, qui ad ea, quæ extra collocata ſunt, fit, in partitionem aliquam defertur. Quælibet nāq; partitio id ipſum eſt, quod extra exiſtit. & in ſecundam vitam progreditur: quæ in anima, nequaquam idem eſt, quod prima illa. Actionemq; à ſubſtantia diuidit. Neq; ſolum à ſubſtantia primæ illius vitæ: ſed & eius quoq; vitæ, quæ appulit. Ita, vt haud adhuc actio ſubſtantia ſit: ſed ſubſtantiam tantum tetigerit. Quemadmodum recurſus ille animæ in ſupremam ſuiipſius ſubſtantiam, permanſioq; in hac, actionem cum ſubſtantia in idem redigit. Quod propter conuerſionē illam exiſtit: quæ intus tota fit. Quod nanq; intus eſt, eam habet vim, vt impartibilem collectionem indicet. At & extremitas illa animæ abſq; vllo medio cum ſubſtātia ſupra ipſam intelligente, & cum formis, quæ in ipſa exiſtunt, coaluit. Subſtantia autem omnis, quæ ſupra animam eſt, intelligens eſt. Vnde & actio id vere eſt, quod ipſa ſubſtantia eſt: & ſubſtātia quod actio. Quod haud vlla proprietate ſit: ſed collectione illa impartibili ambarum in vnum. Animæ igitur extremitas, vbi cum intellectu illo, qui ſupra ipſam exiſtit, coaluerit: multum quod impartibile ſit, obtinet. Hancq; ob cauſam ſecundo loco & eius actio cum

ſubſtantia in idem redigitur. Quemadmodum itaq; in intellectu illo, qui progreſſus eſt, atq; adhuc imperfectus exiſtit, eius actio facultati illi ſentire valenti aſsimilabatur. Haud quia eadem omnino eſſet: nam diſcrimen quoq; oſtendebatur: ſed propter ipſam affectionem, quæ aliunde in vtriſq; immittebatur. Ita & actionem ſupremi, atq; ſubſtantialis ipſius animæ intellectus intellectui illi, qui ſupra ipſam eſt, Ariſtotelis ſimilem facit. Nequaquã tamen ita, vt abſq; vlla varietate eadem ſit. Nam & confeſtim Ariſtoteles diſcrimen adducit. Siquidem is, qui animæ dicitur intellectus, aliquando quidem agit: aliquando autem nõ. & ſiquidem is, quod vere eſt, ſeparatus eſt. Ille autem qui ſupra animam exiſtit, & ſemper agit: & ſemp ſeparabilis eſt. Siquidẽ igitur oĩno eadẽ maneat aiæ ſuprema ſubſtãtia: actioq; haud eadem maneat: nequaquã id eſſe vere poterit, quod ipſa ſubſtantia eſt. Siquidem aliquando intelligit: aliquando autem non intelligit. Sin autem & ipſa ſuprema eius ſubſtantia non permanet pura in impetu illo, qui ad ſecunda fit: ita, vt & hac quoq; ratiõe media ſit: vt & Iamblicho in ſua illa tractatione de anima videtur: media inquam non ſolum inter ea, quæ partibilia, atq; impartibilia ſunt: ſed & inter ea quæ genita, atq; ingenita: & inter ea, quæ corruptibilia, atq; incorruptibilia: & ita, vt id ipſum, aliquando quidem intelligat: aliquando autem non intelligat. Nam cum abſq; vlla varietate eadem permanet, ex ſeipſa agit: & ſemper eodem modo ageret. Verum neq; cum aliquando quidem ad ſecundas illas vitas appellat, atq; cum illis complicetur, in complexione illa ab illis inſeparabilis permaneret: aliquando autem ſepararetur. Forſan enim & id ipſum ſeparatio illa eſt, incorrupta ipſius ſubſtantiæ puritas, atque ſynceritas. Quod Ariſtoteles etiam indicat, ſcribens. Separatus autem eſt, quod vere eſt. Ita, vt vita illa, quæ à ſecundis iſtis rebus inſeparabilis eſt, haud id ſit, quod vere eſt. Aequum itaq;, atq; adeo neceſſarium potius eſt, non ſolum actionem, ſed & animæ quoq; ſubſtantiam, atq; eam etiam ſupremam, quæ tamẽ animæ noſtræ ſit, diuerſam quodam pacto effectam eſſe, & remitti, & quaſi ſubingredi in inclinatione ad ſecunda iſta: cum tamen haud omnino à ſeipſa recedat. Neq; enim adhuc anima permaneret. Sed ſummum illud haud amplius ſeruat. Ita, vt ſimul eadem, atq; non eadem cõſeruetur: neq; omnino ſeipſam à diuerſitate liberet: neq; eadem penitus pure, atq; abſq; vlla varietate pmaneat. Et hac ratione diuiſa quocunq; modo ſeſe varietas illa habeat: neq; id manens, quod vere erat: diuiſionem illam actionis à ſubſtantia ſubit: ita, vt aliquando quidem non agat. Vbi vero in ſuiipſius ſubſtantiam ſyncere accurrerit: appulſumq; illum omnem ad ea, quæ extra, dimiſerit: conuerſioneq; illa in ſeipſam confirmata fuerit: & conueniente ſibi mediocritatem aſſecuta erit: tunc eſt, quod vere eſt: atq; ſuprema illa in ſeipſam conuerſione impartibiliter contrahitur: atq; actioni in idem cum ſubſtantia adiungit. Atq; ipſa quidem extrema animæ perfectio, in ſeparatione illa à ſecũdis iſtis vitis, quæ omnino fiat, collocata eſt. In complexione autem illa inſeparabili cum his, perficitur, atque perfecta ſecundo loco eſt. Quæq; ad perficiendam vitam iſtam, quæ iam appulit ſufficiẽs eſt, ſiue agendo, ſiue contemplando id agat: cum ipſa imperfecta non exiſtat: perfici iã poſſet. Verum haud adhuc iuxta extremas illas mẽſuras perfecta eſt: ita, vt & ſuiipſius ſolius ſit. Nam iuxta ea, quæ aliorum perficiendorum vim habent: ſecundũ quæ eſt, ſeipſam producit: & ad ſummam illam ſuiipſius perfectionem aſcendit. Atiam ad Ariſtoteleam dictionem accedamus.

QVONIAM autem quemadmodum in omni natura eſt aliquid. Alterum quidem unicuiq; generi. Idq; illud, quod omnia poteſtate illa. Alterum uero cauſa, & efficiendi uim habens: quia faciat omnia: ut ars reſpectu materiæ paſſa eſt. Neceſſe & in anima ineſſe has diuerſitates.

Haud communiori quodam modo nunc natura pro omni ſubſtãtia ſumpta fuit. Neq; enim in omni ſubſtantia ipſum facere, & pati reperitur. Ita, vt in omnibus aliquid ſit, quod ex proportione materiæ, atq; efficienti reſpondeat. Sed ea intelligitur natura: quæ proprie motus, ac quietis principium determinata fuit. In iis nanq;, quæ iuxta eam ſubſiſtunt: & in iis, quæ ad hæc accedunt, ipſum facere, atq; pati reperitur. Nam materia, atq; efficiens pro-

prie

prie quidem in iis exiſtunt:quæ ortui obnoxia ſunt.Ex proportione vero & in cœleſtibus, & in noſtra quoq; anima:cum ad naturam accedat. De qua etiam naturalis philoſophus ſermonem habere poteſt. Quoniam cũ in ſeipſa pura permaneat: ipſaq; ſublimis exiſtat: neq; faciat,aut patiatur:neq; aliquid habeat,qđ materiæ ex proportione reſpondeat: neq; huiuſmodi tunc eſt,vt à naturali conſiderari debeat.Sed ab eo,qui ea tractat:quæ poſt naturalia docẽtur.Quemadmodum ipſe quoq; Ariſtoteles in libris de particulis animalium dixit.& à nobis in proœmio ſententia quædam hæc indicant,admota fuit.Quando igitur anima noſtra ad naturam vergens,ſecũdas illas vitas in ſeipſa promit: & ex ſeipſa non manens amplius excelſa,qualis erat:alterum quidem habebit patiendi vim obtinẽs:& vita illa eſt,quæ extra progreditur:alterum vero,quod efficiendi facultatem habeat: & vita illa eſt,quæ producit.Materiaq; illa haud ſimpliciter materia dicẽda.Neq; enim corporata eſt. Sed quemadmodum ipſe dixit,genere:hoc eſt,ex proportione dicitur materia.Cauſa vero ipſi facere,vita illa eſt,quæ producit.Quippe quæ ad alterũ quid: & id quod poteſtate eſt, atq; fit,ſuiipſius actionem extendit.Narq; illa quidem,quia omnia fiat:hæc vero quia omnia faciat,affertur. Formaſque illas intelligo, quæcunque in anima illa, intelligendi vim habente,quæ extra progreditur,innaſcuntur.Has quidem enim & ipſa patitur. Facit autẽ illa,quæ promit. Belleq; ipſi efficienti artem:ipſi vero patienti materiem Ariſtoteles ſimilẽ fecit.Quandoquidem proprie ars,quæ in iis,quæ cum materia ſunt, efficiendo verſatur: ſecundum rationem animæ habitus eſt.

Q ſi aſa nſa a naturali cõ ſiderari debe at:& qſi non.

Ars quid?

DECIMAOCTAVA PARTICVLA.

ET EST huiuſmodi quidem intellectus, quia omnia fiat. Ille uero, quia omnia faciat,ut habitus quidam,ut lumen. Modo enim quodam & lumẽ facit,qui poteſtate ſunt colores,actu colores.

EXPOSITIO.

Quandoquidem ea animæ ſubſtantia, quæ ſecundas vitas producit:haud extra alicubi exponitur:ſed in ſeipſa eas recipit:neq; omnino ab iis ſeiuncta permanet:ſed ſeipſam cũ illis complicat:atq; illarum quodam pacto fit:ideo recte habitui,atq; lumini eam Ariſtoteles ſimilem fecit. Quemadmodum etiam propter id,quod ſeiunctum habet, antea arti ſimilem eſſe dicebat.Nam dum ad ſecũda iſta vergit,tum in ſeipſa quodam pacto manet: tum à ſeipſa,vt iam dictum fuit,recedit.Ars quidem igitur,illud quod in ea ſtabile, firmúmue, atq; ſeparabile eſt potius reſpicit.Lumẽ vero,atq; habitus illud quod inſeparabile,& quod cum ſecundis iſtis connexum.Nam & lumen ab iis,quæ illuminantur,inſeparabile eſt: & habitus ab iis,quæ habitum habent.Verum quia in impetu illo ad ea,quæ extra vitam facit:& ſeiuncta quodam modo eſt:ſimulq; cum progredientibus iſtis vitis colligata: iccirco perbelle ſimul & tanquam ars:& rurſum tanquam habitus,atq; lumen facere, traditum fuit.Par autem,atq; conueniens eſt:vt illud ſciamus:quod cum habitui ipſam Ariſtoteles ſimilem effecerit,propter connexum illum cum ſecundis iſtis,addidit,vt lumen.& de lumine reliquum ſermonem habet,non autem ſimpliciter de habitu.Quandoquidem habitus qualitas quædam potius eſt:quæ ſubſtantiæ illi,quæ ſeparari poſſit,nequaquam conuenit.Lumen vero licet ei adſit,quod illuminatur:ſed tanquã actus,& huiuſmodi actus,qui ſeparetur ab eo,quod nunc recepit.Tametſi q; ſubſtantialis ille animæ intellectus in impetu illo cum progrediente complicetur:attamen aliquando ſeparatur: & ex ſeipſo ſubſiſtit. Quemadmodum & ipſe quoque Ariſtoteles confeſtim infert. Verum hactenus lumini partem illam animæ,quæ efficiendi vim habet,ſimilem faciat,interpretatur.Quia nanque colores actu maneant colores,cum poteſtate cerni poſſint:cum illud adſit, quod actu ipſos tractare poſſit:ſimilitudinem manifeſtat,illius intellectus reſpectu:qui actu formas illas perficit,quæ poteſtate in eo intellectu cognoſci poterant,qui paſſibilis dicitur. Simulq; illud philoſophus demonſtrat:quod neq; in intellectu iſto,qui paſſibilis dicitur: ita poteſtate erant,vt omnes ſubſiſtant. Sed ita,vt ſint quidem,ſed non cognoſcantur: quemadmodum & colores illi,qui abſq; lumine reperiuntur.

DECIMANONA PARTICVLA.

ET IS intellectus ſeparabilis,& immixtus,& impaſſibilis, ſua ex ſubſtantia exiſtens actus. Semper enim dignius faciens patiente:& principium materia.

EXPOSITIO.

Separabile illud,in intellectu hoc,qui nunc ꝓpoſitus eſt,quo de eo cõtẽplemur:haud id quod ſemp ſeparatum ſit,interpretãdum eſt.Nã inferet philoſophus de eo. Separatus aũt eſt ſolum id,qđ vere eſt.quia aliqñ ſeparatur.Verũ ita,vt aliqñ quidẽ aut ſeparatus ſit ab ea oi vita,quæ extra tendit:aut paratus ad ſeparationẽ ſit.Vtroq; nanq; modo & ſeparabilis,& impaſſibilis,& immixtus,& ſua ex ſubſtantia actus eſt.Et ita,vt iã ad pura illa feſtinet quodam pacto,aut propẽ ea ſtet.At ſeparabilis quidẽ dicitur non ſolum ipſius corporis reſpectu:neq; propter illas tm̃ vitas,quæ corporum formas referunt:ſed & propter eas,quæ rationis cõpotes,& propter eas,quæ in actione collocatæ ſunt:& propter illas,quæ cũ appulſu cõtẽplari valeant:nam ab his recesſit.Impaſſibilis vero dicitur,tanq̃ is,qui haud ab alio, neq; ex diuerſitate aliqua,neq; ex participatione:ſed ipſe a ſeipſo,aut ſm actum perficitur, aut iam perfectus eſt.Licet enim & a præſtantiori illo intellectu id huic largiatur:attamen haud ita,vt is diuulſus ſit:nam cum eo iam cohæſit, atq; in idẽ cum illo redactus eſt, iuxta ſupremam ſuiipſius ſubſtantiam.Ita,vt & præſtantiſsime cum perficienti iungatur:atq; dum ipſum pficiens fit,ſufficiens vel ad ſeipſum pficiendum exiſtat.Separabilis quidẽ igitur erit ſm ſubſtantiam ab iis,quoq; non eget,quo ad ipſum eſſe,aut ad ipſum agere pertinet.Tametſi adhuc cum illis,quodã pacto cõmiſceatur:tanq̃ impetu quodã illa cõſtituens. Immixtus aũt eſt,qui neq; vlla ratione cum his implicatur:aut qui aptus,atq; natus eſt,& properat ad id.Sua vero ex ſubſtantia actio eſt,propter impartibilẽ illã in ſeipſum conuerſionem:quæ nunq̃ actionẽ a ſubſtantia dimiſit.Ita,vt & ſubſtantia ſit actio;& actio ſit ſubſtantia.Nanq; ſi progrediens ille intellectus,cum ſeipſum intelligat,idẽ cum ipſo intelligibili eſt:hoc eſt,cum ſeipſo:& ſua ex ſubſtantia actio eſt.Quia ſubſtantia erat intelligibilis: ipſum vero intelligere actio.Quanto magis,qui totus in ſeipſo ꝓmanet: quiq; nunq̃ neq; a ſeipſo,neq; a ſuperioribus recedit,huiuſmodi erit.Vnde & id quoq; quod efficiẽdi vim habet,eſt.Quod propter coniunctionem cum præſtantiſsimis ei datum eſt.Cum ille ꝑ diuerſitatẽ progrediatur:& tanq̃ ab alio perficiatur:& propter hanc quoq; cauſam patiatur. Et principium quoq; eſt:tanq̃ cauſa,quæ illud quod poteſtate eſt,perficiendi vim habeat. Quod materia exiſtit.Vnde & dignior quoq; cauſa exiſtit,tanq̃ præſtantior: & propter id præſtantiorẽ quoq; coniunctionem ſortitur.At quanam ratione a vero intellectu differat, aliqs rogare poſſet.Si præter alia & ſua ex ſubſtantia actus is animatus intellectus ſit.Nunquid quemadmodum paſsibilis ille intellectus,qui adhuc imperfectus,iuxta illam impaſſibilitatem,atq; poteſtatem cõparabatur quidem cum eo,quod ſentiendi vim haberet:quatenus vero differebat,poſtea determinabatur? Ita & in iſto ſupremo animæ intellectu,cum comparatur cum ſuperiori illo,dicit philoſophus de eo,quæ dicta fuere:quæcunq; inquã primo diuiniori illi intellectui conueniunt.Propter cohærentiamq;, quam ſubſtantialis is animæ intellectus cum eo habet,de hoc ſecundo loco ea dicit.Diſcrimen vero quod inter hos exiſtat,poſtea affert.Verum adhuc aduerſus hæc dubitemus. Aduerſus vnum quidem,quanam ratione diuerſus erit ſeparabilis iſte animæ intellectus,qui celebratur? ſiquidem & ipſe quoque progreditur:à progredienti. Propter quam enim cauſam vnus non eſt,& qui manet,& qui progreditur? Aduerſus alterum vero, quid ſane progrediens ille intellectus? nonne & ipſe intelligibilis eſt,quemadmodum intellectus? Siquidem ipſum intelligibile intellectui omnino ineſt: licet intellectus ipſi intelligibili non inſit. Quo itaque pacto ipſum quidem intellectum vocat: intelligibile vero nequaquam philoſophus ſtatuit? Quandoquidem & formas ei adeſſe vult:quæ ea ſunt,quæ intelliguntur. Ita,vt intellectus quidem ex ſeipſo ſit:intelligibile vero ex acceſsione.Nunquid ad id quidem dicendum eſt,ac iam dictũ fuit:quẽadmodũ progrediens ille,cũ adhuc quidẽ impfectus exiſtat: neq; intellectus actu eſt,neq; intelligibilis.Sed vtrunq; poteſtate exiſtit:atq; ad hæc ambo aliunde ex ſubſtantiali illo perficitur.Ille vero qui perfectionem adeptus eſt, & intelligibilis,&

Dubitatio.

Reſponſum.

Dubõnes. Prima.

Secunda.

Formas intelligi.

Solutio ſecũdę dubõnis.

lis,& intellectus eſt,iuxta id,quod ſecundo modo dicitur poteſtate:ita,vt & aliquando agere,& ipſum per ſeipſum intelligere potis ſit.Verum paſſibilis eſt,propter perfectionem illã, quam aliunde conſequitur.Vna itaq; progreditur cũ intellectu,& intelligibile illud,quod eiuſdem ordinis cum illo exiſtit:& ſimul quoq; perficitur.Cæterũ philoſophus proprietate quadam ipſum intelligibile ante intellectum iudicat.Siquidem illud eam habet vim, vt ſubſtantiam indicare valeat:is vero potius actionem quandam,& ſiquidem illud expetendum ab intellectu:intellectus autem ad illum,tanquam ad finem accedit. Ac ſiquidem intellectus nomen vel ad id,quod imperfectum ſit,ſpectat:ipſius vero intelligibilis vocabulũ nequaquam.Nam id potius manentibus,atq; perficientibus formis tribuitur:atq; iis,quæ in eo intellectu,qui iam progreſſus ſit,perfecta fuerint.Quæ etiam deſcribi Ariſtoteles aſſerit.Quæ haud illa ſunt,quæ impfecta,& poteſtate ſunt:ſed formæ perfectæ,& quæ actu ſunt.Quod autẽ prius fuit ex iis,quæ à nobis in inquiſitionẽ propoſita fuere,ſatis ſuperq; vt arbitror,& antea expreſſum,atq; compoſitum fuit.Nam ſubſtãtia quidem animata manet ſublimis in pura illa,erga ſeipſam,& erga extrema,coniunctione.Aliquando autẽ diſſoluens illam conjunctionem,atq; à ſeipſa recedens,impetu illo ad ſecunda:manet quidẽ, quo etiam ſit.Haud amplius autem ſublimis:tanquam ea,quæ ſecũdas à ſe vitas promat. Ipſaq; harum deprõptione manet,quæ erat:atq; adhuc magis inclinatione ad eas. Subſtãtia vero & ſecunda quoq; vita eſt.Quandoquidem & poſtrema quoq; eſt.Verum ea,& rationis compos,& intelligens poteſtate.Attamen ſecunda ab ipſa perducente eſt: quatenus quod ex cauſa effectum eſt,cauſæ ipſi concedit.Et quatenus ei,quod alicubi manet,quod totum progreſſum eſt.Et quatenus quod ſecundum poteſtatem,atq; aliunde perficitur,ei aſſurgit,quod ſecundum actum,& à ſeipſo exiſtit.Ideoq; id quidem nũquam in extremã perfectionem decidit:ſed in perfectionem,quæ remiſſa ſit.Quod vero progreditur,vel vndiq; aliquãdo ſit imperfectum.Recte itaq; à nobis duplex animæ intellectus traditus fuit. Nam alter manens,alter progrediens.Et is aut impfectus,aut perfectus.Quiq; manet,aut omnino manet,aut aliqua ex parte.Quoniam autem hæc exacte declarata fuerunt,nunc qua ratione diſcrimen iuxta altitudinem intellectus animæ,qui perficitur:reſpectu præſtãtioris illius cuius is particeps eſt:atq; huiuſmodi etiam eſt,vt nihil eum participet,philoſophus tradat:quandoquidem iam affinitatem conſiderauit,ex eo,quod inſeparabile,impaſſibile,& immixtum,& ſua ex ſubſtantia eſt actus,interpretemur.

Reſponſum primæ dubitationis.

IDEM autem eſt ſecundum actum ſcientia cum re.

VIGESIMA PARTICVLA.

QVAE uero ſecundum poteſtatem,tempore prior in uno. Omnino autem neq; tempore.Sed haud aliquando quidem intelligit: aliquando autem non intelligit. Separatus autem eſt ſolum id,quod uere eſt.

EXPOSITIO.

In quibus primam demonſtrat differentiam:quod non ſolum intellectus ſit,animata illa ſublimitas:ſed & ratio.Scientia nanq; cognitio rationis particeps eſt. Appellat aũt nunc ſcientiam,quem vocabat intellectum:qui ſua ex ſubſtantia actus eſt.Scientiam q ſecundũ actum eandem cum eo,quod ſciri debeat,eſſe demõſtrat.Quod ipſam rem refert. Verum haud hic quẽadmodum in ſenſu fit:vbi forma ipſa diuerſum quid ab eo,quod ſenſile exiſtit.Rurſumq; præſtantiſsimus Platonis interpres nobis declarat,qua ratione ab eo dictũ fuerit,Q d eſt ſemper intelliget,quod cũ ratione cõprehendi queat.Ita,vt ſimul intellectio, atq; ſcientia ſuprema illius aiatæ cognitionis ſit.Intellectus aũt ſimpliciter ſuperior ille eſt. Hæc quidẽ igitur prima eſt differentia,propter remiſſionẽ rationis reſpectu intellectus: & propter remiſſionẽ cognitionis reſpectu eius,quod cognoſci debeat.Ac quẽadmodũ qd gigni poteſt cũ ſit,ſuperatur ab eo,qd abſq; vlla generatione eſt:qd propter cõplexũ cũ vi,ac poteſtate ipſius nõ eſſe fit:ita & quod aliqñ quidem intelligit:aliqñ aũt non intelligit:vel cũ intelligat,eam habet poteſtatem,vt aliquando non intelligere valeat.Neq; huiuſmodi habet intellectionem,qualem ipſum intelligẽs:neq; coniũctionẽ illã adipiſcitur:vt in vnũ cũ ipſo intelligibili redigatur.Nã exactioris cognitionis coniunctio quoq; maior eſt.Erit qui-

,,
,,

dem igitur ſua ex ſubſtantia actus,& animatus ille intellectus ſeparatus: ſed haud eodem modo,quo qui ſemper ſeparabilis.Nondū enim ſeparatus noſter ille intellectus eſt.Quod propter inſeparabilem illam cognitionem cum ſecunda fit.Neq; actionem cum ſubſtantia perfecte iungit.& quatenus aptus eſt.Verū adhuc imperfectius quod poteſtate dixit.Quādoquidem & aptus eſt,vt perficiatur.Priorem autem eſſe tempore eam quæ ſecundum poteſtatem in vno:in iis quidem quæ gignuntur verisſimum eſt.Nam generatio quælibet ab imperfecto ad perfectum progreditur.Ideoq; quod imperfectū eſt,tēpore prius eſt.Quod illud eſt,quod poteſtate exiſtit:in eo,quod vnum idem ſit.Quoniam in proxima cauſa neceſſe eſt,vt quod actu exiſtat ante id,quod ab ea in eo poteſtate fiat.Recte itaq; illud ī vno adiectum fuit.In iis vero,quæ perpetua quidem ſunt:quæ aliquando quidem intelligunt: & rurſum aliquando non intelligunt:neq; in ipſo vno prius quod poteſtate tempore.Cur nanq; id potius,q̄ quod actu?cum ſibiipſis ſemper mutuo ſuccedāt.Ideoq; ipſe quoq; Ariſtoteles in anima non cenſet tempore priorem eſſe poteſtatem ipſam.Sed illud vere ineſſe: quod aliquando quidem ipſa intelligat:aliquando autem non intelligat.Nam ſi in compoſito homine poteſtas antea eſt:intellectus aūt is animata eſt ſubſtantia,quæ ſeparabilis exiſtit:quemadmodum confeſtim infert:vbi & ſimul tertiam differentiam animati intellectus illius præſtātioris reſpectu tradit:iam & cognitio eadem cum eo,quod cognoſci debet,exiſtet.Separatus enim,inquit,qui ſemper ſeparabilis.Semper autem ſeparabilis oīum cōceſſione ille,cuius anima particeps non eſt.Oīnoq; & ille cuius ipſa particeps eſt.Neq; enim is animæ exiſtit:ſed anima ipſius.Ille nanq; in ſeipſo firme manens,ſuiipſius animā attingit.Hæc autē noſtra anima eſt:quæ impetu,atq; inclinatione ſecundas affert vitas:quæq; cum illis colligata eſt.Neq; iuxta eam tantum quæ permanet: ſed & iuxta illam ſui vitam quæ recedit,atq; progreditur,viuit.Rurſumq; ſeparatur.Cum prope illud tantum ſtetit, quod in ſeipſa firmum,atq; permanens.& id ſolum eſt,vt ipſe dixit,quod vere eſt:non aūt aliud quid.Cuiuſmodi intelligēs illud erat,quod in appulſū collocatum erat: quod in vita ſeparabili poſitum erat.Vel ſeparata itaq;,quatenus & inſeperabiliter aliquādo apta eſt ad viuendum:haud tunc quod ſeparabile ſit,habebit:quale quod ſemper ſeparabile.Quatenus ergo ſeparabili,& ſine materia exiſtenti cōuenit illud ſeipſum intelligere.Suiipſius aūt intellectio ſua ex ſubſtantia actus eſt.Quatenus vero ſeparabile illud animati intellectus concedit,atq; aſſurgit ſeparabili illi,quod in præſtantiori reperitur:ea ratione & coniūctio illa relinquetur ab actione,ipſius ſubſtantiæ reſpectu.

In perpetuis neq; ineo,qd vnū prius tē pore eſſe, qđ poteſtate.

ET id ſolum immortale,& ſempiternū.Non reminiſcimur aūt, quoniā id quidē impaſſibile.Paſſibilis uero intellectus corruptibilis,& ſine hoc nihil intelligit.

Scire æquum eſt:quod cum oi ratione philoſophus nitatur,atq; ei adhæreat ſubſtantialem animæ intellectum immortalem,& perpetuū enūtiat. Quo tum hac ratione ſimul huius cum Platone conuenientiam admiremur:tum tractationē etiam eorū,quæ particularia ſunt.Nam quæcunq; ille potius vniuerſalia comprehēdens,atq; perſpiciens tradidit: tametſi ita,vt illi antiquorum præſtantiæ conueniens erat:hæc eadem nunc quoq; Ariſtoteles docet.Neq; enim quia in ſolo continuo,atq; partibili actu,motus vocabulo vtitur:nō fert,vt id animæ adiungatur:quippe cum partibilis anima non ſit.Nam cum tu mutes vocabulum illud,quod per ſe mobile indicat,in id,quod per ſe viuens,& per ſe perfectū,& per ſe faciens,atq; patiēs:omnis inde oratio duci videtur.Vel apud Platonem enim illud per ſe mobile,quandam animæ duplicitatem ſignificat.Nam eius quod ipſius animæ permanēs, formale,atq; efficiēs eſt,illud per ſe eſt.Quo cum de ſupremis etiā illis loquitur formis,vti conſueuit.Ad illud aūt mobile ſpectat:quod paſſibile,& progrediens,& quod pficitur,atq; terminatur.Hinc itaq; & Ariſtoteles commotus,quod in anima efficiēdi vim habet: quod Plato per ſe dixit:is ſeparabile,atq; impaſſibile,& immixtum eſſe demonſtrat.Nam tanquā principſum ſtatuit:& naturam quandam cauſam afferētem,quæ omni materia,atq; eo oi quod fit,nobilior ſit.Materia nanq; apud hunc pro eo omni quod fit,accepta fuit. Præterea que illud huiuſmodi eſt, vt ſua ex ſubſtantia actus ſit. Quod propter contractionem in impartibilem formam,ei datum eſt.Vnde cum id philoſophus acceperit,tanq̄ quod ſine

Materia pro eo oi qđ fit.

materia

materia sit: quia omne quod cũ materia existit, partibile est: & cum ipsum in seipsum agere voluerit: demonstrat, omne id, quod sine materia sit, seipsum intelligere. Cumq; simul intelligẽs, atq; intelligibile demõstrarit, & simplex: ita, vt haud particulariter intelligat, atq; intelligatur: sed totum ambo constituant: quod immortale, atq; perpetuum sit, pronuntiauit. Quod nãq; separabile, atq; simplex est: quodq; suiipsius est: & seipsum viuum reddit, atq; perficit: ita, vt in impetu illo ad ea, quæ extra, secundas effundat vitas, atq; substantias: non solum mortem, atq; interitum subire non valet: sed præcipue eam habere vim demõstratur: vt vitam, atq; substantiam præstet: & propter hanc causam immortale quoq; dicitur. Ita, vt sit, totus syllogismus, dum paucis eum compono, talis. Patet, quẽadmodum de nostra anima rogatum fuit: quod in nostra anima, non solum ipsum reperitur patiẽs: sed & ipsum efficiens, principium, & causa eorum, quæ fiunt. Præterea ipsum efficiens in anima seipsum intelligere potest: actionemq; cum substantia in vnum impartibiliter reducit. Quod autem incipit, quodq; in causa est eorum quæ fiunt: quodq; sua ex substãtia actio est, separabile, atq; simplex est. Quod vero separabile, atq; simplex suiipsius est, & non in altero. Quod vero huiusmodi contrarium recipere non valet, vt vitæ, atq; substantiæ priuationem. Neq; enim in seipso oppositum vnquam aliquod recipiet: neq; in altero, quod suiipsius solum est. Ipsum itaq; efficiens, quod in anima reperitur: huiusmodi erit, vt mortem, atq; interitum recipere non valeat. Iccircoq; immortale, atq; perpetuum ex necessitate est. Quod haud eam ob causam ei præcipue conceditur, quia recipere nõ valeat. Sed quia, vt iam dictum fuit, in impetu illo ad ea, quæ extra, substantias, atq; vitas secundas profundit. Quæ sanè omnia, vt dicebamus, ita ab Aristotele tradita, atq; tractata fuere, vt vndique cum demonstratione illa Platonis de anima, quæ ex eo, quod per se mobilis sit, sumitur, conueniant. Quod nanq; de anima loquatur, non autem de intellectu illo, cuius ipsa particeps est: multoq; minus de eo, quem ipsa non participat: sed de anima nostra, & iam a nobis in memoriam adductum fuit: præterea q; ex pluribus sibi aliquis discere posset. Quonã pacto, quod potestate, aut illud aliquando intelligere, aut illud aliquando separari, iis quadrabit, quæ vltra particularem istam animam existũt? At neq; quod sine materia, quodq; simul id, quod intelligit, & quod intelligitur, aut quod separabile, vlla ratione omnino nostris illis vitis conueniet, quæ corporum formam referunt. Multoq; minus aliorum animalium, aut plantarum animis. Id quidem igitur perspicue, atq; necessario, vt mihi persuadeo, collectum fuit, quicquid efficiens in anima est, illud immortale, atq; perpetuum esse. Perbelle enim illud perpetuum admouit: quemadmodum & Plato, quod sine interitu in Phædone. Ne in eam incidamus opinionem, quæ fuit Boethi: qui animam, tanquam animatam quandam rationem immortalem esse voluit: verum ita, vt mortem accedentem nõ expectaret: sed illa accedente recederet, atque inde viuens periret. Ob quam autem causam id solum perpetuum? Nunquid quoniam manifeste infert, passibilem intellectum corruptibilem esse? At dubitare aliquis posset, quonam pacto cum & ille intellectus sit, corrumpitur? siquidem & ille sine materia est. Intellectus nanque omnis sine materia positus, atque cõstitutus fuit. & propter id, omnis quoque intellectus est intelligibilis. Non autem formã, quæ sine materia est: quia intelligibilis sit, & intellectus quoque est. Nunquid autem passibilis ille intellectus materialis erat, & potestate, & id ipsum passibilis, & imperfectus est intellectus: totumq; id existit, donec passibilis sit? Propter hanc q; causam corruptibilis, quatenus passibilis est. Sine materia autem fit, & actu intellectus, atq; intelligibilis, in coniunctione illa, cum ipso efficienti. Perfecte vero sine materia, atque perfectus existit intellectus, cum ad ipsum efficientem recurrit. Ita, vt passibilis intellectus interitus sit, haud quia in id, quod non est, abeat: sed quia cum eo, quod præstantiori ratione est, coniungitur. Nam animata illa substantia, quæ separata est in seipsam, illam quoque vitam, quæ progressa est, reuocat. Quæ tamen haud adhuc progreditur: sed in ipso manere, tanquam in causa existit. Passibilis itaque intellectus, quatenus passibilis, corruptibilis est. Quemadmodum aũt opponit, aduersus illud, quod ipsius animæ ppetuum demõstratũ fuit? quonã pacto nõ reminiscimur, quæ ante ortũ nobis acciderint: si ppetuo is præexistebat? Vnde etiam rursum patet, cum de anima sermonẽ habere: non autem de præstantiori

Boethi de animę immortalitate sñia.
Interrogatio
Responsum.
Dubitatio.
Responsum.
Passibilis intellectus interitus.

illo intellectu. Cuiusmodi nanq; in dubitationem veniret, propter quid nos non recordamur: cum perpetua illa nobis præstantiora sint. Dubitationisq; præterea solutio, animæ quadrat. Quoniam progrediens ille intellectus impassibilis, & ob hanc quoq; causam immortalis est. Passibilis vero ille corruptibilis, quatenus passibilis: quemadmodum etiam à nobis dictum fuit. & quatenus in id, quod firmum, atq; permanens adducitur. Sine eo vero, qui passibilis est, quatenus passibilis, & qui progreditur ad eas vsq; vitas, quæ corporũ formam referunt, nihil *i* intellectus intelligit. Nihil inquam eorum quæ memoria comprehẽdi possunt. De quibus nobis sermo propositus est. Quæ vt alibi ipsemet Aristoteles nos docet, huiusmodi sunt, vt imaginatione concipiantur. Ideoq; in intellectione eorum, quæ memoria comprehendi possunt: ea ratione omnino egemus: quæ ad imaginationem vsq; progrediatur. Et sine hac ne impassibilis quidem intellectus eorum aliquid intelliget, quæ memoria percipi possunt. Neq; enim simpliciter illam particulam, nihil interpretari debemus. Ita, vt nihil impassibilis ille intellectus sine passibili *i* intelligere dicamus. Quo nanque pacto adhuc separabilis? quo pacto immixtus? quoq; pacto sua ex substantia erit actio? Quoniam & anima, quæ corpus id viuum efficit, separabiliter aliquando viuit, atq; intelligit. Quod nanq; Deus, inquit ille, semper est, in duodecimo eorum, quæ post naturalia diuntur: id nos aliquando obtinemur: ex potestate scilicet nostra. Deus autem semper separabilis est: & nos itaq; sumus, licet aliquando. Nos inquam, qui adhuc naturalem istam vitam viuimus. Cum anima absq; vllo respectu erga corpus, atq; erga secundas istas vitas: tametsi breui tempore: sese habuerit.

VIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

INDIVISIBILIVM quidem igitur intellectio in his, circa quæ nõ est falsum. In quibus autem falsum, & uerum, compositio quædam iam intellectionum. Quippe quæ unum sint: ut Empedocles dixit. Profecto multorum quidem capita sine ceruicibus germinarunt. Postea composita fuisse amicitia. Sic & hæc separata componuntur. ut quod incommensurabile, & diameter.

EXPOSITIO.

Quando de aliis animatis facultatibus docendo verba Aristoteles faciebat: de naturalibus inquam, atq; iis, quæ sentiendi vim haberent: quæ iis subiecta essent, tradebat: & ante substantias actiones ipsas considerabat. Nam ex iis, quæ nobis manifestiora essent, ad immanifestiora progrediebatur. In tractatione autem ista de anima intelligente, intellectum, quisnam, & qualis sit, ante intelligibilia contemplatur. Quia ea ignotiora sint. Atq; deinde intelligibilia ipsa considerat. Quo ex his ambobus actionem ipsius intellectus intelligibilium respectu adipiscamur: & intellectus præterea perfectionem, quæ ex ipsis intelligibilibus prouenit, consequamur. Quemadmodum itaq; in passibili intellectu, cum substantiam antea tradidisset: ea adduxit, quæ ab eo cognosci debeant: quæ duorum generũ sunt: tum quæ forma affecta sunt: tum formæ, quæ illa determinant: & eius præterea diuersam circa illa actionem exposuit: ita cum substantiam, & perfectionem, & æternitatem efficientis intellectus antea cõsiderarit: quænam ei intelligibilia sint: & quænam ipsius intellectus actio circa ea sit: ex his nunc nos docet. At quia intellectum simul, atq; rationem causam afferentem, & simpliciter scientiam gignentem, ipsum intellectum afficiẽtem statuit, & duorum generum intelligibilia ei conuenienter concedit. ex quibus altera quidem sunt indiuisibiles, atq; impartibiles formæ: quæ quatenus intellectui, conceduntur. Altera vero quæ conuoluta, & quæ non sine aliqua compositione, ac diuisione, coniunctionem participãt: tanquam ea, quæ sciri queant: quandoquidem & cum causa iuncta sunt. Atq; ipsam quidem actionem impartibilem, ac veram tantum esse inquit: nunquam autem falsam. Illam autem quæ in quampiam partitionem deferatur: quæ quidem partitio cum compositione, ac diuisione sit: circa quam verum, atq; falsum constitutum est: haud huiusmodi esse vult, vt scientiam pariat. Nam hæc semper vera est. Vbi aũt compositio, ac diuisio ea quoq; existit actio, quæ a causis abest: quæ opinandi vim habet, atq; exterior est: neque ad rerum

profunditatem peruenit. Meta igitur eorum quæ proposita sunt, hæc est. Admodum autē paucis, atq; adeo breuissime confestim Aristoteles incipiens, & quæ ipsa intelligibilia sint, & cuiusmodi intellectio: quoniam illa quidem ipsæ existunt formæ: hæc autem vera solum: indicauit, inquiens. Indiuisibilium intellectionem circa ea esse: circa quæ non est falsum. Multis autem modis ipsum indiuisibile dicitur: vt & ipse quoque explanaturus est. Nanq; & longitudo actu est indiuisibilis: licet potestate sit diuisibilis: & vt punctum, atq; finis interualli. Quod tamen punctum ignobilius ipso interuallo est: atq; ita ab eo decidit: vt haud ipsum dici queat: sed extremum tantum eius sit. Nunc autem forma indiuisibilis dicta fuit. Quæ, vt in primo naturalis auditionis expositum fuit: & adhuc amplius in diuina philosophia: de naturali quidem in septimo, & octauo: de ea vero, quæ naturalem excedit, in duodecimo, substantia prima est, & secundum seipsam, & perfectio, & actus, & terminus impartibilis. Qui quidem terminus eas omnes rationes, quæ circa ipsum conuoluuntur: atq; eas omnes proprietates iuxta quas partibilia subsistunt, ita, vt vnam formam referant, antea complexus est. Simplexq; quidem est: sed haud propè simplicitatem illam in angustum redactam permanet: sed propè eam, quæ illam obtinet vim, vt omnes proprias atq; priuatas rationes, quæ circa eum diuisæ sunt, perferat. Naturalisq; naturales tollinanimatusq; animatas. Terminus autem ille, qui secundū seipsum existit: quiq; suiipsius est: atq; id vere est, quod ipsum: ita, vt eos quoque terminos, qui dicti sunt, constituere valeat: vnam in formam redigendo, vel hos quoq; antea sumpsit. Terminus sanè animæ maxime primus: cuius humanæ omnes animæ communiter compotes sunt, intellectus est, & qui vniuscuiusq; proprius. Quoniam autem præstantiori quadam ratione quam naturalia, quamq; ipsa natura, animata substantia connexa fuit cum proprio termino, atq; forma: propter cuius impartibilitatem, & cum aliis omnibus formis impartibiliter iuncta est: & ipsa omnibus formis secundario referta est: quæ tamen non permanent, quales erāt veræ formæ: sed quæ commixtæ sunt cum præstantissima substantialium rationum cōuolutione. Ideoq; & ab intellectione post rationem comprehēdi possunt. & quemadmodum inquit Aristoteles, huiusmodi sunt, vt intelligi, atq; sciri valeant. Ex quibus anima & cum præcedentibus illis formis coniungitur. Contemplatur enim & illas, vbi per eas, quæ in ipsa existunt, perfectionem consecuta fuerit: sed proxime coniunctas. Atq; huiusmodi intelligibilia illa sunt: quæ substātiali animæ intellectui parata sunt: proxima scilicet, atq; præstantiora. Substantialis autem eius actio huiusmodi: cuiusmodi & ipse qui talis erat. Erat autem intellectus cum præstantissima ratione commixtus. Vnde & eius actio eodem modo sese habebit. Intellectioq; talis erit: qualis & præstantia illa, quæ rationis compos est, existit. Et quatenus quidem intellectio impartibilis, atq; eadem sua ex substantia est: & indiuisibilium, hoc est formarum existit. Solumq; ac secundum seipsam vera est: veritatēq; obtinet, quæ aduersus falsum obiicitur. Nam in complexione alterius cum altero: atq; in particularibus iis, quæ cognoscantur: falsitas omnis collocata est. Ita, vt aliqua quidem ex parte, quod illud cognoscit, tangat: aliqua vero ex parte minime. Quoniam nequaquam, quod nulla ratione tangit, de eo etiam mētitur: de quo neq; omnino quicquam opinatur, neq; aliquid dicit. Neq; quod totum illud apprehendit. Nam id verum dicere necesse est. In iis itaq;, quæ aliqua ex parte attingunt, falsitas, & quæ huic opponitur veritas, constituta est. Impartibilis autem illa indiuisibilium intellectio quæ illud ex aliqua parte, propterea quod impartibilis, non habet: aut quasi totum tāgit: aut nullo pacto. Quare ex Plotini sententia huiusmodi est, vt in nullum errorem incidere valeat: & vt Aristoteles sentit: semper vera existit: nunquam falsa. Quatenus quidem igitur intellectio huiusmodi est. Quatenus autem præstantia illa rationis compos, atque scientia, non cum appulsu, sed substantialis, hæc quoq; eadem cum ipsa re est. Ita, vt & scientia, & substātialis sit cognitio: sed secundario. Licetq; quod idem sapiat, obtineat tamen non sine diuersitate, atq; interuallo quopiam. Quemadmodum & indicat nostra illa rationis particeps cognitio, quæ cum appulsu fit: quæ in diuisione, atq; collectione semper posita est. Quod ei euenit, tum quia haud propè terminum vnum simplicem permanet: sed conuoluitur. Tum quia, quæ conueniēter, atq; eodem seruato ordine ei, quo cognoscantur, offeruntur: rationes, non autem for-

Indiuisibile multiplex. Primo. Secundo. Tertio.

Formæ dotes.

mæ ſunt. Atq; adeo formæ ipſæ nõ ſine aliquo interuallo cum rationis his animatis, atq; ſubſtãtialibus in idem redactæ ſunt. Ipſa quidem igitur cognitio rationis particeps vel ſui ipſius reſpectu non ſine diuiſione eſt: & quæ cognoſci etiam debent, eodem modo ſe mutuo habent. Quæ vero ambo comprehendit, quod inquã cognoſcendi vim habet, & quod cognoſci debet, ſibi mutuo conſequens, atq; ſimilis eſt. Et ſemper vera exiſtit cognitio, atq; huiuſmodi, vt ſcientiam gignere valeat. Sed haud ſimpliciter tãquam rationis compos exiſtit. Immo potius tanquam ea, quæ ex cauſis ſciẽtiam gignere poſſit: & quæ omnino cum rebus totis iuncta, ac cõnexa ſit. Falſum itaq;, & verum quod ei aduerſum eſt, haud in his ſuam ſedem habent: ſed in quibus compoſitio, apparet. Quæ in cognitione rationem participante, atq; progrediente, collocata eſt. At quia philoſophus noſter dixit, intellectionum compoſitionem: ne intelligibiles ipſas formas intelligamus: ſed particulares proprietates, quæ poſt formam, rationem participant, infert. Quemadmodum Empedocles dixit. Profecto multorum quidem capita ſine ceruicibus germinarunt: poſtea compoſita ſunt, amicitia. Ita, & hæc ſeparata cõponuntur. vt quod incõmenſurabile, & diameter, aut quod cõmẽſurabile, & diameter. Hæc quidẽ enim tãq; forma tetragoni: quæ ſimul oẽ indiuiſibiliter cõplexa eſt, & latera, & diametrum, & quod incõmenſurabile eorum: & illud æquales angulos, æqualia q; latera habere. Vnumquodq; autem horum ſingillatim particularium eſt rationum proprietas. Ex quibus ea conſtituitur compoſitio, quæ rationis particeps eſt.

VIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

SIN autem eorum quæ fiunt, aut futura ſunt, tempus præterea intelligit, atq; cõponit. Falſitas nanq; in compoſitione ſemper. Nanq; ſi ipſum album non album, ipſum non album compoſuit. Contingit autem & diuiſionem dicere omnia. Ergo eſt non ſolum falſum, aut uerum, quod albus Cleon eſt: ſed & quod erat, aut erit.

EXPOSITIO.

In iis nanq; quæ perpetua ſunt, cõplexio ſolum eius quod dicitur, atq; ſubiicitur adeſt: in iis vero quæ in ortu, atq; interitu ſunt collocata, vel tempore opus eſt. Quippe cũ haud ſemper, ſed aliquando ſint, ac non ſint. Et oportet nos legentes. Sin autem eorũ quæ fiunt, faciat ſcilicet aliquis compoſitionem: & vbi iam punctum interpoſuerimus, ſic inferre: tempus præterea intelligit, atq; componit. Ita, vt præter id, quod dicitur, atq; ſubiicitur, tempus etiam intelligat, atq; componat. Propter quæ etiam rurſum nobis in memoriam reuocat: quod in compoſitione omnino falſitas poſita eſt. Quandoquidem quod album eſt, haud album eſſe, opinari poſſumus. & quod non ſine diuiſione compoſitio eſt. Ideoq; & diuiſio in iis collocanda, in quibus compoſitio exiſtit.

QVOD uero unum facit, id intellectus, unumquodq;.

Ratio nanq; animæ ſimplices intellectiones connectit: quam ſanè intellectus nomine appellat, vt iam demonſtratum fuit. Niſi & illud demõſtretur: quod pluribus in tractatione illa, quæ poſt naturalia ſequitur, Ariſtoteles demõſtrauit: quemadmodum cauſa, quæ à forma ſtat: ac formalis dicitur: vt ipſius eſſe: ita & eius, quod eſt, vnum eſſe, iis, quæ forma affecta ſunt, cauſa eſt. Quod in naturalibus quidem verum eſt. In animis vero, intellectus forma eſt: cuius particeps eſt, & qui propè ipſam animæ ſubſtantiam, quatenus intellectus permanet. Nam quatenus ratio, & ipſe in vnum redigitur. Ariſtotelis autem verba ita componenda ſunt. Quod vnamquanq; complexarum intellectionum vnum facit, id, ipſe eſt intellectus.

VIGESIMATERTIA PARTICVLA.

IPSVM uero indiuiſibile, quoniam dupliciter, aut poteſtate, aut actu.

EXPOSITIO.

Indiuiſibile multiplex. Primo. Secundo.

Dictum & à nobis iandudum fuit, quod multis modis ipſum indiuiſibile dicitur. Aliud quidem, tanquam forma, quæ nulla ratione diuiſibilis eſt, neq; poteſtate, neq; actu. Aliud vero, quemadmodum longitudo, & omne continuum, quod actu tãtum eſt indiuiſibile:

poteſtate

poteſtate vero quadam ratione diuiſibile. Aut quia re vera aptum ſit, vt diuidatur: quemadmodum quæ in generatione collocata ſunt. Aut quia ſola cogitatiõe diuidi queat: quẽadmodum cœleſtia. Quæ diuidi poſſunt, propter id, quod partibile à corporibus contecta ſunt. Aliud autem, vt punctum, & ipſum nunc: quæcunq; tanquam extrema indiuiſibilia eſſe dicimus. Nanq; linea tanquam extremum ſuperficiei, iuxta latitudinem indiuiſibilis eſt. Et ſuperficies tãquam extremum corporis, iuxta profunditatem indiuiſibilis. Quod igitur ita indiuiſibile, vt ipſum extremum, eſt quidem & ipſum omnino indiuiſibile, non ſolum actu, ſed etiam poteſtate. Verum oppoſito modo, atq; formæ, rerumq; termini ſint. Formæ nanq; perfectiones ſunt: & omne illud coniuncte comprehendere. Puncta vero, & omnino ipſa extrema, tãquam ea, quæ ab interuallis deciderint: & quæ ex hoc, quia extrema ſint, vel ab iis ſuperentur: quorum ſunt extrema: in priuatione eorum, quæ finiuntur, exiſtunt. Neq; enim nunc huiuſmodi Ariſtoteles pũcta recipit: qualia Pythagoræi poſuere: tanquam ea, quæ interuallorum principia formas referẽtia ſint: atq; cauſæ, quæ determinandi vim habeant. Sed fines, vt dictum fuit, atque extrema noſter philoſophus eſſe vult. Ideoq; haud abſurde illi puncta ſubſtantias eſſe ſtatuebant. Nam ea in idem cum formis illis: quæ partibilium determinandorum vim habent, adducebant. Ariſtoteleſq; pbelle in priuationibus puncta ſtatuit. Ita, vt ſermo, qui de indiuiſibilibus in medium adducitur, dum paucis exponitur, huiuſmodi ſit. Duobus modis ipſum indiuiſibile dicitur, aut poteſtate, aut actu. Quod quidem igitur poteſtate eſt: actu omnino etiã eſſe poteſt. Quod autem actu, haud omnino etiam poteſtate. Actu quidem enim, vt ipſe inquit, longitudines tantum indiuiſibiles ſunt, atq; omne id, quod continuum. Poteſtate autem, & ob hanc quoq; cauſam omnino indiuiſibilia, formæ, & termini: & quæ tanquã extrema: quæ quatenus extrema, indiuiſibilia. Ex his vero aliæ quidem ſunt formæ, tanquam perfectiones, & præſtantiores iis, quæ perficiuntur: & quæ omne illud coniuncte complectuntur. Atq; hæ primæ, & ex ſe ſubſtantiæ ſunt. Puncta vero ſunt fines, ac tanquam extrema eorũ, quæ finiuntur: quæ ipſum indiuiſibile obtinent: quia ab ipſo diuiſibili decidunt, atq; illud aſſequi non poſſunt. Simulexq; illud habent: non quia comprehendant, quemadmodum formæ: ſed quia ab interuallis decidunt, atq; ea amittunt. Cognitio ita q; indiuiſibilium, tanq̃ formarum, ac terminorum, noſtro nunc philoſopho, quo de ea contempletur, propoſita eſt. Iniellectus enim quatenus intellectus, & ſubſtãtialis quoq; animæ intellectus horum comprehendendorum, ſuum ſeruando ordinem, vim habebat. Horumq; intellectio, vt ipſe tradidit: vera vbiq; eſt: neq; vlla vnquam ratione falſum recipit. At quo & alia, quæ indiuiſibilia dicuntur ab iis, quæ tãquam formæ, indiuiſibilia ſunt: diſtinguat: & illorũ quoq; intellectiones, reſpectu eorum, quæ formarum ſunt: neceſſario quot modis indiuiſibilia dicantur, affert: & quænam ſint propriæ, ac conuenientes eorum intellectiones, docet. Nã intellectiones eorum, quæ ſecundario indiuiſibilia dicuntur, nequaquam puræ exiſtunt. Neq; enim pmanent in eo, quod pure indiuiſibile. Sed quippe quæ cognoſcant, quæ actu quidem indiuiſibilia, poteſtate autẽ diuiſibilia: aut quæ ex priuatione indiuiſibilia. & hæ labuntur ab illis ſummis, atq; puris intellectionibus: atq; in diuiſionem quandam, ſaltem poteſtate exiſtentem, decurrunt. Ac in id, vt haud ex ſe, ſed per accidens, fines cognoſcant. Nam quia fines cognoſcimus, & quæ inde decidant, nota, atq; perſpecta habemus. Quẽadmodum recto cognoſcitur obliquum: & bono malum: & omnino formis eorum priuationes, quorum ſunt formæ. Siquid enim haud eundem ordinem ſeruando, ſed præſtantiori quapiã ratione res cognoſcat: huic nihil eſt impedimento: quin haud vt res illæ ſunt: ſed vt intelligens ipſum exiſtit: ita etiam intelligat. Nam neq; ſimul cum iis, quæ intelligũtur, in diuiſionem venit: neq; vnà cum illis infertur: ſed cauſam afferendo, atque in ſeipſo manens intelligit. Nunc autem, vt dictum fuit, de iis à nobis ſermo habetur: quæ eundem ordinem ſeruando cognoſcunt. Quoniam q; hæc antea iam à nobis poſita, atq; explicata fuere, Ariſtotelis verba proſequamur. Tertio.

IPSVM uero indiuiſibile, quoniam dupliciter, aut poteſtate, aut actu.

Primam diuiſionẽ philoſophus facit: quod omne quod indiuiſibile, aut poteſtate, aut

actu. Huiusmodi q; hæc est diuisio, vt nihil ei desit, Quod nanq; potestate indiuisibile est: vel alia quacũq; ratione indiuisibile existit. Quod aũt actu, haud ex necessitate & penitus.

NIHIL prohibet intelligere ipsum indiuisibile, cum intelligat lõgitudinem. Indiuisibilis nanq; actu, & in tempore indiuisibili. Eodemq; modo & tempus diuisibile, atq; indiuisibile cum longitudine.

Ipsum nanq; indiuisibile reperitur in iis, quæ potestate diuisibilia sunt: quod actu reddit illa indiuisibilia. Idq; sanè indiuisibile cũ inseparabile ab eo sit, qđ cũ dimẽsionibus est, eam sanè habet vim, vt comprehendat: non tanquam causa, vt forma: sed tanquam summum, atq; supremum eius, quod forma affectum sit. Quemadmodum & bona valetudo perfectio est viuentis corporis. Sed haud tãquam causa, quæ vt finis in forma collocata sit. Nihil nanq; quod partibile sit, aut subsistere valet ita, vt impartibile quippiam in se non cõtineat: aut secundum naturã sese habere sine perfectione, quæ in iis subsideat. Intellectusq; profecto ille, qui ordine seruato cognoscit, quod actu quidem indiuisibile, potestate autẽ diuisibile: cognoscet id ipsum profecto, quemadmodum est: quatenus inquam actu indiuisibile. Potis nanq; is idem intellectus est, illud intelligere, vel vbi iam diuisum fuerit. Verum cum tanquam vnum totum illud intelligat: & haud adhuc diuisum: tunc tanquam indiuisibile intelligit. Recte itaq; illud Aristoteles dixit, Nihil prohibet. Quandoquidem & quatenus indiuisibile: & quatenus iam diuisum potest cognoscere. Quando igitur tanquã indiuisibile intellexerit: tunc & in tempore indiuisibili. Et confestim quod demissum sit in cognitione ista, quæ horum ordinem seruat, Aristoteles indicauit. Neq; enim in illo nunc impartibili, quod omni tempore præstantius existit: id agit. Si nunc appellare fas est: quod omni tempore præstantius. Sed in tempore quidem: sed quod indiuisibile secundum actũ existit. Patet autem, quod intellectus ille, qui ordinem seruando hæc intelligit: haud simpliciter est intellectus: sed vnà cum conuolutione illa rationis compote: quæ primo interuallum adducit, implicitus est: atq; simul agit. Illud nanq; in tempore agere, ei conuenit vitæ, quæ rationis particeps est. Intellectusq; attamen est: quatenus quod indiuisibile est à distantia, atq; interuallo isto rationem participãte seiungit. Quousq; enim ipsum continuũ, tanquam indiuisibile intellexerimus, ne ipsum quidem tempus diuidimus. Vtrum enim diuiserimus, siue longitudinem in dimidiam, siue tempus, consequens est, vt & alterum quoq; simul diuidatur. Nanq; si dimidium longitudinis antea, deinde alteram partem postea cognouerimus: profecto & tempus quoq; vnà cum priori, atq; posteriori illo diuiditur. Rursumq; tempus, cum iuxta id, quod prius, atq; posterius diuiditur: alia m etiá partem habet, quæ iuxta id, quod prius, aliamq; quæ iuxta id, quod posterius cognoscitur. Ita, vt & actu quoq; diuidatur. Quare & ipsius quoq; lõgitudinis alia erit pars, quæ prius, aliaq; quæ posterius cognoscitur. Recte itaq; philosophus infert. Eodem nanq; modo tẽpus diuisibile, atq; indiuisibile cum longitudine. Nam quemadmodum sese habuerit longitudo, & omne continuum: ita & tempus quoq;. Manifesteq; id ex his confirmatur.

HAVD igitur licet dicere, in dimidio aliquid intelligit utroq;. Neq; enim est, nisi diuisum fuerit. At nunquid potestate? Separatim autem utrunq; intelligens, diuidit & tempus simul. Tunc autem quasi longitudines. Si n autem tãquam ex ambobus, & in tempore eo, quod ex ambobus.

In quocunq; quidem enim, vt indiuisibile cognoscit: neq; tempus ipsum diuidet. Cum non queat dicere, quid quidem in priori dimidio quidque diuersum in altero cognoscat. Quo actu ipsa intellectione diuidat tempus: tanquam aliud quidem prius, aliud autẽ posterius cognoscens. Qni nanq; cum continuitate id absq; vlla varietate cõtemplatur: haud actu tempus diuidit: sed potestate solum tempus in quo intelligit, indiuisibile esse nouit. Quoniam tempus quoq; ipsum diuideret: si vtranq; ex particulis longitudinis, in particulis huius temporis, alteram quidem prius, alteram autem posterius cõtemplaretur. Quoniam si longitudinem vel mente diuideret: & alteram quidem eius partem prius, alteram

autem

autem posterius consideraret: vna & tempus omnino diuideret iuxta illud prius, atq; posterius. Atq; tunc nequaquam tanquam indiuisibile totum cognoscetur. Ideoq; perpulchre Aristoteles dixit, Quasi longitudines. Omnino enim quod vnum est, multa facit: quia mente diuisit, & propter hanc causam, quasi dixit. Quoniam haud nostram mentem, atq; intellectionem diuidentem illud omnino sequitur: quod & ipsæ iam res diuisæ sint. Licet igitur non adhuc sit multitudo: sed tanquam multitudo intelligatur. Nam si non tãquam multa: sed tanquam vnum, quod ex vtroq; conflatum est, intellexerimus, & in indiuisibili tempore omnino ipsa videbimus: ac secundum actum indiuisibili, inquam. Atq; recte sanè noster philosophus facit: qui hac ratione quod in ipsis diuisibilibus indiuisibile reperitur, ab eo distinguit, quod formale existit. Non solum quia illud in tempore cognoscatur: sed & quia diuidi possit: prætereaq; quia ex partibus expleatur. Ideoq; quod ex ambobus dixit: tanquam is, qui duas parteis statuat. Indiuisibile nanq; illud, quod formale dicitur, omnino impartibile est: parteisq; nullas habet.

VIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

QVOD autem haud secundum quantitatem indiuisibile, sed forma, intelligit in indiuisibili tempore, & in indiuisibili animæ.

EXPOSITIO.

Anteaquam perfecte compleat Aristoteles sermonem illum, quem de intellectione indiuisibilium in ipsis diuisibilibus habet: nobis in memoriam reuocat discrimen huius, eius intellectionis respectu, quæ formis ascribitur. Quo & causam ostendat: propter quam omnino intellectio de iis nunc sumpta fuit. Quoniam, propter diluciditatem, atq; distinctionẽ formalium intellectionum factum fuit. Hæ nanq;, neq; in tempore existunt: neq; diuidũtur vllo pacto, aut actu, aut potestate. Sed quemadmodum ipsæ formæ sunt impartibiles: quæq; ne tempore quidem extenduntur: neq; vlla ex interuallo separantur: ita & cognitiones illæ quæ ordine seruato cum his conueniunt: impartibiles omnino erũt. Quod eis probe conuenit: cum neq; vlla ratione distantiam ascisçant: neq; conuoluantur: neq; omnino in tempore fiant. Tametsi enim in tempore Aristoteles dixerit: at illud, in indiuisibili admouit. Quo illud quod supra omne tempus est, significet. Omne nanq; tempus diuisibile est. Vt igitur lapidei alicuius adiectio in eo, quod lapidea nauis existat: nauim esse destruit: ita & additio ipsius indiuisibilis si tempori admoueatur: ex eo extrahit, quod tempus sit. Secundum quantum igitur indiuisibile est: quod quantum quidem est: sed haud diuisum. Ita, vt actu quidem indiuisibile sit: sed potestate nequaquam. Quod autem haud huiusmodi: sed forma indiuisibile, hoc est, tanquam forma est indiuisibile, intelligit, inquit, in indiuisibili tempore. Id autem est, aut in ipso nunc: aut quod verius enunciare possumus, præstantiori modo, quàm secundum tempus: & in indiuisibili animæ. Perbelleq; Aristoteles nouit, quæ à Platone dicta sunt: quemadmodum ex ambobus anima constituta est: ex impartibili inquam substantia, atq; ex ea, quæ circa corpora diuisa est. Quicquid igitur indiuisibile, atq; impartibile formis egregie quadrat. Atq; rectam seriem custodiendo ipsis cohæresçit: quia ex eo quod ipsarum indiuisibile cum indiuisibilibus cõueniunt. Rursumq; dilucidum est: quod haud de eo nunc Aristoteles intellectu agit: qui præstantior, quã propè animam existens: neq; de eo, cuius ipsa particeps est: multoq; minus de eo sermonem habet: quem ipsa non participat: sed de intellectu illo animæ substantiali, atq; permanente. Nanq; nunc perspicue, indiuisibili animæ, dixit: tanquam is, qui nouerat, & quod eius quodam pacto diuiditur. At cum hæc de intellectione formarum in medio philosophus collocarit: discrimenq; nobis tradiderit cum intellectione eorum, quæ alia quapiam ratione indiuisibilia dicuntur: rursum excipit sermonem de illis, hæc scribens.

Indiuisibile fm quantũ.

SECVNDVM accidens autem, & haud quatenus illa diuisibilia. quo intelligit, & in quo tẽpore. Sed quatenus indiuisibilia. Inest enim & in his aliquid ĩdiuisibile.

Repetit, vt iam dictum fuit, sermonem, qui ad indiuisibilia, quæ in diuisibilibus colloca

ta ſunt, ſpectat: quo intelligatur. At quia in medio diſtinxit, atq; ſegregauit intellectionem illam de formis: atq; eam in indiuiſibili animæ fieri dixit: & in indiuiſibili tempore: nũc hæc quæ ad indiuiſibilia in diuiſibilibus collocata ſpectat: ne q; ſimpliciter aĩæ diuiſibili fieri in q: ne q; ſimpliciter in tpe indiuiſibili. Sed indiuiſibili eo, quod ſm actũ, nõ aũt poteſtate ſit. Quicquid enim aĩæ diuiſibile, aliqñ quidé & ſm actum in contẽplatione diuiditur: aliquando vero poteſtate ſolum diuiſibile eſt: actu autem nequaquam. Quando enim ſingillatim animal, atq; rurſus rationis compos, deinde mortale conſideret: actu hominis contemplationem diuidit. Quando vero ſimul omne id contrahat: actus eius qui cognoſcedi vim habet, indiuiſibilis eſt: nequaquam autem poteſtate. Aptus nanq; eſt, vt diuidatur: ſed ſolum actu. Atqui cum diuiſibile ſit animæ illud, quod horum cognoſcendorum vim habet: & cum natura in tempore, quod diuiſibile ſit, cognoſcat: haud tamen tanquã diuiſibile: neq; tanquam in tempore diuiſibili cognoſcit: cum id quod cognoſcitur, tanquam indiuiſibile percipiat: quod natura & ipſum quoq; diuiſibile eſt. Ideoq;, ſecundum accidens philoſophus dixit. Neq; enim tanquam diuiſibile, quod diuiſibile eſt: ſed tanquam indiuiſibile cognoſcit. Neq; tanquam in tempore diuiſibili, tametſi diuiſibile ſit: ſed tanquam indiuiſibili. Neq; tanquam diuiſibili animæ cognoſcit: ſed & hoc tanquam indiuiſibili. Neq; enim reſpectu eius, quod diuiſibile ſumptum fuit illud, ſecundum accidens eſſe, quod in ipſis indiuiſibile. Neq; enim quatenus diuiſibilia ſunt: ea ratione etiam indiuiſibilia exiſtũt. Et propter hanc cauſam tanquam diuiſibilia, ſecundum accidens habebũt, quod indiuiſibile ſit. Neq; illud ſecundum accidens, quicquam nunc indicat, quod deterius ſit: ſed quod iuxta aliam rationem, atq; præſtantiorem. Secundum accidens ita q;, quæ diuiſibilia ſint, cognoſcit. Illa nanq; particula, illa, eam habet vim, vt quæ diuiſibilia ſint, apud Ariſtotelem ſignificet. Quemadmodum & ipſe infert, inquiens: & haud quatenus illa diuiſibilia: cum quod eorum indiuiſibile eſt, conſidero. Illud autem ſecundum accidens cenſet non ſolum de iis quæ cognoſcuntur, quæ diuiſibilia ſint, interpretandum eſſe: ſed & de ipſo intelligente, & de tempore: quia, quo intelligit, atq; in quo: inquit. Nam id ipſum ſanè admouit: quo intelligit, & in quo tempore. Quod eam ob cauſam fecit, vt dicebamus, quo indicaret, quod agit eo ipſius animæ, quod diuiſibile eſt: quod intelligit, quæ huiuſmodi ſunt: haud tamẽ quatenus diuiſibile eſt. Quod ita q; in iis indiuiſibile eſt ſecundum ſe, quatenus indiuiſibile cognoſcit. Quæ vero diuiſibilia ſunt ſecundum accidẽs. Quoniam ex alia ratione obtinebat, quod indiuiſibile: & haud quatenus diuiſibilia. Indicat autem ſecundum ſe, quod indiuiſibile cognoſci, quia addidit illud: ſed quatenus indiuiſibilia. At cũ dixerit, ſed quatenus indiuiſibilia, confirmat ex iis, quæ ſequuntur: quod eſt aliquid in ipſis diuiſibilibus indiuiſibile. Eſt enim & in his aliquid indiuiſibile.

SED forſan haud ſeparabile, quod facit unum tempus, & longitudinem. Et id eodem modo in omni eſt continuo, & tempore, & longitudine.

Quod quidem in continuis aliquid ſit indiuiſibile, confirmauit ex eo, quod omne continuum vnum aliquid ſit. Ipſum nanq; vnum indiuiſibile eſt. Et quod particeps eſt, ita elaboratur: vt haud ipſum vnum ſit: ſed coniunctum, nã partibile exiſtit. Quod philoſophus demonſtrans, aliquid dixit. Illud autem, forſan non ſeparabile protulit: quoniam haud ipſius ſubiecti formam: ſed ipſum ſubiectum, tanquam in vnum redactum contemplatur. Illud nanq; omnino inſeparabile eſt: quia ipſius ſubiecti aliquid eſt. Nam forma aliquid qđ ſeparabile ſit, obtinet. Quemadmodum & ipſe quoq; in naturali auditione vult: vbi naturales formas ſeparabiles inquit. Quoniam ſubſtantiæ ſunt: & ſubiectum perficiũt: nequaquam autem ab eo perficiũtur. Hanc q; ob cauſam, vt opinor, & illam particulam, forſan, admouit. Id innuere volẽs: quod ſi id quidem indiuiſibile ſumas, quod à forma ſtet: ac forma le dicatur: id quodã pacto ſeparabile exiſtet: ſin aũt quod ſubiectũ reſpicit, inſeparabile.

VIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

PVNCTVM autem, & omnis diuiſio, & quod ita indiuiſibile, indicatur, ut priuatio. & eadem ratio in aliis. Exempli gratia. quonam pacto malum cognoſcit: aut nigrum.

nigrum. Contrario enim quodam modo cognoſcit.

EXPOSITIO.

Poſt intellectionem de iis, quæ actu ſolum indiuiſibilia ſunt: confeſtim & eam philoſophus tradit, quæ ad ea ſpectat, quæ omnino quidem indiuiſibilia ſunt: ſed indiuiſibile illud obtinent, quia ab iis, quæ diuiſibilia ſunt, decidunt. Superficies enim, & linea, & punctum, & ipſum nunc, propriam quandam habent formam. Ob idq; haud omnino in priuatione collocari queunt. Sed quatenus indiuiſibilia id obtinent, quod priuatum ſit. Quēadmodum enim ſuperficies, quo ad longitudinem, atq; latitudinem ſpectat, id quod forma affectum ſit, conſecuta eſt: quo vero ad profunditatem, quod cum priuatione exiſtit: ita & aliæ omnes diuiſiones: quatenus à diuiſibili deſeruntur: cuius extrema ſunt: ea ratione in priuatione exiſtunt. Rurſum itaq;, qui ordinem cuſtodiendo extrema intelligit: ea quoq; cognoſcet, tanquam ea quæ proprie ſubiectis priuata ſint. Quod propter cōtemplationem illam, quæ ordinem ſeruat, ex formæ priuatione accidit. Nam qui formam intelligit: & quod ea priuatum fuerit intellectione aſſequetur. Quippe cum id, quod aptum eſt, vt ei priuatio adſit: illius formæ particeps ſit, eius inquam, quæ gigni valeat. Quoniam perpetuo bono nullum adeſt malum. Neq; alii vlli ex ppetuis formis priuatio ineſt vlla. Quodam itaq; modo priuationes, tāquam priuationes cognoſcimus. Exempli gratia, tenebras, quia lucem non intueamur. Et malum, quia bonum in eo non videamus. At ex boni intellectione, notione'ue, & luminis, tum malum, tum tenebras cognoſcimus. Quēadmodum & ex regulæ rectitudine obliquum. Nam nigrum, atq; album ita nunc Ariſtoteles accepit: vt alterę pro lumine, alterum pro tenebris poſuiſſe videatur. Nam & ipſum nigrum forma eſt. Quantum vero ad dictionem ipſam ſpectat, adnotandum eſt: qd haud ſimpliciter pūctum per priuationem intelligi vult. Neq; enim diuiſionem ſubire credit: ſed tanquam id ſtatuit: qd à dimenſione, atq; interuallo, cuius finis eſt, deſeratur: ex quo & priuationem quoq; paſſum eſt. Punctum enim, inquit, & qd ita indiuiſibile, vt ipſum nunc, & omnis diuiſio, ea ratione eſt diuiſio: quatenus à ppria dimenſione deſeritur: indicaturq;, tanquam, quæ omnino exiſtit diuiſio, vt ipſum malū. Licet enim malum omnino tanquam malum ſignificationi ipſius boni aduerſetur: attamen quatenus malum in abſentia boni ſuum habet eſſe. Quemadmodum id, quod non eſt: inquantum nouit natura, id, quod non eſt: ſed haud id, quod nullo pacto eſt. Nam id quod non eſt, quatenus nō eſt, in abſentia eius, qd eſt, collocatum eſt. Licet alicui quod ſit, nitatur: atq; in hoc ſubſiſtat.

OPVS AVTEM eſt, poteſtate eſſe ipſum cognoſcens: & unum eſſe in ipſo.

Dictum id videtur mihi rurſum manifeſte demonſtrare, quod ſecunda hæc eſt diuiſionum iſtarę intellectio: & longo interuallo deſeritur à contemplatione ſubſtantiarum. Ea nanq; propè actum purę permanet: hæc autem cum eo, quod poteſtate eſt, connexa eſt. Nanq; hæc eius formæ exiſtit: cum qua & priuatio ſubſiſtit. Qñ formam tanquam priuatiue agentem cognoſcimus. Id autem eſt, qñ intelligimus formam illam, quæ ab iis, quæ forma affecta ſunt, abeſſe poteſt. Qd in intellectione illa, quæ iuncta cum eo eſt, qd poteſtate exiſtit, fit. Neq; enim pfecto, neq; puro exiſtit actu: ſed imperfecto. Neq; ad id ſolum ſe appellit, qd actu tantum ſit: ſed & ad id, qd poſſit, quodq; priuatione affectum reperiat. Idq; cum cognitione illa, quæ ordinem cum eo ſeruat. Rurſumq; id ſignificandum philoſophus putauit. Ne aliquis præſtantiorem illam, quàm res ſint, cognitionem proponens, atq; in medium adducēs: & quæ ſeiuncta eſt: & quæ haud ordinem ſeruando, ſed præſtātiori quadam ratione, ipſas cognoſcit, dubitaret. Ea náq; huiuſmodi, cuiuſmodi ipſum cognoſcens eſt. Neq; ita, vt ea quæ cognoſcuntur, conſequatur: attamen præſtantiori modo ipſa nouit, quàm illa ſint. Opus itaque eſt, inquit Ariſtoteles, poteſtate eſſe, ipſum intelligens, hæc. Id autem eſt, imperfectius eſſe, quàm quod forma intelligit, atq; cum eo, quod poteſtate ſit, connexum eſſe debet. In ipſoq; intelligente, quod poteſtate ineſſe debet. Id auem addidit: quo non ſolum poteſtate ipſum intelligens eſſe, cognoſcamus: qualem eum intellectum docebat, qui extra progrederetur: atque adhuc imperfectus

exiſteret. Neq; enim ita poteſtate ipſum intelligens nũc dictum fuit: vt neq; intelligens ſit. Sed tanq̃ intelligens eſſe ducamus, & ſecundum actum intelligens. Licet iunctum ſit, cum eo, qd̃ poteſtate: id aũt eſt, cum eo, qd̃ imperfectum, & cum propria, atq; ſua priuatione. Quemadmodum enim ipſum intueri imbecilliter, nequaquam eſt omnino non intueri: ſed intueri vna cum ſuiipſius priuatione: ita & ipſum intelligere, cum implicatum ſit cum ipſo non intelligere quodam pacto. Id autem euenit, cum quiſpiam formam, atq; eius priuationem ſimul ordinem ſeruando cognoſcat. Non ſolum enim intelligit: ſed etiam non intelligit. Nanq; priuatio, nunquam ex ſeipſa intelligitur. Quandoquidem neq; ex ſe vnquam eſt. Propter hanc q; cauſam, huiuſmodi intellectio imperfecta quodam pacto eſt: & vna cum propria, atq; conuenienti poteſtate, ſeu cum priuatione coliigata.

SIN AVTEM alicui non eſt contrarium ex cauſis, ipſum ſeipſum cognoſcit, & actu eſt, & ſeparabile.

Quemadmodum paulo ante, cum eam philoſophus cognitionem traderet, quæ ad indiuiſibilia illa ſpectat, quæ in diuiſibilibus collocata ſunt: cõfeſtim diſtinxit intellectionem eorũ, quæ pure impartibilia exiſtunt: tanquam eam, quæ animæ indiuiſibili fiat: ac ſupra omne tempus exiſtat. Quandoquidem præcipua eius contemplatio erat de intellectione formarũ: & ex declaratione huius ea omnia accipiebat, quæ alia quacunq; ratione indiuiſibilia exiſtunt. Quippe cum ex hac comparatione, manifeſtius puram formarũ intellectionem conſequuturi ſimus. Eodem ita q; modo & nunc cum diuiſionum intellectionem tradiderit: diſtinguit rurſum formarũ intellectionem, quaſi reſpectu illius actus, qui cum poteſtate ſit: & qui eundem quaſi ſeruet ordinem cum priuantibus naturis, atq; ortui obnoxiis. Quæ quidem formarũ intellectio propter hanc cauſam aliquid etiam habeat, quod oppoſitum ſit illi quod poteſtate exiſtit: quod ibi reperitur. Ita, vt ſeparabilis, atque purus iſta formarũ intellectio actus ſit: & qui abſq; vllo oppoſito eluceſcat. Licet ita ſuiipſius exiſtat: vt aliud quoq; reſpiciat. Quæ quidem omnia diuinius, atq; præſtantius illi inſunt intellectui, cuius nihil reperitur particeps. Ideoq; & ſecundo loco ei inſunt, cuius anima particeps eſt. Inſunt præterea, & primæ illi animæ ſubſtantiæ: tametſi remiſſe: quod propter complexum cum reuolutione ſit. De quo nunc etiam Ariſtoteles verba facit: quemadmodum pluribus ex præcedenti ſermone declaratum à nobis eſt. Ita, vt ſimul intellectus, atq; ſcientia ſit: quod ipſemet philoſophus iam determinauit. Qui nãq; præſtantior animata ipſa ſubſtantia exiſtit, intellectus quidem eſt: anima vero nequaquam. Vnde de animata ſubſtantia, atq; intellectu illo, qui prope illam ſtat, nunc Ariſtotelem verba facere, fatendum eſt. De hoc q; etiam determinatur, qd̃ ſine oppoſito ſit. Nam immortalis etiam eſt. Qd̃ nanq; immortalis ſit, manifeſte dictum fuit: quando dicebatur, Et eſt id ſolum animæ immortale. In iis nanq;, quæ ortui obnoxia ſunt, contrarietas, atq; priuatio adeſt. Et quod in cauſa ſit. Ipſe nanq; efficiens erat. Quemadmodum patiens ille eſt, intellectus: qui extra progreditur. Nãq; animæ ipſius, vel antea, quoddam efficiens, quoddam q; patiens philoſophus eſſe dicebat. Atq; ipſum quidem efficiens, principium, & cauſam ſtatuebat. Ipſum vero patiens materiam iudicabat. Subſtantia ita q; eſt, & ipſa ſuprema animæ ſubſtantia. At ſua ex ſubſtantia erat actus. Licet ſecundo loco, vt dictum fuit: ſubſtantialis animæ intellectus huiuſmodi ſit, Ideoq; nunc ipſum ſeipſum cognoſcere Ariſtoteles concludit. Ipſe nanque & formas ſecundo loco cognoſcit: quod propter innatam illam permanentiam cum intellectu illo, qui ſupra animam exiſtit, euenit. Neq; enim cum diuerſitate, quemadmodum natura, & corpora: ſed innate illum attingit. Eſt præterea & actus, tanquam is, qui nullo modo cum poteſtate connexus. Sine materia q; inſuper exiſtit: vbi ſeiunctus fuerit à ſecũdis iſtis vitis, quæ prominent, appellunt, atq; extrinſecus vergunt. Vnde cum Ariſtoteles ipſe, actum huiuſmodi eſſe dixerit intellectum, addidit & ſeparabilis. Tũc enim actus, atq; immixtus, & ea omnia vera ſunt, quæ de eo nunc determinata fuere: cum ſeparatus fuerit. Neq; enim ſeparabile illud ita interpretandum eſt: vt id quod ſemper ſeparatum ſit, intelligamus. Sed tanquam aliquando. Separatus nanq;, inquit, eſt, quod vere eſt.

VIGESIMASEXTA PARTICVLA.

EST AVTEM dictio, quidem, aliquid de aliquo, quemadmodum affirmatio: Et uera, aut falſa omnis. Intellectus autem non omnis. Sed qui ipſius quid eſt, iuxta ipſum quid erat eſſe, uerus: & non aliquid de aliquo.

EXPOSITIO.

Quia dixit, atq; determinauit philoſophus noſter de ſumma, atq; maxime excelſa animata ſubſtantia, & de eo intellectu, qui prope ipſam reperitur, quæcunq; primo de intellectu illo, qui ſupra animã exiſtit, decernimus: vult rurſum, ut & antea diximus, diſcrimen demonſtrare, ac manifeſte nobis tradere, diſcrimen inquam ſubſtantialis illius noſtri intellectus, reſpectu illius ſuperioris. Qd̃ præſtat additione diuiſionis rationem participãtis. Hanc q; ob cauſam p. æpe eadem utitur dictione: ſubſtantiã q; atq; actionem ſubſtantialis noſtri intellectus tradidit. Quo unà cum affinitate, quam cum præſtãtioribus illis retinet: & diſcrimen quoq; uideamus: & undiq; in animæ medietatem mentis aciem dirigamus. Quoniam autem tum non ſine magna difficultate medietates cõprehenduntur: tum uocabulo⁊ interdum propriorum inopia, obſcuriores remanent: ex ambobus extremis, partim in quã, ex iis, quæ ipſas antecedunt: partim ex iis, quæ ipſas ſubſequuntur, ab antiquioribus illis hominibus illuſtrari, atq; explanari ſolent. Hacq; ratione à Platone ex partibili, atq; impartibili animæ ſubſtantiam conſtare dictum fuit. Licet haud ex cõparatione, ut ille dixit, ſed ex admixtione. Cõmiſcebatur enim, inquit, ex ambobus. Quod ob id dixit, quo enunciaret, animatam ſubſtãtiam totam per ſeipſam totam ptranſire: & in eam quoq; ſubſtantiam inclinare, quæ circa corpora diuiſa ſit. Neq; ita unquam ea interpretanda ſunt, ut altera ex parte ipſam impartibilem: ex altera uero in id, quod partibile ſit, uergere, exiſtimemus. Nam tota per ſeipſam totam utrũq; illud obtinet: neutrum q; pure aſſecuta eſt. Atq; adeo neq; eo⁊ utrũlibet pmixtum eſt: ſed ſimplex quoddam, atq; ꝑprium, ipſum eſſe animæ eſt: qd̃ medium inter impartibilem ſubſtãtiam, atq; eam, quæ circa corpora diuiſa ſit, exiſtit: & af finitatem cũ utroq; extremo⁊ pp medietatem iſtam ſeruat, retinetq;. Vt flauus, exẽpli grat'a color, ſimplex re uera exiſtens: non aũt ex albi, & nigri pmiſtione: qui extremi ſunt colores, a' natura conſtitutus: ſed ꝑprius, atq; ſimplex, ut iam dictũ fuit, exiſtens: attñ ex ambobus extremis conſtare dicitur. Qd̃ propter omnium medio⁊ cũ extremis, affinitatem eis datur. Cæte⁊ qñ, ut dictum fuit, neq; ꝑpriis omnino nominibus extrema appellata fuere: neq; huiuſmodi ſunt, ut noſtris intellectionibus facile ꝑcipi, atq; apprehẽdi queant: comprobandi præſtãtiſſimi illi philoſophi ſunt: qui ex extremis media ipſa uenari conati ſunt. Hacq; ſanè ratione & Ariſtoteles, ex intellectu, & ſcientia, quæ actio rationis cõpos non ſine habitu, atq; appulſu exiſtit: animæ ſubſtantiam, atq; ſubſtãtialem eius actionem inuenire nititur. Quippe cũ intellectus ſimul, atq; ſcientia ſit. Nam quæ tota per ſeipſam totam abit, neq; intellectus eſt: qualis ſupior ille animæ intellectus: neq; ſciẽtia, qualis cognitio, quæ ſcd̃m habitum, & appulſum ex cauſis exiſtit. Quẽadmodum enim & ipſe quoq; manifeſte indicat: ſcientia eſt anima, aut animata cognitio: quæ unà cum re eadem eſt. Nã ex eo, qd̃ idem cũ re exiſtit, intelligentem animæ uim, atq; ipſius cognitionis quoq; manifeſtabit. Ex ipſa uero ſcientia: qd̃ rõnis formam refert indicabit: & qd̃ cõuolutum eſt: quod q; in ipſam ſubſtãtiæ diuerſitatem ſubingredi. Propter hãc q; cauſam mihi ita particulam hanc philoſophus uideꝫ exorſus, ut dixerit: Dictionem ſubſtãtialem animæ cognitionem. Et addiderit illud, aliquid de aliquo: haud quẽadmodũ ab interpretibus dictũ fuit, ab Alexãdro, inquam, atq; Plutarcho Neſtorii filio: qui dictionẽ pro negatione acceptã voluere: aut ꝑ diſpoſita quadam oratione. Ho⁊ nã q; utrũq; compoſitio eſt. Vbiq; aũt Ariſtoteles & ante hũc Plato, de ſimplicibus intellectionibus, atq; dictionibus, dictionis uocabulo vtunt. Vel hoc itaq; loco ſimplicem intellectionem Ariſtoteles indicat. Ex additione autem illa, cum aliquid de aliquo, dixit: iunctionem, atq; complexum ſubſtantialis animatæ actionis, cum eo, quod conuolutum eſt, manifeſtauit. Huiuſmodi nanq; eſt, ut ſimplex, atque intelligens ſit. Dimittit autem ſimplicitatem illam ex complexu cum ratione. Nam haud tũm quidem intelligens eſt: tum uero rationis compos: ſed tota perſeipſam totam

Qua ratione media cõſtẽt: ac nõ conſtẽt ex extremis: & vtrũq; participent, aut potius experti a ſint. vt Cice. dixit.

Scientia qd̃

vtrunq; obtinet, atq; adeo neutrum pure habet, Sed media quædam ſimplex forma inter ambo illa exiſtit. Ideoq; ex vtriſq; illis conflata eſt: quippeq; vtriuſq; ꝓpter medietatem participeps reperiatur. Hancq; ob cauſam intulit, quemadmodum affirmatio, Quoniam dictio ſimplex id totum erat: aliquid de aliquo. Quo ex extremis medium indicet. Affirmatio vero quæ ex ſe oratio quædam eſt: in ipſo aliquid de aliquo ſuum habet eſſe. Quemadmodum igitur, ſiquis diceret, flauum diſgregare viſum: vt & album facit: quandoquidem proprie album diſgregat. Flauum vero ꝓpter affinitatem, quam cum albo obtinet, ſignificationem quandam præ ſe fert, quæ ipſum diſgregare poſſe indicat. Nam ex ſe haud eam habet vim, vt diſgregare queat. Ita ſane, & ſubſtãtialis quidem animæ actio: haud eſt aliqd de aliquo. Dictio nãq; dicta fuit. Propter affinitatem autem, atq; inclinationem, quam erga rõnem habet, huiuſmodi qd indicat, vt alterꝫ de altero dicatur. Atq; id ſignificat illud, quẽadmodum affirmatio. Ipſa nãq; ex ſe, vt dictum fuit, in iunctione alterius cum altero cõſtituta eſt. Recteq; ſeſe res habet, qd̃ nuſquam in his negationem aſſumpſerit: ſed ipſam affirmationem ſolum. Qñquidem, vt inquit Parmenides, in iis, quæ intelligibilia ſunt, nullibi qd̃ non eſt, contemplari debemus. Hac eadem itaq; ratione, & ſuprema animæ ſubſtantia, & actio illa, quæ ꝓpẽ ſubſtantiam pmanet: cum ſeipſa referta ſit: ei qd̃ non eſt, ſedem non concedit. Tametſi enim Plato in Sophiſta, vel in intelligibilibus celebret, qd̃ non eſt. attamen haud id intelligit, qd̃ cum euerſione, quodq; omnino cum negatione exiſtit. Sed potius illud, qd̃ cum actu, atq; proprietate, vel ipſa ſubſtantia præſtantiore. Cuiuſmodi illud eſt, qd̃ ſupra ſubſtantiam eſt. Aut qd̃ cum diuerſitate: at haud partibili: ſed quæ formam referat. Proprietas autem quædam præcipua, & ipſa diuerſitas eſt, quæ ei, qd̃ idem ſit, opponitur. Cum qua conuenit, & ꝓprietas eius, qd̃ non eſt. Licet haud eadem cum diuerſitate ſit. Quemadmodum iis quoq; videtur, qui exactius dialogum illum nomine Sophiſtam, interpretantur. Aut & eam quoq; accipit actionem, quæ cauſam afferendo eam obtinet facultatem, vt quæ aliqua ex parte ab eo, qd̃ eſt, abſunt, conſtituat. Nam vbiq; locorum non affectio, ſed ꝓprietas, & actio, & pfectio, qd̃ non eſt, in intelligibilibus à Platone eſſe, effertur: atq; celebratur. Illud autem, qd̃ non eſt, qd̃ ad excidium eius, qd̃ eſt, defertur: ex eorꝫ numero exceptum eſt, quæ vere ſunt. Quibuſcum etiam illa animæ præſtantia, atq; excellentia inſite iuncta eſt. Quæ ſecundo loco & ipſa ſuiipſius plena redditur. Nam vbi in ſeipſam conuerſa fuerit: atq; ſeiuncta ab iis appulſibus, quæ extra tendunt extiterit: & conjuncta pure cum ſuperioribus illis erit: tũc id vere aſſequetur. Quamuis igitur affinitatem aliquam cum ratione conuoluta habeat: in id qd̃ affirmandi vim habet, potius tẽdit, quam in id, qd̃ habet vim negãdi. Illud autem, vera, aut falſa omnis, de affirmatione dictum fuit: non autem de dictione. Infert enim Ariſtoteles. Intellectus aũt non omnis: & loco dictionis intellectum accepit: non omnis inquam verus, aut falſus. Ille nanq; qui extra ꝓgreditur: & qui poteſtate, atq; paſſibilis intellectus ab eo dictus fuit: aliqñ quidem verus, aliqñ autem falſus. Subſtantialis aũt ille, nunquam verus, aut falſus: ſed verus tm̃. Is nanq; ille eſt, qui qui eam habet vim, vt ipſum qd eſt, iuxta ipſum qd erat eſſe, comprehendere valeat. Id aũt eſt: qui rerꝫ ſubſtantiam percipit. Id nanq; indicat, qd̃ dicimus: eum illam vim obtinere, vt ipſum qd eſt, iuxta ipſum qd erat eſſe, cõtemplet. Qd̃ ipſam formam ſignificat. Ita, vt ratio ſermo'ue omnis huiuſmodi ſit. Intellectus, qui ſubſtantiarꝫ percipiendarꝫ vim habet ſm formas, falſum recipere non valet. Perſpicuum autem eſt, qd̃ ipſum quidem quid eſt, ſubſtantiam apud Ariſtotelem indicare conſueuit. Ipſum autem quid erat eſſe, formam. Quã doquidem differẽtiam Ariſtoteles ponit, inter materiales ipſius rei formas. atq; inter ipſius rei eſſe. Nam alterꝫ quidem eius quod cum materia ſit, ſubſtantiam ſignificat: ipſum vero eſſe formam indicat. In iis vero, quæ ſine materia ſunt, in idem hæc ambo deueniunt. Iandudum autem à nobis cauſa expoſita fuit, propter quam intellectus ille, qui impartibilium ſubſtantiarum, & materia carentium, atq; vt vno verbo exponam, formarum ordine ſeruato cognoſcendarꝫ vim habet, ſemper cum cognoſcat, verus ſit. Neq; enim illud habet, vt rẽ aliqua qdem ex parte tangat: aliqua aũt ex parte nõ tangat: ita, vt aut mentiat, aut verꝫ dicat, iuxta veritatẽ illã, quæ falſitati oppoſita eſt. Nãq; falſitas, & veritas, quæ ei oppoſita eſt, in cõplexione, atq; diuiſione collocata eſt. Cõplexio aũt & diuiſio in rebus quadam rõne partibilibus.

Negationẽ in intelligibilib. locuꝫ aſſequi non debere.

Reſpõdet tractæ obiectioni

Ipſum qd eſt, qd apud Ariſto. ſignificet. Quid erat eſſe quid.

tibilibus, atq; compositis constituta est. Formæ vero simplices, atq; impartibiles sunt. Atq; omnino falsitas in eo posita est, qđ est, aliqua quidem ex parte rem tangere: ita, vt aliquid de ea dicat: aliqua autem ex parte non. Quo & id ipsum mentiatur. Qđ autem impartibile est, non concedit tactum illum ex aliqua parte: quia impartibile est. Sed totum: si totum de iis quæ impartibilia sunt, dicere par, atq; conueniens est: cognoscitur, aut nullo pacto. Atq; id illud erat, quod, vt iam meminimus, Plotinus dicebat. Quod intellectus aut tetigit, aut non tetigit. Quare sine peccato existit. Cum itaq; Aristoteles dixerit de affirmatione, quod, & aliquid de aliquo: & aut vera, aut falsa: opponit intellectum, tãquam eum, qui neutrum habeat: neq; verum, & falsum, sed verum solum: neq; aliquid de aliquo. Atq; ex his oppositis eius rursum medietatem indicat. Nam cum antea philosophus dixerit, dictionem esse aliquid de aliquo, quemadmodum affirmationem: ne confestim complexum intelligeremus in ipsa dictione: demonstrabat & ex ipso dictionis vocabulo, qđ simplex manifestat. Præterea vero manifestius remouet ab intellectu negans illud aliquid de aliquo intelligere. Quia, vt dictum fuit, ex oppositis media significat. Falsitas, vbi posita.

SED quemadmodum intueri quod proprium uerum. Si autem homo, ipsum album, aut non, non uerum semper. Ita sese habent, quæcunq; sine materia.

Perspicua Aristoteles similitudine vtitur, propter inspectionem intelligibilium, quæ simplicia sunt: propriorum scilicet visilium visione: neque alio quopiam vtitur sensu. Nam licet omnes propriorum sensilium sensus veri sint: atq; simplicium cognitiones existant: attamen visus ppter affinitatem quam cum lumine habet: & quia ea, quæ longissime absunt, comprehendere valet: & propter collectam illam cognitionem: & quia in primis, quatenus sensus assequi possunt: qđ impassibile sit, atq; agendi vim habeat, obtinet: maxime aptus visus fuit, quo cum intellectu cõpararetur. Ipse itaq; verus est. Nisi enim interuallum, aut aliqua alia affectio impedimento fuerit, semper propriorum sensilium sensus verus est. Exempli gratia, quod album, aut flauum sit, quod apparet. Vtrum vero Cleonis filius, qui albus est, existat: cum haud amplius id simplex sit, neq; proprium visus sensile: haud etiam omnino verè est. Hoc itaq; modo sese habent, & quæ sine materia Aristoteles inquit, quemadmodum propria, sensilia, quæ simplicia sunt. Nam ex simplicitate sola similia efficiuntur. Quandoquidem illa substantiæ sunt perfectæ. Immo vero perfectiones, & actiones puræ, & termini omnino impartibiles. Simpliciaq; existunt, haud eodem pacto, quo propria sensilia. Propria nanque sensilia simplicia sunt, quia in angustias redacta. Illa vero cum simplicitate quadam repiuntur: quæ omnium comprehendendoq; vim habẽt. At iuxta id tm̃ qđ simplex intelligatur: quèadmodum qđ ab vno originem habet, atq; ad vnum refertur: hacq; ratione propinquitatem quandam retineat, comparatio hæc facta fuit.

VIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

IDEM autem est, quæ secundum actum scientia cum re. Quæ uero secundum potestatem, tempore prior in uno. Omnino autem neq; tempore, sunt ex eo quod actu est, omnia quæ fiunt.

EXPOSITIO.

Iisdem ferè verbis & antea sententia hæc ab Aristotele pronunciata, atq; literarum monumentis commendata fuit: quæ nũc quoq;, tametsi haud frustra, effertur. Quandoquidem tunc substantiam, atq; esse substantialis animæ intellectus: qui tm̃ remissus ab eo, qui supra animam sit, indicabat: & est, qm̃ scientia de eo dicitur. Nam qđ simul sciendi vim habet, atq; intelligens est, cedit ei, qđ solum intelligens existit. Verè qm̃ iisdem vocabulis, & actionem, & substantiam significamus: tunc quidem vocabula illa interpretanda, statuebamus, vt de intellectu, atq; scientia, tãquam iis, quæ substantias indicare possent, intelligeremus: nunc autem tanquam de iis, quæ actiones significent, accipimus. Quo & nunc intelligentem animæ actionem, quæ conuenienter cum substantia remissa sit à superiori illa intelligente actione, ex cognitione illa, quæ simul scientiæ pariendæ vim habeat intelligentes, inde & substantiam quoque subingredientem confirmemus. Verum qualis nam ea est Interrogatio

Responsum. scientia, quæ in his de substantiali animata actione dicitur? Non quæ secundum habitum in nobis fit. Neq; quæ ex appulsu recedit à substantia, quæ ipsam dimittit: & quæ ex diuersitate cuiusdam, atq; cum quodam recessu ipsam tollit. Sed quæ, quia eadem, cum ea quoq; iuncta est. Censet enim Aristoteles ipsam eandem cum re esse: hoc est, cum substantia illa, quæ simul cognoscit, atq; cognoscitur. Quo rursum medietatem demonstret: ex eo, quòd cum eadem sit, quod intelligibile est, obtineat. intellectus nanq; ille proprie est, qui sua ex substantia actus est. Ex eo autem quòd omnino scientiam dicit: quod in reuolutionem rationum vergit, intelligit. Declaratum autem à nobis pluribus supius fuit: qua ratione, qd̄ secundum potestatem tempore prius in vno, atq; eodem est. At & nunc quoq; paucis in memoriam reducatur. Quoniam in iis, quæ ortui obnoxia sunt, aliquando sunt, id verum est. In quibus ab imperfecto ad perfectum progressus fit. Ex quorum numero & anima quodam pacto est: quæ propter coniunctionem illam, quam cum corpore hoc habet, tanquam ex eo, quod potestate contemplando ad agẽdum ad formas, accedit. Nam in iis, quæ omnino ortui obnoxia sunt, nunquam quod actu prius tempore, quàm quod potestate in vno, atq; eodem. Quandoquidem licet pater actu existat ante potestatem filii, qui fieri debet: attamen haud in vno hæc posita sunt. De anima verò haud ita intelligendum Aristoteles censet: sed & in vno, ante id quod potestate, quod actu esse vult. Tametsi enim non in communi hac vita, quæ cum corpore est: quod actu existit tempore prius illa potestate sit, quæ in anima est: attamen in anima ipsa, quæ vna est, prius erit. Cũ & ante corpus existat: & separabiliter aliquando vixerit: & in seipsam intelligendo conuersa sit. Tempore autem quod potestate prius esse, Aristoteles dixit: quia omnium concessu, alia prioris significata huc non accedũt, vt natura, cultu, atq; existimatione, seu dignitate. Antea quidem igitur satis superq; fuit, dicere, quòd non est simpliciter tempore prius quod potestate in anima. Sed aliquando quidem intelligit: aliquando autem non intelligit, vt ibi dixit. Nunc autem & necessitatis quoq; vim rationi admouet: vbi etiam rursum cum Platone in his conuenit. Nam id quodam in loco ille dicit, quod nũquam ad eam figuram anima perueniet: vt ea quæ sunt, non contempletur. Quem Aristoteles noster sequens, ex eo, quòd actu sit, ea omnia quæ fiunt, fieri censet. Ita, vt in iis, quæ quacunq; ratione ortui subiecta sunt: qd̄ actu existit tempore imperfectam potestatem præcedat. Ita, vt & ex seipso fiat. At diuersum quid in anima est, quod in vna, atq; eadem re, quod actu est, prius sit. Ob id enim, simpliciter quidem in aliis dictum fuit, quod potestate est, eò prius esse quòd actu sit in vno. In anima autem negatur. Cõtrarium'q; potius dicitur, quod actu est, prius esse & in ipsa vna anima. Quod ei datur, quo seipsam perficere possit, cum in id, quod imperfectum existat, delata fuerit, iam prius agens: & quia rationes obtineat: neq; opera multa egeat: vt in seipsam conuersa, atq; in suiipsius altitudinem recurrens, vel rursum eodem modo agat. Opus nanq; est, & aptam ad huiusmodi actionem esse: & quia persæpe iam egerit, aliquid habere quod facile deueniat ad id, vt & rursum agat: & vt assuescat ad modum hunc, qui cum conuersione fit. Quia persæpe, atq; adeo infinities conuersa est, cum immortalis existat.

VIGESIMA OCTAVA PARTICVLA.

VIDETVR autem ipsum quidem sensibile, ex eo, quòd potestate sentiendi uim habeat, actu efficiens. Neq; enim patitur, neq; alteratur. Ideo'q; alia species hæc motus. Motus nanq; imperfecti actus erat. Qui autem simpliciter actus, diuersus, qui perfecti.

EXPOSITIO.

Cùm sermonem de eo omni, vt opinor, intellectu, qui contemplandi vim habet, Aristoteles iam confecerit. Nam exordium quidem sumpsit ab eo, qui imperfectus est, qui'q; potestate solum adhuc existit: ad eum'q; sibi schalas fecit, qui extra etiam progreditur: sed perfectus ex habitu, atq; appulsu est: per hunc'q; ad substantialem illum intellectum peruenit: quem omnibus etiam modis perscrutatus est. Nam eius substantiam atq; actiones, & quod vim causæ habens obtinet, & quod separabile, atq; perpetuum considerans, & eius

affinitatem, atq; insinuationem ad ea, quæ superiora sunt, ex inclinatione ista, quæ ad ea, quæ inferiora, atq; secunda dicuntur, vergit, explicans: nihil'q; vt vno verbo rem complectar, earum contemplationum, quæ ad ipsum pertinent, prætermittens, ad eum inde intellectum accedit, qui in actione positus est: quem cogitationis etiam nomine appellat: & imaginatione vti vult: & circa bonum, atq; malum versari: quemadmodum & circa falsum, & verum, quod huic aduersum est. Neq; enim, quemadmodum supremus, atq; excelsissimus ille cõtemplandi vim habens, ad veritatem solam spectat. Vel progrediens nanq; ille, cùm adhuc imperfectior sit: & ipse tanquam contemplandi vim habens, in vero, & falso collocatus erat. Nondum autem bonum, aut malum illud assequi traditum fuit: quod in iis: quæ ad actiones spectant, reperitur. Omnis quidem enim cõtemplatio non tantùm eius existit, quod verum sit: sed & ipsum quoq; bonum omnino respicit. Tametsi bonum ipsum haud tanquam aliud aliquid præter veritatem psequitur: Nam veritatem potius ipsam, tanquam præstantissimum finem: cùm & boni quoq; compos sit, statuit. Illud'q; quod nos Aristoteles in tractatione illa, quæ post naturalia sequitur, docuit, afferre in medium possumus. Nam mathematicas scientias ibi docuit causa illa contineri, quæ finis dicitur. Quod ex ipsius cognitionis veritate, certa'q; notitia illis datum fuit. Intellectus nanque is, qui in actione consistit, haud in eo, quod est bonum cognoscent, suum posuit finem: sed in ipso facere, aut iuste agendo, aut temperanter viuendo, aut fortiter res tractando. De huiusmodi itaq; intellectu, cùm verba facturus Aristoteles sit: rursum ex sensu, tãquam nobis notiore, nos in eius contemplationem adducit. Quemadmodum etiam fecit, cùm de eo intellectu, qui contemplandi vim habet, loqui volebat. Nam ibi sic quodam modo incepit. Si est ipsum in telligere, quẽadmodum ipsum sentire, aut pati quoddam esset ab intelligibili, aut aliquid huiusmodi alterum. Nunc'q; sensu ipso tãquam imagine vtitur: haud quia simpliciter cognoscendi vim habeat: sed quia suaue, atq; molestum quicquid offertur, cõprehendere valeat. Quo similitudinem hanc accommodet cum intellectu illo, qui in actione positus est: qui non solum cognoscendi vim habet: sed & quod bonum, aut malum sit, inquirere valeat. Vbi etiam qua ratione illud dictum antea fuerit, quòd id quod sentiendi vim habet, ab ipso sensibili patiatur, exponit. Quoniam haud simpliciter iuxta imperfectum illum motum, qui ab eo in naturali auditione definitus fuit: qui eius, qd' potestate est, actus sit. Nam imperfectum illud est, qd' potestate est. Neq; enim iuxta eum motum mouetur quod sentiendi vim habet, ab ipso sensibili. Sed siquidem mouetur, sensorium tantùm ita mouetur. Ipsa verò vita, quæ sentiendi facultatem obtinet, quæ perfecta iam existit, sensile illud, qd' sibi occurrit, iudicat: propè perfectum actum pmanens. Intus nãq; iudicium ipsum adest: nihil'q; præterea aliunde accipit. Indiget autem sensili, tanquam præsente, atq; sensorium mouente. Neq; enim sensus, quemadmodum imaginatio, & ad id excitatur, qd' abest: sed in id solum cietur, quod præsens est, cùm ad actionem prodit. Hac'q; ratione dicitur, cùm antea potestate esset, actu ab ipso sensili fieri. Atq; ita, vt neq; quicquam ab eo patiatur. Neq; enim mouetur, inquit, ex motu illo impfecto. Verum quia antea non agebat: postea quoniam sensile ipsum adest: actionem iam collectam promit: eam'q; impartibilem, atq; omnem simul. Ideo'q; haud quemadmodum motus, & sensus quoq; in diuisione, & continuitate collocatus est: sed perfectæ iam potius rei existit: &, vt ipse inquit, quæ absoluta sit. In ipsis autem philosophi verbis, recte illud, videtur, seu apparet, adiectum fuit. Neq; enim re uera sensile in id, quod sentiendi vim habet, facit: sed videtur tantùm: quia in sensorium agit. Ideo'q; & ipse Aristoteles, causam reddens, ob quam, illud videtur, protulit: cõiunctione illa, enim, quæ ad causas reddendas accommodata est, vtitur. Neq; enim patitur, neq; alteratur, inquit. Sed videtur quidem ipsum sensile ex eo, quod potestate sit, illud actu efficere quod sentiendi vim habeat: haud tamen vere. Pateretur nanq; ab eo, quod sentiendi vim habet. Quod autem patitur, iuxta imperfectam quandam mutationem mouetur. Qd' verò sentiendi vim obtinet, dum agit, nequaquam mouetur: sed propè actionem simpliciter permanet. Motus enim, totum id, hoc est, actus imperfectus existit. Actus autem ille, qui simpliciter absq; vlla imperfectione dicitur: impartibilis est actio. Huiusmodi verò id iudicium existit, quod sentiendi vim habet: vt & antea dictum fuit. Motus autem nomen &

in hoc quoq; omnino conuenire videtur: tametsi, inquit philosophus noster, alia hæc sit motus species: quia aliquando ab ipso non agere, ad ipsum agere, in sensu mutatio fit. Dicimus nanq;, vt de hoc motum: haud tamen eum, qui pertranseundi vim habeat: sed collectum illum motum. Iuxta quem & indiuiduaꝝ, atq; particularium formarum præsentia, atq; absentia perfici traditum fuit. At affert præterea Aristoteles causam, ꝓpter quam, actionem hanc, quæ sentiendi vim habeat, nequaquam in vllo motu collocandam censet: de qua & nos quoq; iam mentionem fecimus. Motus nanq;, inquit, imperfecti actus est: eius enim, qđ potestate sit. Quæ verò simpliciter est actio: id aũt est: quæ ita actio est, vt vel sine illo imperfecto solum actio sit: diuersa ab imperfecto illo actu existit. Ac qua ratione diuersa sit, declarauit, cum addiderit philosophus, dictionem illã, ꝓfecti. Quandoquidem haud imperfectæ, sed ꝓfectæ rei existit. Hæc itaq; iccirco dicta sunt, quo exponantur, quæ antea dicta fuere. Quoniam pati quodam modo ipsum sentire existit: pati inquam, ita, vt ei qđ sentiendi vim habeat, secundum rei veritatem quadret, atq; conueniat. Nequaquam verò ita, vt re uera patiatur. Nam ꝓfectam quidem agit actionem: & aliquando, id est, quãdo sensile ipsum adfuerit. Ideoq; & à sensili pati videtur. Qđ autem deinceps sequitur, sensus similitudinem cum intellectu illo, qui in actione positus est, exponit.

IPSVM quidem igitur sentire, simile ipsi dicere solum, & intelligere.

Quod sanè diximus, & ipse quoq; Aristoteles innuit: qui qđ sentiendi uim habeat, ex ipsa sola cognitione simile effici inquit. Hæcq; ipsa similitudo erat: quæ eius actionis respectu tantum sumebatur: quæ rationis particeps sit, & intelligens, atq; cognoscendi uim habens. Illud quidem enim, affirmare, atq; negare eius est contemplationis, quæ rationis compos sit. Intelligere intelligibilis proprium.

QVANDO aũt suaue, aut molestũ, ut affirmans, aut negãs, ꝓsequitur, aut fugit.

VIGESIMANONA PARTICVLA.

ET EST ipsum lætari, agere, & dolere cum sentiendi uim habente medietate, erga bonum, aut malum, quatenus talia. Et fuga sane, & appetitio id, quæ scđm actum.

EXPOSITIO.

Ea nunc Aristoteles in medium adducit, ex quibus indicaturus est: quãdo quod sentiendi vim habeat, tanquam similitudo eius intellectus, qui in actione versetur, accipiatur. Nam quando haud simpliciter sensile ipsum diiudicat: sed & tanquam suaue, aut molestum, iudicium nanq; illud, qđ sentiendi vim habeat: qđ vtrauis ratione in ipso sensili collocatum sit: siue quod suaue, siue quod molestum est, persequatur, vt affirmationem dixit. Quemadmodum etiam negationem voluit, vtriuslibet eoꝝ recusationem. Nam num in complexu quodam pacto, & huiusmodi quoq; ipsius sensilis iudicium constitutum est: & tanq̃ eius, quod cognosci debet, & tanquam ꝓprium? Propter hancq; causam, vt affirmatio, dictum fuit. Illaq; particula, vt, adiecta fuit: quoniam ꝓprie, affirmatio, & negatio in conuolutione illa collocatæ sunt, quæ rationis compos existat. Quando igitur, tãquam suaue, aut molestum iudicat ipsum sensile, tunc insequitur, aut fugit. Quoniam sensus, quod suaue quidem est, tanquam bonum insequitur. Quod uerò molestum, atq; insuaue, tanquam malum, fugit. Ad eam autem diiudicationem, quæ rationis particeps est, qđ bonum sit ab ipso suaui distinguere persæpe, ꝓtinet. Quodq; malum ab eo, quod molestum. At insecutio, quasi dilectionem, atq; inquisitionem præ se fert. Fuga uerò auersionem, atq; recessum. Sensusq; cum lætitia, atq; uoluptate afficitur, propriam actionem, tanquam bonum quid nanciscitur. Cum uerò dolet, tanquam malum renuit. Hæcq; illa indicant uerba, cũ philo
» sophus inquit. Et est ipsum lætari, aut dolere, agere sentiendi uim habente medietate: erga
» bonum, aut, malũ, quatenus huiusmodi. Vbi medietas illa uim sentiendi habens, accepta fuit, tanquam ea, quæ utriusq; recipiendi uim habeat: suauis inquam, atq; molesti. Aut, ut ornatius dicam, ipsius lætitia, & dolore affici. Nam ea prædita est ui, ut utriusq; iudicandi facultatem obtineat. Quia enim sensorium corporato omnino utitur instrumento: ideo il-

las quoq;

las quoq; cognoſcit affectiones, quæ eius ſeruandi, aut corrumpendi vim habent. Et tanquam congruas, aut incongruas, has quidem amat: illas autem effugit. Illa autem particula, quatenus talia adiecta fuit ei, cum dixit, bona, aut mala: quoniam nunquam ſenſus, bonum tanquam bonum, aut malum, tanquam malum iudicat: aut alteꝛe quidem inſequitur: alteꝛe autem effugit. Sed quod ſuaue, tanquam bonum, & quod moleſtum, tanquam malum, inſequitur, atq; fugit. Quæ itaq; ſimilia ſunt bono, & malo, ſuaue, inquam, & moleſtum, illa particula talia, quæ adiecta fuit, indicat. Primo quidem igitur ſentire oportet: & actu fieri quod ſentiendi vim habeat. Secundo autem loco, lætitia, aut mœrore affectum eſſe. Iudicium nanq; affectionem illam, quæ cum voluptate, aut dolore fit, antecedit. Quoniam ſentire quidem abſq; voluptate, & dolore quilibet põt. Lætitia vero, aut dolore abſq; cognitione affici non poteſt. Hancq; ob cauſam prior natura haꝛe affectionum cognitio eſt. Tertio aũt loco appetere, aut effugere poſitum eſt. Id aũt eſt: inſequi qd̃ oblectabile ſit. aut omnibus viribus vitare qd̃ moleſtia afficiat. Id qd̃ nomen illud fugæ ſignificat, quẽadmodum & appetitio inſecutionem præ ſe fert. Nam cupiditas eſt: atq; ad id, qd̃ ſuaue ſit cõmouetur, atq; concitatur. Hæc itaq; actio eſt. Quia haud ſimpliciter in ipſo pati, quẽadmodum ipſum lætitia affici, collocata eſt: ſed & in ipſo inſequi. Inſecutio vero non affectio, ſed actio eſt. Fuga itaq;, & appetitio, tanq̃ actio. Nequaquam vero, quẽadmodum ipſum, voluptate, & mœrore affici. Hæc qdem enim tanq̃ affectiones, qd̃ quidem ſe inſequendum, aut effugiendum offert. Inſecutio vero eius, quod ſuaue habeatur, eſt. Et fuga, ab eo, qd̃ moleſtum, fit. Tanquam actioq;, ea quidem appetitio, illa vero fuga exiſtit.

ET HAVD diuerſum, quod appetendi, atq; effugiendi uim habet, neq; inter ſe neq; ab eo, quod ſentire ualeat, ſed ipſum eſſe aliud.

Quandoquidem cum eo, quod ſentiendi vim habeat, appetitionem, atq; euitationem cõiunxit, anteaquam traderet, qua ratione intellectũ illum, qui in actione poſitus eſt, ſimilem faceret, innuit: quemadmodum ſubiecto quidem, quod appetẽdi, & quod vitandi vim habet vnum, atq; idem exiſtunt. Amboq; hæc cum eo, qd̃ ſentiendi vim obtineat, cõueniunt. Vbi nanq; iudicium illud, quod ſentiendi facultatem obtineat, collocatum ſit: id autem in anima ea, quæ ſentire valeat, poſitum eſt: ibi & appetitio, atq; euitatio adſunt. Neq; in alio quidem ipſum iudicium, in alio aũt ipſum appetere, aut effugere, exiſtunt: ſed in eodem. Ratione vero, atq; vniuſcuiuſq; eoꝛe proprietate: id nãq; illud eſſe, indicat, multitudo, atq; varietas apparet. Nanq; ipſum euitare aliud præter ipſum inſequi exiſtit: & hoꝛe vtrunq; præter ipſum iudicare. Licet omnino ea quoq; non ſine iudicio fiant. Certa vero, atq; ſuffi ciẽs diuerſitatis nota eſt, quod & ſenſus, abſq; appetitione, atq; euitatione interdum fit. Interdumq; cum appetitione ſola, ſine euitatione: interdumq; e contrario. Poſtq; hæc cõtemplationes illas, quæ ad eum intellectum ſpectãt, qui in actione collocatus eſt, Ariſtoteles tradit. Similitudoq; iam antea ab eo, accepta fuit.

TRIGESIMA PARTICVLA.

DISCVRRENDI uim habenti animæ, uiſa, tanquam ſenſa inſunt. Quando uero bonum, aut malum, aſſeruerit, aut negauerit, fugit, aut inſequitur. Ideo nanq; intelligit ſine uiſo anima.

EXPOSITIO.

Diſcurrendi vim habere eam animam Ariſtoteles intelligit, quæ agit, & circa partibilia conuoluitur: quæ non ſolum agendo, ſed contemplãdo quoq; id efficit. Quæq; haud amplius formaꝛe ipſarum collecte comprehendendaꝛe vim habet: ſed circa rationes eas, quæ circa ipſas diuiſæ ſunt, conuoluitur, atq; percurrit: quia partibiliter propria, & iuxta vnumquodq; tractat: rurſumq; in vnum aliquod cõmune, & ea quoq; colligit, quæ proprie cognita fuerint. Exempli gratia, ipſum animal, deinde, qd̃ rationis compos, & poſtea ipſum mortale. Et hæc quoq; tria ſimul cognoſcit. Huiuſmodi itaq; actioni cognoſcendi vim habenti, quæ imaginatione percipi poſſunt, quæ viſa à noſtro philoſopho dicuntur: hæ autem ſunt, imagines illæ, quæ in vita illa innaſcuntur, quæ imaginatione vtitur ſubiicun- Viſa.

Sensa. tur: quemadmodum sensibilia sensui: sensa nãq; pro sensilibus ab eo accepta fuere: cum tamen non sint quæ imaginatione concipiuntur, quæ vere ea sunt, quæ intelligẽtia acquiruntur. Manifeste nanq; postea philosophus demonstrabit, quemadmodum visa hæc, ne quaquam cogitationis ipsius intellectiones sunt: licet non sine visis hæ existant. ob quam autem causam non sine, inuestigandũ est. Quandoquidem huiusmodi animæ actio, quæ partibiles rationes ambit, & circum eas conuoluitur, haud talis erat, qualis, quæ ipsaꝝ formarum existit. Sed per ipsam partitionem, iuxta extẽsionem actionum ad ea, quæ extra fit. Cui ex necessitate, quæ extra reperiuntur, adsunt. Quibus pſæpe quidem cogitatio vsa est. Cum & ipsoꝝ sensilium, & imaginum earum, quæ in ipsa imaginatione reperiuntur: aut propter solam cognitionem: aut & quo expleat appetitionem illaꝝ rerum, præterea indigeat. Interdum vero ipsa quidem non vtitur. Consequitur autem necessario extensionem illam eius, ad ea, quæ extrinsecus sunt, vt dictum fuit, actio quoq; eius, qd extra est, quæ simul mouetur. Ideoq; illud Aristoteles inquit, q; nunq̃ anima sine imagionatione intelligit: non aũt, qd vsa non sit, asserit. Patetq;, quẽadmodum ea nunc intelligit anima, quæ discurrendi vim habet. De qua etiam antea dictum fuit. Ac quia dixit, qd tanq̃ sensa, insunt visa, animæ isti, quæ pcurrendi vim habet: demonstrauit qd postea dicturus est, qd haud sunt intellectiones. Sed tanq̃ scdaria quædam substrata sunt: vt & ipsa sensilia sentiui. Hoc iuxta similitudinem illam sensus, quæ antea sumpta fuit, fit. Nanq; ibi præcedebat, qd iudicandi vim haberet, ante ipsum lætitia, aut mœrore affici. Hicq; cogitationis iudicium, tanq̃ eius, qd simpliciter cognosci debet, præcedet: anteaquam id, vt bonum, aut malum percipiatur. Quam quidem pceptionem, haud amplius, tanquam: sed simpliciter affirmationem, & negationem vocat. Qm̃ cogitatio coniungens ipsum bonum, aut malum, cum eo, qd cognosci debet, affirmationem molitur. Vtrũquelibet ab eo seiungens, negationem facit. Eodéq; præterea modo in sensu, in tertio illo ordine, actio ea sequitur, quæ insequendi, aut euitandi vim habet. Insequens, inquam, bonum: effugiens autem malum. Vitæ nanq; illi, quæ sentiendi vim habet, ipsum suaue, atq; molestum, insequendum, atq; euitandum sese offert. Alterum quidem tanquam bonum: alterum vero tãquam exitiale. Ei vero vitæ, quæ rationis compos, bonum præcipue, tanq̃ finis occurrit. Malum vero effugiendum. Tamet si suaue quippiam ipsum malum habeat: aut molestum qd bonum existit. Quod aũt nequaquam de ea cognitione nunc Aristoteles verba faciat, quæ contemplandi vim habet: quippe quæ nunquam sine imaginatione sit, quemadmodum peripatetici quidam interpretantur: indicant & ea quæ antea dicta fuere. In quibus summam, atq; supremam illam ex illis cognitionibus, quæ contemplandi vim haberent, separari dicebat: atq; id solum esse, qd vere sit: eandéq; cum re existere: neq; cum diuersitate quadam cum ea iungi. Suaq; ex substantia actionem esse: & impassibilem, atq; immixtam permanere. Indicant præterea & ea, quæ nunc dicuntur. Nam alteꝝ quidem ea dicta fuit anima, quæ discurrendi vim habeat: non aũt intellectus, aut contemplatio. Alteꝝ vero ipsa est eius cõuersio circa bonum, & malũ: quæ opposita sunt: quæq; in ortu, atq; generatione, & in extrema partitione substi stunt. Nam intellectus ille, qui contemplandi vim habet: qui haud ex habitu perfectus: aut quẽadmodum ipse sua ex substantia est: vna tm̃ forma habet ipsum bonum, qd opponitur vitio: quemadmodum & veꝝ illud obtinet, quod aduersatur falso. Non solum enim ex substantiali illo intellectus: sed & ex eo, qui secundum habitum scientiam acquirendo, perfectus est, falsum ipsum eiectum fuit. Eodéq; modo & malum. In intellectu aũt illo, qui in actione versatur, ex necessitate vel malum aliqñ reperitur: bonũq; qd huic aduersum est. Quod ꝓpter conuersionem illam circa generationem, ac circa ea, quæ partibilia sunt, accidit. Nam actiones in his collocatæ sunt. Licet enim appetitionem illam, quæ in nobis est, temperans existens, aut in iustam actionem excitans, perficiat: tamen circa particularem rem agit. Non autem quẽadmodum, qui contemplandi vim obtinet, circa id, quod semper eodem modo sese habeat.

TRIGESIMAPRIMA PARTICVLA.

QVEMADMODVM autem aer pupillam talem reddidit: ipsa uero alterum:

& auditus

& auditus eodem modo. Extremum autem unum, & una medietas. Ipsum uero esse ei plura.

EXPOSITIO.

Meta eorũ, quæ proposita sunt, eadem quoq; est. Ex sensu, inquam, tanquam nobis notiore, nos ad vnam quandam animæ intellectionem excitare: quæ cõmuni quadam ratione, quæ quocũq; pacto intelligibilia sunt, diiudicet. Quẽadmodum enim quilibet ex quinque sensibus propria sensilia, quæ plura, & diuersa sunt, cognoscit: & mutuam quoq; eorum similitudinem, atq; diuersitatem, vna, atq; eadem facultate, licet iuxta diuersas rationes, diiudicat, atq; determinat. Visus quidem album, & nigrum, medioq; horum colores. Gustus autem dulce, & amarũ, medioq; horũ sapores. Et vnusquisq; eodem modo ꝓpria sensilia percipit. Ita, & qui cõmunis dicitur sensus, omnia, quæ simpliciter sensilia, mutuáq; eorũ similitudinem, ac diuersitatem, in eo qd̃ cognoscendi vim habeat, impartibili existẽte, atq; indiuisibili tempore cognoscit. Quoniam simile est, atq; si id, ego quidem, illud autem tu sentires, vt in tertii libri principio dictũ fuit. Hincq; sanè Aristoteles censet, ad vnam quãpiam animæ intellectionem nos adducẽdos esse. Quæ & ipsa eam habet vim, vt ea omnia, quæ in actione posita sunt, colligat, atq; cognoscat. Neq; contraria solum, vt bonum, atq; malum: qd̃ in rebus ad venerem, aut gulam pertinentibus positũ sit. Sed & id quoq; qd̃ ad possidendum spectat: & id qd̃ in rebus horrẽdis, atq; fidentiæ plenis, reperitur. Aliaq; præterea omnia eodem modo percipit. Náq; ipsum intelligens dicet, atq; adeo dicit: quemadmodum ego temperanter viuo, & iuste, & fortiter, & liberaliter. Discrimenq; eorũ, de qbus loquitur, nouit: mutuáq; eorũ cognationem: qppe cum in impartibili, atq; indiuisibili eorũ intellectionem pagat. At erit & præterea quoddam adhuc cõius intelligens in anima: qd̃ simul intellectiones eas, quæ actioni subiectæ sunt, & eas, quæ contẽplationi, contrahit. Qd̃ diuersitatem, atq; affinitatem mutuam, eorũ quæ in actione, & quæ in contẽplatione posita, videbit. Qd̃ rursum vnũ existit, atq; idem impartibile, & eã habet vim, vt multitudinem, & impartibiliter cõplectat. Vnumq; qdem est, iuxta ipsam intelligente vitam. Ratione aũt multiplex, qa iuxta diuersas rõnes, ad diuersa, quæ cognosci debeant, sese adiicit. Ad hmõi itaq; intellectiones, ad eam, inquam, quæ vna est communis, quæ eorũ omnium, quæ in actione posita sunt, comprehendendorũ vim habet: & ad eam, quæ maiorem adhuc comprehendendi vim, quam hæc habet: quæ ad ea omnia spectat, quæ a nobis simpliciter, intelliguntur: nos Aristoteles adduxit. Cõmuniq; sensu, tãquam similitudine quadam vtitur. Hæcq; istorum verborũ meta, atq; ꝓpositum existit. Verũ dum orditur noster philosophus, ita scribit. Quemadmodum autem aer pupillam talem reddidit: ipsa autem alterũ. Et videri posset ita incepisse, tanquam is, qui reddere debeat illi particulæ, quẽadmodum, aliam particulam, sic. Et ita exempli gratia dicat. Et id quod in actione positum, aut id intelligibile intellectionem. Haud tñ reddidit. Neq; tanquam is, qui redditurus esse, dixit illud, quemadmodum autem. Sed tanquam ad id, qd̃ iam notum sit, retulit. Quandoquidem enim iam intellectui illi, qui in actione versatur, sensum similem fecit. quippe qui eius, qd̃ suaue, aut molestum sit, habeat vim comprehendendi: vi illa, qua bonum, & malum diiudicare valet: Et modum subscribens addidit nunc, qua ratione sensus, qd̃ suaue, atq; molestum mutuo comparat. Hoc enim pacto, & cogitatio illa, quæ in actione versat̃, diuersa, atq; oppositа in actione posita videbit. Particulam itaq; illam, quẽadmodum, haud tãquam aliquid redditurus, Aristoteles ꝓtulit. Sed potius ad ea, quæ iam dicta fuerant, retulit. Habet autem similitudinem sensus, cũ cogitatione illa, quæ in actione posita, & ex alia adiectione, quam philosophus ipse subiungit. Neq; enim absq; vllo medio, extrema, & maxime particularia sensilia, aut in actione posita, ad id, qd̃ cõmuniter omnium comprehendendorũ vim habet, referuntur: sed per ꝓpria, atq; proxima quibuslibet instrumenta, & per vires eas, quæ cognoscendi vim habent. Ita enim aer, qui illuminatus est in pupillam aperte agit. Hæc aũt vim eam, quæ intuendi facultatem habet, in actionem euocat. Eaq; cõmunem sensum cõmouet. Sonusq; in eum spiritum agit, qui audiendi vim habet. Spirituſq; is eam mouet vim, quæ audire valet: quæ rursum cõmunem sensum excitat. Eodemq; modo & alii quinque

ſenſus ad eum, qui omnium communis eſt, referuntur iuxta coniunctionem vnam, quæ omneis complectitur. Qui tamen haud ita ſeſe habet, vt ex omnibus collectus ſit: ſed & ante illam multitudinem exiſtit: & cum omnibus ſimul agit: & cũ vnoquoq; ſpeciatim, atq; cõmuniter. Eademq; ratione & quæ in actione poſita, quemadmodum ipſa intelligibilia, ad intellectum illum referuntur: qui omnium communis exiſtens, eorũ cognoſcendorũ vim habet. Nam ipſa quidem ſenſilia, eo modo, quo in iis, quæ de imaginatione tradita fuerunt, ab Ariſtotele dictum fuit: imaginationem cõmouent: quæ vero imaginatione concepta ſunt, aduocant proprium, atq; conuenientem intellectum in actione verſantem, qui in quibuſcunq; diſpoſitus eſt, ad cogitationem, quæ de ipſis facienda eſt. Exempli gratia, viſum illud, quod ad cibaria ſpectat, rationem ad iudicium ꝓuocat, ſi oportet, & quando, & quantopere, & qua ratione nutriri: eam, inquam, rationem, quæ eam habet vim, vt hæc ꝓxime diiudicet. Quæ quidem ratio, & eum quoq; excitat intellectum, qui cõmuniter eorũ omnium, quæ in actione poſita ſunt, iudicandorũ vim habet. Ad quem, quemadmodum ratio illa, quæ ad cibaria pertinet: ita, & rationes aliorũ omnium appetendorum, aut effugiendorũ, reducuntur. Ita, vt vnum ſit, quod horum omnium ſimilitudinem, atq; diuerſitatem diiudicet: & alia quidem ꝓhibeat: aliis autem modum vna tantum ratione imponat. Idq; ante multas rationes exiſtit: haud tamen ex illis collectum eſt. Verum coniunctione quadam præſtantiore impartibiliter horũ multitudinem præoccupauit. In ſuis autem verbis, talem, inquit Ariſtoteles, fecit aer pupillam: quando ſcilicet diiudicabat: atq; vt vno verbo explicem, viuacem affectionem in ea excitabat. Dictum nanq; abũdantius à nobis fuit in ſermonibus illis, quos de ſenſibus habuimus: qd' haud ita ſenſorium noſtrum patitur: vt quæ ſine anima ſunt. Ita, exempli gratia, vt ab iis, quæ extrinſecus ſolum poſita ſunt, cale fiat: ſed non ſine aliquo, licet tenui iudicio, & non ſine ꝓpria actione patitur. Ideoq; haud paſſio ſimpliciter hæc erat: ſed totum id, hoc eſt, viua paſſio, ipſa vero alterũ. Quandoquidem paſſio illa, quæ ſentiendi vim habet, laceſſit, vt iam diximus, vitam illam ſentiẽdi vim habentem, quæ illi proxime ineſt, quemadmodum pupilla vim illam videre valentem: & auditus eam, quæ poteſt audire. Patetq; quod haud ad hæc vſq; ꝓgrediendo conſiſtunt. Ita nanq; vnum eſſet extremum. Sed cum & hæ vitæ quæ ſentiendi vim habent, ad cõmunem illum ſenſum accurrerint. Tunc enim vnum extremum ipſum exiſtit. Vnum qdem, quia & cõmunis ſenſus vnus eſt: qui & omnium quoq; ꝓpria iudicat. De omnibuſq; iis enunciat, tanquam ea omnia cognoſcens. Extremũ autem dicitur, haud tanquam remiſſum: ſed tanquam præſtantius quidem: ſed qd' iis, quæ deorſum aſcendunt, extremum adeſt. Id autem qd' vere vnum extremum, Ariſtoteles dixit: & vna quoq; medietas dicitur. Vna quidem, qa & illud quoq; vnum eſt. Medietas autem, quia tanquam centrum multorum ab eo ꝓgredientium: & quia eam habet vim, vt complectatur, quæ ad ipſum vergũt. Simulq; illam poſſidet facultatem, vt recipere, atq; diiudicare valeat. Medietas ita q;, quandoquidem & centrum medium eſt. Ac qm̃ medium extremorũ omnium particeps eſſe videtur. Quẽadmodum itaq; Ariſtoteles determinare conſueuit, unũ quidem, & una ſubiecto. Qm̃ una & ipſa impartibilis anima exiſtit: quæ cuncta cognoſcit. Nam ratione, & ipſo eſſe, ut ipſe dicere ſolitus eſt, multiplex exiſtit: cum iuxta diuerſas rationes, diuerſas cognoſcat ſenſilium ꝓprietates. Nequaquam aũt, ut dictum fuit, infert, & quod ita ſeſe habeant, quæ ad intellectum illũ ſpectant, qui in actione uerſatur. Quia, particula illa, quẽadmodum, nunc Ariſtoteles utitur, aut aliquid præterea ei redditurus ſit: ſed potius ita, ut ad aliquid, quod antea dictum fuit, retulerit.

QVONAM AVTEM diiudicat, qua differt dulce, & calidum, dictum quidem fuit, & antea: dicendum autem & nunc. Eſt enim unum aliquid. Ita autem, & ut terminus.

Cum dixerit unũ eſſem extremum, quod omnium ſenſilium iudicandorũ uim habet: quod etiam ratione multiplex exiſtit: id ipſum ꝓtractat. Vbi per expoſitionem demonſtrat id uerũ eſſe, qd' dictum fuit. Iamq; & antea hæc eadem in ſermone, quem de ſenſu cõmuni habuit,

habuit, prædixit: quæ nunc quoq; breuiter nobis in memoriam reuocata: ac propter breuitatem obſcuriorem ſuam philoſophus orationem reddidit. Quonam itaq;, inquit, diiudicat id, quod communiter ſentiendi vim habet: diſcrimen eorum, quæ cognoſcuntur. Quoniam haud vna atq; eadem ratione: tametſi ipſum vnum exiſtat. Sed diuerſis vtitur rationibus, iuxta diuerſas pprietates conuenienter cognoſcit. Eſt enim, & ipſe Ariſtoteles, inquit, vnum quoddam & ipſum iudicans, quemadmodum & terminus. Terminum q; appellat, quod & antea dixit, commune punctum diuerſarum linearum, quæ ſimul in vnum incidunt. Nanque illud vnum, atq; impartibile idem exiſtens, diuerſas habet, diuerſas erga lineas reſpectus.

TRIGESIMASECVNDA PARTICVLA.

ET HAEC unum, propter proportionem, atq; numerum, quem habent erga utrunq;: quemadmodum illa inter ſe.

EXPOSITIO.

Hæc intelligit dulce, & calidum: ex quibus ſimpliciter ſenſilia omnia demonſtrantur. Hæc itaq; vnum, aut pportione, aut numero, quem habeant erga vtrunq;: quatenus illa inter ſe. Nam qđ cognoſcẽdi vim habet, eo determinatur, qđ cognoſci debet: vt pſæpe ab Ariſtotele determinatum fuit. Si itaq; vnum, atq; idem numero ſit, qđ dulcis, & calidi cognoſcẽdi vim obtinet: quatenus cognoſcendi vim obtinet: & illa quoq; vnũ, atq; idem numero inter ſe exiſtẽt. Sinaũt ex pportione quapiam, non numero, illud vnum, ei, qđ cognoſcẽdi vim habeat, conceſſerimus: & in iis, quæ cognoſci debeant, eodem modo ex pportione ſui ipſoꝝ reſpectu, & reſpectu eius, qđ cognoſcẽdi vim habeat, videbimus. Amboq; quadam ratione vera ſunt. Qm̃ & numero, & proportione vnum illud adeſt, tum in eo, qđ cognoſcendi vim obtinet ſuiipſius, atq; eoꝝ, quæ cognoſci debent, reſpectu: tum in aliis, ſuiipſorum, atq; eius, quod cognoſcendi vim habeat, reſpectu. Nam quod cognoſcendi vim habet, numero vnum eſt: quandoquidem & ſubiecto quoq; vnum exiſtit. Proportione q; nõ autem numero vnum eſt: propter actionem illam iuxta diuerſas rationes ſimilem. Quemadmodum enim ipſum calidum calidi ratione cognoſcit: ita & ipſum nigrum, nigri ratione. Atq; ita cum his ambobus quadrat: tanquam idem ipſis numero ſit. Quandoquidem, vt dictum fuit, ex eo, qđ cognoſci debeat, determinatur. Ac ſi ambo ſimul cognoſcit, ita vt vnum ipſum ſit: idem vtriq; numero erit. Ex proportione autem rurſum, propter ſimilem cum illis iuxta diuerſas rationes coagmentationem. Quemadmodum enim iuxta calidi rationem, calidi forma afficitur: ita & ex dulcis ratione dulcis formam aſſequitur. Ipſaq; præterea, quæ cognoſci debeant, tum inter ſe, tum cum eo, qđ cognoſcendi vim habeat, vnum fiunt: aut ſecundum numeroꝝ, aut ſecundum proportionem. Numero quidem, quia ambo ita ei, qđ cognoſcendi vim habeat, cũ vnum, atq; idem numero ſit, inſunt, vt id determinare valeant. Secundum proportionem autem, quia iuxta diuerſas rationes id efficiant. Licet eodem modo: quia nihil alteroꝝ magis, aut minus. Sed vt calidum ipſum agit, & dulce, iuxta propriam vtriuſq; eoꝝ rationem. Illud autem, erga vtrunq; in ipſa philoſophi dictione poſitum fuit: nõ autem erga vnumquodq; dictum: quia duo erant, quæ ſumpta fuere, ipſum inquam dulce, & ipſum calidum.

QVID enim differt id dubitare, quonam pacto quæ eiuſdem generis ſunt, iudicat: aut contraria, ut album, & nigrum. Sit ſane, ut ipſum. a. album, ad ipſum. b. nigrum. ipſum. g. ad ipſum. d. ut illa inter ſe. Quare & conuerſim. Si ſane ipſa. g. d. uni eſſent inhærentia: ita ſeſe habebunt, quemadmodum & ipſa. a. b. idem quidem, & unum. Ipſum autem eſſe, haud idem: & illud eodem modo. Eadẽq; ratio, ſi ipſum quidem. a. dulce ſit: ipſum uero. b. album.

Cum dulci, atq; albo, tanquam exemplis vſus Ariſtoteles fuerit: quæ eiuſdem quidem generis ſunt, tanquam ſenſilia, & longius quoq; inter ſe cognationem habentia: aut contra-

ria dixit: quia quæ contraria sunt, sub vnum, atq; eundem sensum veniunt. Illaq; ad diuersos referuntur. Quod tamen nihil differre Aristoteles innuit. Nanq; si & quæ longius absunt, cuiusmodi sunt, quæ eiusdem generis existunt, vnum quodam pacto, numero, atq; proportione fiunt: & contraria, & quæ eodem sensu iudicantur, vnum illud numero, aut proportione habebunt, quemadmodum illa. Nihil itaq; differet dubitatio, quæ de iis, quæ eiusdem generis sint, & de contrariis, commouetur. Propter quæ, tanquam de contrariis adhuc per elementa verba philosophus facit. Nam in albo, ipsum quidem .a. sumpsit: in nigro autem ipsum .b. aliaq; præterea quædam contraria subiecit: vt dulce, exempli gratia, & amarum. Neq; enim ipse manifeste cuiusmodi ista essent contraria, determinauit. Quo autem ad elementa spectat, ipsum .g. & ipsum .d. addit. Quemadmodum igitur ipsum .a. sese habebit ad ipsum .b. ita & ipsum .g. & ad ipsum .d. Cõtrarietas enim in his ambobus adest. Si ita q; ipsa .a.b. vnũ inter se fiunt, cum simul cognoscatur: & ipsa .g.d. eodem modo vnum reddentur, aut numero, aut pportione. Numero quidem, quia vno, atq; eodem cognoscũtur. Proportione autem, quia iuxta diuersas rationes, nihil magis, aut minus alteræ. In ipsa vero pportione, & qd commutato ordine fit, locum habebit: at erit, quẽadmodum ipsum .a. ad ipsum .g. ita & ipsum .b. ad ipsum .d. Id autem sumptum præterea fuit: quo nõ solum in contrariis, sed & in iis, quæ eiusdem generis sunt: qd vnum fit, intelligamus. Cum, vt dictum fuit, vnum illud sit, quod simul contraria cognoscit. Tunc enim & ipsum album, & ipsum dulce vnum fit: & nigrum, atq; amarum. Quæ quidem haud contraria sunt, sed tamen & ipsa eiusdem generis, iuxta quoddam genus, qd longius abest, quam color. Qui ergo id concesserit, vt quacunq; ratione inter se unum fiant, ipsa .a.b. aut .g.d. & alteræ dabit: præterea q; qd conuertim, atq; ordinem uariando fit. Omninoq; multitudinem cum aliqua coniunctione uidebit. Nam eorũ quæ in unum rediguntur rationes diuersæ sunt: in quibus ipsis rationibus eorũ esse positum est. Eadem q; ratio, si ipsum .a. dulce sit: ipsum uero .b. album. Qd ordinem cõmutando demonstrauit: quippe cum haud adhuc contraria, sed quæ eiusdem generis longius existentia, assumpta fuerint. Id autem, quod per elementa expositum fuit, & exemplis manifestius adhuc Aristoteles facit. Ipsum nanq; dulce, atq; album inter se comparat. Non autem amplius ipsa .a.b. tanquam cum contrariis. Sed albo, atq; dulci hæc adiungit,

IPSAS QVIDEM igit formas, qd intelligẽdi uim habet, in spectris intelligit.

TRIGESIMA TERTIA PARTICVLA.

ET QVEMADMODVM in illis determinatum est ei, quod insequendum, & uitandum, & extra sensum, cum in uisis sit, mouetur.

EXPOSITIO.

Perspicue post sermonem de sensu, ad intellectũ illud philosophus transit, qui in actione uersatur, tanquam ab imagine ad exemplum. Censetq; ipsum, qd insequendum, atq; euitandum est, aliquando & in ipsis sensilibus præsentibus determinare. Vt uidens faces, quæ mouentur, & qd hostes tumultuentur perspiciẽs: quod per ipsum sensile cognoscit, deliberet, ut ipse dixit, quid agere opus sit. Vt plurimum autem contingit, qd cum in uisis, atq; spectris sensilium simulachra, intellectus ille, qui in actione uersatur, uideat: ratiocinetur, atq; deliberet. Nam tametsi interdum sensilia adsint, anima illa, quæ discurrẽdi uim habet, dum in seipsam cõuertitur, ratiocinationes illas, circa ea, quæ agẽda sunt, excitat. Atq; in cõuersione illa in seipsam, ex necessitate nõ in ipsa sensilia: sed in imagines illas, quæ ex illis prodeũt, inspicit. His q; utitur: ita ut syllogismi partes in minori ex ppositionibus fiant. Ideoq; ex necessitate, imaginatione utitur. Vel hinc itaq; pspicuum esse potest, qd haud de intellectu illo, qui cõtemplandi uim habeat, Aristoteles locutus est, cum dixit: nũquam sine imaginatione ipsum intelligere: sed de eo, qui in actione uersat. Quemadmodum & ex aliis, quæ antehac dicta fuerũt, nouimus: & ex his quæ nũc dicta sunt, manifestum est. Præterea uero magis cum sensibilia ipsa pcul abfuerint, in ipsis uisis, ea pspicientur, de quibus actiones fiũt. Nam particularia sunt, atq; itidiuidua, & sensilia quodam pacto. Hãq; ob causam, aut

ſam,aut ſenſu,aut imaginatione,ordine ſeruato,cognoſcunt. At cum vel hæc ſane philoſophus tradiderit:formas,inquit,quod intelligendi vim habet in ipſis viſis intelligere. Formaſq; vocat,ſenſilium figuras. Iam enim ſæpe dixit,& rurſum dicturus eſt,qd haud ipſa ſenſilia,ſed eorũ formæ in ſenſu,atq; imaginatione naſcunt. In eo quidem,tanq; ſenſilia. In hoc autem,tanq; viſa. Recte itaq;,& nũc formas dixit:ſiue ſenſilium interpreteris,ſiue eorũ, quæ actione tractant. Náq; & ea,quæ in actione poſita,ſenſilia quodam modo ſunt. Nam cum meipſius,aut alicuius alterius morem ornare volo:& ipſe mos,quia in particulari homine exiſtit,ſenſilis ſit. Atq; adeo magis,quia inde ſenſu cognoſcit,cuiuſmodi ſit,ex motu, atq; actione illa,aut recte,aut non recte cõſtituta. Ipſum aũt intelligendi vim habens,id aũt eſt,in actione poſitum. Id náq; illud eſt,qd inſequitur,aut effugit. Dictum aũt fuit,qua ratione in viſis formas eorũ,quæ actione tractãda excipiens,intelligit in ipſas ſpectans. Haud quia imaginatione concipiant,ipſæ intellectiones:ſed quia aliæ & in ipſo intelligente, tractent:quæ ex inſpectione in ipſa viſa excitant. Manifeſte enim & ipſe dicturus eſt,qd neq; hæ intellectiones viſa ſunt:ſed non ſine viſis. Intuentur aũt in ipſa viſa, cum à ſenſilibus receſſerint:quæ aut adhuc præſentia nõ ſint:aut & præſentia ſint, ꝓpter inclinationem illam in ſeipſam. Qd enim & in ipſa ſenſilia aliqñ intuent,indicat philoſophus ſcribens. Et quẽadmodum in illis determinatum eſt ei,qd inſequendum,& qd effugiendum. In illis,intelligens,ſenſibilibus. Quẽadmodum ipſe manifeſte interpretat:cum diſtinguat, atq; ſeiungat ab his,quæ extra ſenſum. Quæ ea ſunt,quæ imaginatione concipiunt. Qñ enim in viſis,inquit,ſit,mouetur. Id autem eſt,excitatur ad ratiocinationem, atq; deliberationem circa ea. Manifeſtius autem explicat illud,aliqñ quidem ipſum in ſenſilia intueri,aliqñ autem in ea,quæ imaginatione concipiantur,ex his,quæ ſequuntur.

VT SENTIENS faces,quod ignis communi cognoſcit, cernens quod mouetur: quoniam hoſtis. Aliquando autem in iis uiſis, quæ in anima,aut intellectionibus. Quemadmodum cernens,ratiocinatur,& deliberat futura reſpectu præſentiũ.

Qñ enim confeſtim cernit faces,& cõmuni vtitur ſenſu:patet, qd in ipſum ſenſile intuetur. Opinor aũt eum nunc cõmunem accepiſſe ſenſum,loco eius, qui cõmunium ſenſiliũ exiſtit. Quorũ quidem & viſus ex ſeipſo eſt. In primis aũt communis ille videt,tanq; is,qui cõmunium ꝓcipiendorũ vim habeat:cum & ſingillatim cum vnoquoq; ſimul agat. Cõmune aũt ſenſile motus eſt:quẽadmodum & color ignis,atq; lumen,ꝓprium viſus ſenſile exiſtit. Et cognoſcit,qui intelligit,componẽs,alterũ quidem ab ipſo ſenſibili,alterũ vero à ratione, quæ circa hæc verſat,referens ad illud:faces præſentiæ hoſtium,indicium eſſe. Faces náq; quæ mouent,ſenſiles ſunt. Illud vero, cuius hoc indicium,ex ratione ſumptum fuit: quæ ſolitum eius vſum ſpectat. Hacq; rõne legendum eſt,ita vt mutemus paruũ p dictionem. Vt ſentiens faces,qd ignis,cõmuni cernens,qd mouet. Hocq; in loco punctum faciẽtes,illud inferre debemus:cognoſcit qd hoſtis. Cognoſcitq; non ſolum ex ipſo ſentire, ſed & ex ratione. Interdum quidem igit in ipſum ſenſile inſpicit:interdum aũt in viſa, aut in intellectiones,quæ in anima ſunt,inquit. Et aut ipſa viſa, intellectiones vocat:quia & imaginationem intellectionem dixit:vt ſupius demonſtrauimus. Aut diuidẽdum eſt: & ipſa quidem viſa in imaginatione ſtatuẽda. Intellectiones aũt eas actiones putare debemus,quæ in ipſo intelligẽte ſunt. Quæ etiam determinãtur formis intelligibilibus eorũ,quæ actione tractantur. Omnis nanq; cognitio tõnis particeps,licet eius, qd extrinſecus exiſtat,ſit:attñ dum in ſeipſam cõuertitur:& ſuiipſius intelligẽtiam iudicat,ſit. Ideoq; fidem opinioni omni conſequẽtem eſſe,dictum fuit. Recte itaq; in ipſa viſa,aut in intellectiones dictum fuit eum intueri,qui ratiocinetur,aut deliberet de iis,quæ actione tractãtur. Qui haud diuiſus eſt,aliqñ erga has,aliqñ erga illas:ſed ſimul ad vtraq; aciem dirigit:licet magis his,q illis animam aduertat. Ratiocinatione aũt,& cõſilio colligit futura,reſpectu eorũ,quæ præſentia ſunt. Nã præſentia ex ſenſu accipit:futura vero ex cognitione illa,quam de pñtibus aſſequutus eſt. Quæ qdem cognitio rõnis cõpos exiſtit. Ob idq;,particulas illas,viſa,atq; intellectiones,nequaq; ita interpretari cõuenit:vt tanq; idem ſignificantes, ibi ponãtur:ſed illa quidem imaginibus:

has autem huius intellectus actionibus ascribere oportet.

TRIGESIMAQVARTA PARTICVLA.

ET CVM dicat, quemadmodum ibi, quod suaue, aut molestum, tunc fugit, aut Prosequitur: & omnino in actione.

EXPOSITIO.

Neq; enim intellectus is, qui in actione versat, præcipue qd̄ suaue, aut molestum, sibi finem statuit: quēadmodum sensus, & vita illa, quæ sine rōne est. Sed ipsum bonum, tanq̄ insequendum: malūq; tanq̄ euitandum. Ideo cum voluerit philosophus ex iis, quæ vel sensui notissima sunt, determinare, quæ intellectui illi, qui in actione versat, expetēda, aut euitanda sint, ab ipso suaui, atq; molesto ordit̄: vt ibiq; dixit, in sensuq; intellexit. Qñ itaq; ita iudicat rem, non solum tanq̄ eam, quæ cognosci debeat: sed quatenus hmōi: cuiusmodi erat, qd̄ in ipsis sensilibus suaue, aut molestum: hmōiq; quod in ipso bonum, aut malum. Tūc, hoc est, in tali iudicio, aut fugit malum, aut insequit̄ bonum: & vniuersaliter aliquid agit. Id nanq; indicat illud, omnino in actione. Agit autem, aut boni adeptionem insequēs, aut malum eiciens.

ET QVOD sine actione, & uerum, & falsum: in eodem genere est cum bono & malo. Sed ipso simpliciter differt, & quopiam.

Qd̄ quidem, tanq̄ insequendum, atq; effugiendum, qd̄ in actione positum, non solum in intellectione, sed & in visu, aut & in sensili considerat̄: qa in ratiocinationibus illis, quæ in actione versant̄: quæq; de bono, atq; malo agūt: illa quæ minor dicit̄ ꝓpositio, particularis omnino est: demonstratum fuit. Statuit aūt nunc Aristoteles, qd̄ & qñ intellectus ille, qui in actione versat̄, in seipso cōtemplationem illam cōmouet, quæ de iis, quæ actione tractant̄, fit: licet haud tanq̄ insequendum, aut effugiendum, at tanq̄ id qd̄ cognosci debeat: & vniuersaliter contemplet̄: qualem, exempli gratia, eam ciuitatem esse oporteat, quæ præclare instituta sit: & cuiusmodi legibus vti debeat: aut omnino in qbus actiones collocatæ sint, ac circa quæ ex iis, quæ sunt: attñ haud in iis versatur, quæ semp eodem modo sese habeant: sed in iis, quæ mutant̄, atq; contingūt. Tuncq; sine actione existit: hoc est, absq; eo, qd̄ aliquid agat. Nam cum cōsideret, atq; inuestiget, qnæ actione tractantur: & cuiusmodi quæ in iis veritas, ac falsitas, tanq̄ is qui agendi vim habeat, & tunc agit: haud tñ tanq̄ tunc aliquid agēs. Sed ita, vt si agere oporteat: ea tunc vsurus sit veritate, quæ ei vniuersaliter apparuerit. In eodem itaq; genere, inquit, est, cum bono, & malo. Hæc aūt in eo repiuntur intellectu, qui in actione versatur. Quare & verꝫ id, atq; falsum in illo eodem intellectu existūt. Qui neq; tunc absq; imaginatione agit. Qñquidem & vniuersales cōtemplationes ei, hmōi sunt: cuiusmodi communes illæ, quæ in particularibus reperiuntur. Cum, exempli gratia, q̄ omnis ciuitas præclaris legibus sit instituta, dicat: aut q̄, omnis vir ornatus, aut aliquid hmōi. Neq; enim intelligibilia, tanq̄ intelligibilia aliqs contemplans, quæ in sensibilibus vniuersaliter inueniunt̄, sumet: neq; vero, atq; falso, quæ ex ꝓportione bono, atq; malo respōdeant, vsurus est: sed verꝫ ita dicit, vt falso sese opponat: & bonum illud videbit, qd̄ aduersus malū stat. Intellectus nanq; ille, qui in actione versat̄, circa ea quæ opposita sunt, vertit̄: quia & circa ea, quæ contingunt, atq; mutant̄, existit. Qm̄ itaq; q̄uis vniuersaliter de iis, quæ actione tractantur, sermonem habeat: haud tñ omnino a particularibus recedit: qa in his vniuersalia collocata sunt: ideo neq; ab imaginatione omnino discedet. Ea nanq; eam habet vim, vt particularibus inhæreat: cum quibus & ipsa quoq; vniuersalia existūt. Sine actione aūt, verꝫ, atq; falsum existere, dictum fuit: qm̄ qui non agit vniuersalius, vt dixi, de iis, quæ actione tractant̄, ratiocinat̄, iuxta scientiam illam, quæ agendi vim habet. Differt aūt solum intellectio illa vniuersalis de iis, quæ in actione posita, ab ea, quæ in agendo posita est: qm̄ & particularia comprehēdere necesse est, eo q̄ simpliciter & quopiam. Altera quidem enim simpliciter existit: quippe cum ex duobus vniuersalibus existat. Altera vero quædam, quippe cū ex particulari, atq; vniuersali particularem conclusionem concludat. At cū hactenus sermonem illum Aristoteles confecerit, qui de illo habet̄ intellectu, qui in

actione

actione versatur: rursumq; ad supremum illum contemplandi vim habentẽm accedere volens, per eos, qui medii existunt, sibi ascensum parat. Proxime autem ab isto, qui in actione versatur progressus est: qui mathematicaꝝ rerum contemplandarum negocium sumpsit. Quæ ẽt cum materia sunt. Tãetsi est haud in ea materia, quæ ortui subiecta sit: quæq; alias alia ratione se habeat: attamen in materia sunt. Nam in dimensione, atq; partitione quadam subsistunt. Hancq; ob causam, & ipsæ huiusmodi sunt, vt imagine concipiantur: intellectusq;, qui ipsas contemplatur, terminum, atq; ordinem ipsis imposuit: & quod opportunum esset admouit: & qd̃ superuacaneum est, amouit: & ipsas tanquam eas, quæ imaginatione cõcipiantur, considerauit. Nam intellectus ille, qui in actione versat̃, & quæ imaginatione concipiuntur, ex relatione ad ea, quæ sensilia sunt, mouit. Hacq; ratione mathematicus ille intellectus eum, qui in actione versatur, superat.

TRIGESIMAQVINTA PARTICVLA.

QVAE VERO in abstractione dicuntur, intelligit, quemadmodum si simum, quatenus quidem simum, non separate. Quatenus autem cauum, siquid intelligeret actu, sine carne intelligeret, in qua ipsum cauum: sic mathematica.

TRIGESIMASEXTA PARTICVLA.

NON SEPARATA, tanquam separata intelligit, cum intelligat illa.

EXPOSITIO.

Parumper, si ita videtur, gradum sistentes, quænam ea sint, quæ in abstractione posita: & ꝓpter quam causam ita vocentur: & quænam ea cognoscẽdi vis sit, quæ cum ipsis in eodem ordine pmaneat, cõsideremus. Veꝝ illud antea nobis sumere debemus: quod ea quidem quæ cognosci queunt pcipit, & vis illa, quæ eũdem cum ipsis seruat ordinem: at multo magis, atq; præstantiori quadam ratione, quæ haud in eodem pmanet ordine: sed ꝓpè id, qd̃ superat, proficiscitur. Quæ tamen potest, & vnà cum ea, quæ eiusdem ordinis est, interdum agere: & ex seipsa etiam sola. Ita, vt scd̃a ista, vel cum causa tollat. Hoc eadem itaq; pacto, & ratio illa nostra, quæ naturalium cognoscendoꝝ vim obtinet, sensibiles affectiones cognoscit. Aliquãdo quidem vnà cum sensu agens, atq; cum eo coniuncta: hocq; modo sese ipsis sensilibus adiungẽs. Aliqñ autem sine sensu, naturalium formaꝝ substantias: atq; substantias eoꝝ compositoꝝ, quæ secundum ipsas determinata sunt, cognoscẽs. Vbi ex substantiis, tanquam ex causis, & affectiones, atq; accidentia, quæ circa eas versantur, cuiusmodi quædam sint, diiudicat. Qua etiam ratione differre naturalem à mathematico in scd̃o naturalis auditionis libro dicebatur. Mathematicus enim ꝙppe qui iuxta ipsa accidentia, vt figuras, & magnitudines, & motus, & numeros, & eas rõnes, quæ no nsine concentu, atq; harmonia existunt, inuestigãdo versat̃: quo cognoscat, vel sensu ipso indiget. Naturalis aũt ex formis, tanq̃ ex causis, atq; ex ipsis compositis substantiis, tanq̃ ex substãtiis, tum figuras, tum reliqua, quæ ꝓprie, atq; conuenienter substantiis euenẽre, contemplat̃. Ideoq; philosophia quædam & naturalis quoq; tractatio est: tanquam ea, quæ circa substantiam conuertitur: & tãquam ea, quæ ex causis, quæ inde effecta sint, cognoscat. Mathematica autem peritia nequaquam philosophia dicenda. Atq; adeo, vt Plato inquit, ponti similis est. Principium nãq; ei præbent, vt ipse philosophus asserit, quæ non nouit. Media autem, extrema, ex eis cõficiuntur, quæ etiam non nouit. Ideoq; à causis deseritur: quia substantias non inuestigat. Quæ nãq; proprie causa est, omnino substantia est, aut & ea præstantior. Vbi illud non ignorandum, qd̃ nunc mathematicam peritiam appello, non eam, quam Pythagorei olim constituerunt: eam inquam, quæ iuxta viuaces rationes, quæ dimensiones, atq; figuras promere valent, siue in naturalibus corporibus, siue in imaginationibus innascantur, suam considerationem facit. Ea nãq; philosophia existit. Sed eam dico, quæ tota circa ea, quæ ꝓmuntur, vt circa figuras, & magnitudines, & motus, cõuoluitur. Quæ ex abstractione vocare Aristoteles consueuit. Nam cõsiderantur qnidem in corporibus illis, quæ & in natura subsistunt. Protenduntur autem & ad ipsam imaginationem vsq;. Ex abstra-

Qua ratione differat naturalis a mathematico.

Quæ, & quã ob cãm ex abstractione dicantur.

ctione autem dicuntur, quippe quæ abſque ſubſtantiis ipſa ex ſe conſiderentur. tametſi haud ita omnino ſubſiſtant: nã accidentia ſine ſubſtantiis ex ſe ſubſiſtere non valent. Accidentia autem huiuſmodi ea omnia ſunt, in quibus mathematicorum tractatio verſatur. omnis nanq; circulus, inquiunt, æquales eas omneis habet, quæ à centro prodeunt. Et omnes motus, qui circa centrum reperiuntur, iuxta vnum, atque eundem exiſtentem polum ſimul deducantur, ſiue maiores, ſiue minores ſint. Et omnis pariter par numerus ad vnitatem uſq; in duas diuiditur parteis. & omnis duplex proportio ex ſeſqui, & epitrito componitur. Accidentia vero omnes ſunt figuræ; & motus, & ſingulares numeri, & rationes illæ cum reſpectu, quæ ex abſtractione dicuntur. Quoniam non quatenus cum ſubſtantiis ſunt: ſed tanquam à ſubſtantiis ſeparata per ſeipſa cognoſcuntur. Nam & cum in imaginatione offeruntur, ſimul cum viuacibus illis rationibus à quibus producuntur, exiſtunt. Ita, vt ab eis ſeiuncta videantur: atque in eis, tanquam finibus ſuum eſſe ſtatuerint. Quemadmodum & accidentia illa, quæ in iis reperiuntur, quæ natura ſubſiſtunt, ſubſtantiarum ſunt extremitates. Nequaquam, vt nonnulli ex peripateticis ſentire videntur, dicendum eſt: qui quæ imaginatione concipiuntur, tanquam ea, quæ ſine ſubſtantia omnino exiſtant, ex abſtractione vocarunt: quia ſeiuncta ab illis ſint ſubſtantiis, quæ in ſenſibilibus apparent. Quod enim & quæ imaginatione concipiuntur, circa viuaceis rationes, quæ ſubſtantiæ ſint, verſentur: quod exactum in eis apparet, indicat. quod ſupra ſenſilia exiſtit: & additio eius quod deſit, quæ ipſis ſit: & ablatio eius quod ſuperuacaneum in ipſis reperiatur. Quæ haud extrinſecus innaſcuntur, & ab eis quæ deteriora ſint, quod præſtantius eſt, aſſequuntur. Sed perſpicuum eſt quemadmodum proxime à ſeipſis viuaceis rationes promunt. Quemadmodum & ea eorum indicat actio, quæ iudicandi vim habet: cum iudicium illud nunquam affectio ſit: ſed actio pura, & quæ intus non autem extra commouetur. Dictum itaque à nobis, atque declaratum eſt, quæ ea ſint, quæ ex abſtractione dicuntur. Quod inquam mathematica ipſa ſunt. Haud tamen, quæ cauſæ, neque quæ tanquam ſubſtantiæ: ſed accidentia, quæ porriguntur, atque extenduntur. Huiusq; vocabuli cauſa eſt, quoniam haud tanquam cum ſubſtantia, ſed ſine ea conſiderantur, ab iis, qui ex vulgi conſuetudine mathematici vocari conſueuere. Hic autem ſenſilibus, atque his, quæ cogitatione concipiuntur, quæ accidentia ſunt, ſenſus, atque imaginatio illæ cognitiones exiſtunt, quæ ordine iunctæ ſunt. Hæ nanq; ex illis ſunt, quæ accidentium, non autem ſubſtantiarum iudicandarum poteſtatem habent. Ratio etenim & intellectus ea ſunt, quæ ſubſtantiam comprehẽdere valeant. Haud enim compos ſubſtantiæ percipiendæ, inquit Plato, ſenſus eſt. Prætereaq; perſpicuum eſt, quod circa qualitates, & quantitates & paſsiones, ſenſus omnes verſantur. Quare & imagines illæ, quæ à ſenſilibus in imaginatione innaſcuntur, ſubſtantiæ non ſunt. Quæ autem huiuſmodi, non ſolum, vt dictum fuit, iis cognitionibus perſpiciuntur, quæ eundem cum iis ordinem ſeruant: ſed & à noſtro quoque intellectu. Qui aliquando quidem cum ſenſu, atque imaginatione connexus eſt: & circa hæc tantum agit, abſque vlla tunc ſubſtantiarum ipſarum cognitione. Quem ſanè mathematicum intellectum aliquis dicere poſſet: ea nempe ratione, qua à vulgo illi mathematici dicuntur. Aliquando autem haud in ipſa intuetur: ſed in ipſorum cauſas, quæ ſubſtantiæ ſunt, cum formales, tum compoſitæ: & ex his tanquam ex cauſis accidentia excipit: quæ de cauſis effecta ſunt. Præſtantior q; in intellectus eſt, cum ſubſtantiarum comprehendendarum vim habeat. De quo etiam iamdudum Ariſtoteles locutus eſt: cum intellectiones nobis tradiderit: intellectus illius, qui progreſſus quidem eſt: verum perfectionem adeptus fuit. Quas quidem intellectiones duplices fecit. Nam alias iuxta infractam quandam rectam poſuit: quas etiam formarum cognoſcẽdarum vim habere voluit. Alias autem iuxta inciſam lineam, quas compoſita percipere credidit. Verum haud de hoc intellectu nunc ſermonem habet. Nam de eo loquitur qui vna cum ſenſu, atq; imaginatione connexus eſt. Ideoq; haud ſine imaginatione vel is intelligit, cum ita intelligat, quemadmodum & ille, qui in actione verſatur. Quando enim ex ſubſtantiis, & accidentia, tanquam ex cauſis excipit: tunc iuxta perfectiorem intellectionem profecto contemplatur. Neq; amplius, quæ in abſtractione collocata ſunt. Quoniam

Ex abſtractione quæ?

Cã cur ex abſtractione dicantur.

cum,

cum, quæ in abſtractione ſunt collocata intelligat, non quatenus ea ſunt: ſed à ſubſtantia ſeiungens intelligit. Quemadmodum cum ſimum cernens, haud iuxta vtrunq; percipit: iuxta cauitatem inquam, & carnem eam, quæ ſubiecta eſt: ſed ex cauitate ſola perſpexit. Qui itaq; ſimum, quatenus ſimum intelligit: non ſeparatam intelligit cauitatem. Qui vero ſecundum ipſam cauitatem id agit: tanquam ſeparatam eam, quæ ſeparata non ſit, intelligit. At cum dixerit Ariſtoteles ſimum, quatenus ſimum, non ſeparate: cum inferre debuerit, ac quatenus cauum: quoniã ſimitas cauitas in naſo eſt: loco caui defiexũ, curuum'ue, quod huic contrarium eſt, attulit. Quoniam qui curuum perſpicit, in ipſa ſimi inſpectione, patet, quod haud per ſe intelligit. Neq; enim poteſt, in eodem, & cauum ipſum, & deflexum, ſeu curuum exiſtere. Ex poſitione autem pronũciauit illud, ſiquid intelligit actu. Quoniam poteſt quiſpiam & quod curuum ſit, cum alia carne nouiſſe. vt in iis, quæ naſum habent aduncum. & ipſum quoq; per ſe. ſi quis igitur intelligit, quod curuum ſit, per ſeipſum: neq; poteſtate, ſed actu: quod ſeparatum non eſt: neq; aptum eſt, vt ſeparate ſubſiſtat: tanquam ſeparatum cognoſceret. Illud autem in qua ipſum cauum: ad id, quod ſimum ſit, reuertens philoſophus, dixit: neq; in eo tranſitu permanet, qui ad id, quod curuum eſſet, factus eſt. Eodem itaq; modo & ipſa mathematica. Dictum autem fuit cuiuſmodi vocet mathematica. Nam quæ nequaquam poſſunt abſq; ipſis ſubſtantiis ſubſiſtere: que quidem ſubſtantiæ præbent ſedem, atq; retinent, & excipiunt ipſa: tanquam ſeparata mathematicus conſiderat. Duplex autem hoc in loco reperitur ſcriptio. tum ita, non ſeparata, tanquam ſeparata: tum non ſeparate, tãquam ſeparate. Indicat autem ex hac ſcriptione, ipſum intelligens, quod ſecundum naturam ſeſe habeat, ſubſtãtias præcipue aſſequi: neq; ſeparate ſola accidentia in huiuſmodi contemplatione ſeparate tractare. Ita, vt intelligens ipſum in ſecunda hac cõtemplatione à ſeipſo recedat: ab actionibusq; illis, quæ ei ſecundum naturam in primis conueniant. Vel antea vero iam ab ipſo Ariſtotele dictũ fuit. quod vt res à materia ſeparabiles ſunt: ita & ea quæ ad ipſum intelligens attinent. Quando ergo, quæ ſeparabilia ſunt à ſubſtantiis, hoc eſt, ipſa accidentia, tanquam ſeparabilia intellectus intelligat: iuxta inſeparabiles ſuiipſius actiones, atq; cum extremis connexas, agit: quæ quidem procul abſunt ab iis, quæ ſubſtantiæ cognoſcendæ vim habent.

OMNINO autem intellectus eſt, qui ſecundum actum res intelligit.

Vult & nunc, quod perſæpe antea dixit, & rurſum dicturus eſt, in memoriam nobis reuocare. Quod omnis inquam intellectus cum agat, idem cum iis, quæ intelligũtur eſt: & id eſt, quod vere quæ intelliguntur, exiſtunt. Opus autem eſt, quo manifeſtam dictionem hanc reddamus, ordinem parum per tranſponendo mutare: atq; ita legere. Omnino autem intellectus eſt res, qui ſecundum actum intelligit.

NVNQVID autem contingit ſeparatorum aliquid intelligere: cum ſit ipſe nõ ſeparatus à magnitudine, an non, inueſtigandum poſtea.

Cum extremas ipſius intellectus noſter philoſophus actiones, ex complexu illo cum ſenſu, atq; imaginatione inſpexerit: quæ accidentium ſolum, atq; eorum per ſe exiſtentiũ cõprehendendorum vim habent: quaſi cauens, ac ſuſpicans, ne à corporibus inſeparabilem & ipſam intelligẽtis ſubſtantiã, ex huiuſmodi actionibus arbitremur, nos gradũ ſiſtere cogit atq; hortatur ad conſiderandũ, nunquid impoſsibile ſit, cũ intellectus ipſe inſepabilis exiſtat, eã vim obtinere, vt ſeparabiles formas percipiat. Antea nãq; dictũ fuit, quemadmodũ & is, qui extra progreditur: & ex habitu illo emiſſo perfectionẽ à ſubſtãtiali intellectu adeptus eſt: tũ ſeipſum, tũ ſeparabiles formas cognoſcere valet. Neq; n. niſi ſeparabilis eſſet cũ iis, quæ ſeparabilia ſunt, q̃draret: neq; ĩ ipſa ſepabilia agẽdo cõuerteret. Vt. n. qui valetudinem intelligit: propẽ valetudinis formã permanet: ita & qui quod ſeparabile percipiet, propẽ id, quod ſeparabile fulcietur. Nequaquam etenim pote eſt, vt quod inſeparabile, id ſeparabile fiat. philoſophus autem noſter inueſtigationẽ hanc diſtulit, vel eã forſan ob cãm, quia vel poſtea id demõſtraturus eſt. Tametſi haud pſpicue, atq; aperte id cõſtet. Forſan aũt ita inq̃ſitionẽ iſtã iis q̃ legũt, proponit: vt ipſi debeãt ex eis, q̃ ab ipſo pſæpe dicta ſunt, explanare, qd̃ propoſitũ eſt. Nãq; illud iã dcm̃ fuit: qd̃ verũ itellectus aliquod

corpus contineat, atque coagmentet, vel fingere difficile eſt. Et quod ſenſus inſtrumento vtitur corpore ſemper: intellectus autem nequaquam. Et quod ſeipſum intelligere poteſt. Conuerſio vero illa in ſeipſum corpori omni toti, per ſeipſum totum impoſſibilis exiſtit. Cæterꝝ Alexãder vel eum intellectum, qui inſeparabilis ſit: eam habere vim, inquit, vt quæ ſeparabilia exiſtũt, cognoſcere valeat. Nam ab iis, quæ inſeparabilia ſunt, ad ſeparabilia ab eo relatio fit. At relatio iſta, nequaquam eadem cũ intellectione eſt. Relatio enim tanquam pcuſſio, atq; excitatio quædam eſt. Intellectio vero finis exiſtit. Exordium quidem igitur hinc, atq; ex iis, quæ inſeparabilia ſunt, anima capit: ꝓpter impetum illum, qui omnino ad ea, quæ extra ſunt, tendit. Nam haud amplius poteſt erga ſeipſam, aut erga ea, quæ præſtãtiora ſunt, agere, ꝓpter multum impetum, ad ea quæ extra. At vbi ad ea, tanquam ad imagines ſeſe adiecerit, in prima illa, quæ quaſi exemplaria ſunt, ſeipſam reuocat. Neq; enim, quemadmodum qd' inſeparabile eſt, ſeparabiles actiones habere non poteſt: ita & quod ſeparabile, nihil inſeparabiliter promit. Nam quãdo cum ſecundis, atq; inſeparabilibus iſtis vitis implicitum eſt: tunc inſeparabiles actiones educit. Quemadmodum vniuerſalis ꝓpoſitio, quæ vna' cum particulari colligatur: particularem ꝓpoſitionem perfici. Particulari vero neque vnquam ſecundum ſeipſum, neque vna' cum vniuerſali, vniuerſale quidpiam concluderetur.

TRIGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

NVNC autem, quæ de anima dicta ſunt, ſummatim colligẽtes, dicamus rurſum.

EXPOSITIO.

Illud ſummatim colligentes, haud ad illud dicamus, adiungendum eſt. ita, vt dicat, qd' ſummatim, atq; breuiter dicendum ſit. Neq; enim infert, quæ de anima dicta ſunt, neque ſummatim colligit. Exempli gratia, quæ de naturali vita dicta ſunt: aut de ſenſu, aut de imaginatione. Neq; de intellectu illo, qui in actione verſatur. Sed quæ dicta fuerunt, omnia, inquit, ſummatim colligentes: hoc eſt, abſoluentes, atq; perficientes. Atq; hic interpungentes illud inferre debemus. Dicamus rurſum, quæ etiam dicit.

QVOD ANIMA, ea quæ ſunt, quodam pacto eſt omnia. Aut enim ſenſibilia ſunt, quæ ſunt, aut intelligibilia. Eſt autem ſcientia quidem, quæ ſciri poſſunt quodam pacto. Senſus autem ipſa ſenſilia.

TRIGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

QVO AVTEM PACTO hoc, oporteat inueſtigare. Sectatur igitur ſcientia, & ſenſus in ipſas res. Qui quidem poteſtate in ea, quæ poteſtate. Qui uero actu, in ea, quæ actu. Ipſius autem animæ, quod ſentiendi, quodque ſciendi uim habet, poteſtate hæc eſt. Alterum quidem quod ſciri ualet. Alterum uero quod ſenſile.

EXPOSITIO.

Illa nobis ex his in memoriam Ariſtoteles reuocat, quæ iam dicta fuere: propter quod & dicamus rurſum, dixit. Quoniam cognitio ſecundum poteſtatem, ea, quæ cognoſci debent, quodam modo exiſtit. Id nanque indicat apud hunc, illud, quodam pacto. Quando quidem, vt dicturus eſt, non ſenſilia ipſa ſenſus eſt: ſed ipſe ſenſilium formæ. In ſenſu quidem igitur, qui ſenſilium formas agit, inhærent: non autem extra poſitæ ſunt. Nam intus ex ſubſtantia' educuntur, in actione ipſa, quando iam agit. Ipſa nanque actio, quæ cognoſcendi vim habet, intus tota excitatur. Quare & formæ illæ, ex quibus determinatur, inde veniunt. Verum deceptionem quampiam illud inducere poteſt: quia cum reſpectu erga ea, quæ extrinſecus collocata, tum actio ipſa, tum ea quæ cognoſcuntur, ſeſe adiiciunt. At quemadmodum actio haud extrinſecus exiſtit: ita,

neq;

neq; formæ illæ, iuxta quas cognoscit. In ipsa uero scientia, ea quæ sciri possunt, reperiuntur. Quæ intelligibilia etiam appellat. Quoniam cognitionem eam, quæ scientiam pariat: quēadmodum & actionem oēm, quæ rōnis particeps existat, intellectionem Aristoteles uocat. Et qm̄ supremus ille animæ substantialis intellectus, quodam pacto, scientia erat, ppter inclinationem illam in ipsam rōnem. Illud aūt non ignorare par, atq; cōueniens est, q; in ipso quidem sensu manifeste formas illas philosophus distinxit, quæ in eo innascunt, ab illis sensilibus, quæ extra posita sunt. Neq; enim ipsa, inquit, sensus existunt: sed hoꝝ formæ. Haud tn̄ in scientia id quoq; agit. Sed quæ sciunt, ipsam esse vult. Id aūt fit: quoniam scientia, & eoꝝ quæ remissa sint, iudicandoꝝ vim habet. Quēadmodum cum naturalia cōtempletur, aut mathematica. Et ea quoq; cognoscere valet, quæ eūdem cum ipsa ordinem seruāt. At & ad ea etiam quæ præstātiora sint, tendit. Patetq;, quēadmodum neq; præstantiora, neq; remissa illa, est. Sed ea, quæ, ordine seruato, ab ea cognosci valeant. Quæ remissæ quidem talia sunt, qualia prima ipsa. Præstantiori aūt modo, qualia, quæ post ea. Iuxta ea nāq;, quæ in ipsa repiuntur, & ad prima illa tendit: & secūdoꝝ quoq; contempládoꝝ vim habet. Quare scientia ea existit, quæ sciri valet. Sed alia quidem ita, vt cum iis exactissime eadem sit. Alia vero scd'o loco. Alia q; præstantiori modo. Ideoq; cū dixerit philosophus, scie tiam quodam pacto ea esse, quæ sciri debeāt: sensum q; ipsa sensilia: modū inuestigandum censuit. Quo sensum quidem haud ipsa sensilia, sed eoꝝ formas, esse, cognoscamus: scientiam aūt ea ipsa, quæ sciri debeāt. Ita q; eadem sit, vt aut exacte, ut iam dictū fuit, aut parce, & remisse. At cum distinxerit iuxta id qd' potestate, & qd' actu, scientiam, atq; sensum: & quæ ab his cognosci queunt. Ita, ut quæ cognosci ualent, aliqñ quidem potestate, aliqñ aūt actu sint. Ac cum determinarit noster Aristoteles, qñ potestate scientia, & sensus existant. Quoniam nō sciens, q; ipsius animæ uim cognoscendi habens existit, neq; sentiens: sed sciendi, atq; sentiendi tunc uim habere dicimus: nunc quo pacto sensus ipsa sensilia sit: scientia q; ea, quæ sciri debeant, declarat, ita scribens.

NECESSE AVTEM, aut ipsa, aut formas esse. Ipsa quidem enim sane nequaquam. Neq; enim lapis in anima: sed forma.

Sensus quidem ex omnium cōfessione, non ipsa, sed eoꝝ formæ est. Nam omne sensile partibile existit. Impartibiliq; substātia nulla rōne sensilis. Ideoq; diuersum in his, ipsum q; & esse ei. Vt & hæc manifeste à philosopho determinata fuere. In iis aūt, quæ sciri ualent, aut intelligibilia sunt: siqdem substātia composita ea fuerit, quæ sciri debeat: ipsa in scientia non existet: sed eius forma. Cognitio nāq; omnis ex formis determinata fuit: non aūt ex iis, quæ forma affecta sint. Sinaūt ipsæ formæ sint, quæ sciri debeāt: siue naturales sint, siue substantiæ, quæ sine materia existant: quēadmodum anima ipsa, iuxta ea, quæ ipsius animæ præstantiora sunt: haud diuersum ipsum, & esse ei, & scientia, quæ iuxta esse, ipsaꝝ rerꝝ fit. Quēadmodum tum sensus, tū omnis hmōi cognitio est. Qñquidem rebus his idem & esse earꝝ erit. Non solūq; scientia cum formis, sed & cū rebus ipsis eadem existit. Ideoq; & in sensu manifeste distinctū fuit. Quoniam iuxta formas, quæ extra sunt, sensus cognoscit: non aūt & quæ in ipso repiuntur. At haud ita in scientia res sese habet. Aliqñ quidem enim rerꝝ formas obtinebit: qd' in cognitione eoꝝ quæ forma affecta sunt, fit. Aliqñ aūt res ipsas ꝑse queat: qd' in contemplatione eoꝝ, quæ impartibilia sunt, fit. In quibus idem est ipsum q;, & esse ei. Scientia nāq; licet eoꝝ, quæ extra collocata sunt, sit, iuxta formas, quæ in ipsa existūt: at & ea quoq; inspicit, quæ in ipsa repiunt. Verꝝ cum id hactenus nouerimus ad ea, quæ se quunt, accedamus. Quoniam sciētia, cum duplex sit: Altera qdem eius intellectus, qui progressus est, qui q; pfectionem adeptus est: Altera vero substātialis ipsius, atq; pficiētis. Hæc qdem ita cum formis colligat, ut in unam formam cum iis redigat. Illa uero non sine aliqua diuersitate id nāciscitur. Et utraq; potestate aliqñ fit. Verꝝ ita, ut quæ pficiendi uim habet, ita fiat, ut haud unquam conuertatur, qd' progreditur, sed quasi ligatum, atq; firmum ex Platonis sententia sit: Altera uero hmōi est, ut conuertat qd' progreditur: & ut ipsa omnino præstantiori quopiam, quo perficiatur, indigeat.

Scientia duplex. Prima. Secunda.

QVARE ANIMA quemadmodum manus eſt. Nanq; manus inſtrumẽtum eſt, inſtrumentorum. Et intellectus ẽt forma formarũ. Et ſenſus, forma ſenſilium.

Animæ rõnis compotis dignoſcendi facultatem obtinẽtem vim, mediam ex his demonſtrare vult, inter primas illas formas, quæ cognoſcuntur, atq; extremas quæ qdem cognoſcunt: haud tñ eæ ſunt formæ neq; ſcd'm ſubſtãtiam, ſed iuxta quædam accidentia cognoſcunt. Ad medietatẽq; illam declarãdam manu, tanq̃ ſimilitudine quadam vtit: qa inſtrog inſtrumẽtum ſit. Neq; tñ quatenus inſtrm manũ animæ ſimilem facit. Neq; enim vel intellectus, vel ſenſus, tanq̃ inſtrumenta, cognoſcendi vim habent. Sed quatenus medium, eſt inſtrm. Ita, vt rõ ſit: qd' in inſtrumentis manus eſt: quæ media eſt inter ea, quæ ipſa vtunt, atq; inter ea, qbus ipſa vtit: id in iis, quæ cognoſcendi vim habent, anima exiſtit: quæ tanq̃ media cognoſcit, prima, atq; extrema illa, quæ ſeſe cognoſcẽda præbent. Artificis qdem igitur manus, quæ ab anima mouet, quæq; illius inſtrumentum exiſtit: & ipſa illius inſtrumẽtum eſt: & alio inde vtit inſtrumento, ſecuri, exẽpli gratia, ad ſecandum. Hancq; ob causam recte dictum fuit, inſtrumentum inſtrumentoꝝ, quæ ipſa vtuntur: eorũq; quæ quaſi ipſi deſeruiunt. Anima vero haud tanq̃ inſtrumentum, vt dictum fuit, ſed tanq̃ ea, quæ cognoſcẽdi vim habeat: media eſt inter præſtãtiſſima illa, quæ cognoſci debeant: qualia intelligibilia ſunt: ad quæ ſua quoq; cõtemplatione tendit: & inter extrema iſta, cuiuſmodi ipſa ſunt ſenſilia. Quæ etiam iuxta extremam ſui ipſius cognitionem pcipit: id aũt eſt, iuxta ſenſum. Horũq; ratione, quæ ex vtraq; parte ſeſe animæ cognoſcendi offerũt: medietas cognitionis animæ ſumpta fuit: Formas nãq; illas, quæ in ipſa conſpiciunt, haud adhuc medias eſſe ponit. Niſi pfecto & hic media dicatur, quatenus qd' cognoſcendi vim habet, id qd' cognoſci debet, ſubit. Quẽadmodum finem ingrediur, qd' ad finem tendit. Hacq; rõne de anima interpretari poſſumus. Haud qa ſolum, qd' eius cognoſcẽdi vim obtinens exiſtit, inter extrema illa quæ cognoſci debent, medium ſit: ſed & qd' eius cognoſcẽdum ſe offert, hmõi ſit. Ideoq; haud ſimpliciter eius cognitio: ſed ipſa anima media dicta fuit inter formas, & formaꝝ formaꝝ, & forma ſenſilium. Quæ qdem omnia eam habebãt vim, vt qd' cognoſci poſſet, indicarent. Nãq; forma, & formæ, & ſenſilia eam habẽt vim, vt quæ cognoſci valẽt, ſignificent. Quẽadmodum intellectus, & ſenſus, eoꝝ quæ cognoſcendi vim habent, oſtendendoꝝ vim retinent. Cæteꝝ ſi & ex ipſius quoq; Ariſtotelis ſententia, anima rõne quadam ea omnia exiſtit, quæ ſunt: quonam pacto differet à poſitione Empedoclis: quæ ex elementis ipſam, & ex iis, quæ ſunt, conſtituit? quo ſimili ſimile cognoſcat. Quam tñ in primo libro admodum philoſophus noſter reprehẽdebat. Nunqd aũt, vt in illis quoq; dicebamus, ſuccenſebat noſter Ariſtoteles rationi illi, atq; eam ægre ferebat, quæ videbat ponere ipſa prima, aut extrema in anima? Nequaquam autem rationem illam criminatus eſt, quæ huiuſmodi animæ medietatem determinauit: vt cum omnibus qdem affinitatem obtineat: haud tñ, quemadmodum illa exiſtat. Sed ex propria quadam permanentia, proprietatibus illis rationem participantibus, vna ſimul, atq; multiplex eſſe debet: cum iuxta ſeipſam totam ſimul, atq; ex ppria conuenientia, cum vnoquoq; cognoſcẽdo conueniat. Inſtat autem Plutarchus, qua ratione, cum ſuperius animam formaꝝ recipiendarum vim habere Ariſtoteles dixerit: neq; omnem huiuſmodi eſſe enũciarit: ſed eam tñ, quæ intelligẽdi vim habeat: nunc & ſenſum quoq;, inquit, ſenſilium formas eſſe, aut poteſtate, aut actu. Atq; reſpõdendo inquit, qd' intelligendi vim habere in illis inquit, oẽm ſimul animam, quæ rationis particeps ſit: intelligentẽq;, atq; ſentiendi vim obtinẽtem, eo nomine appellauit. Quo cõueniat cum iis, quæ hic dicunt. Qd' ſcilicet non ſolum ſcd'm intellectum: ſed & ſecũdum ſenſum formas recipit. Nos aũt & ibi quoq; innuebamus, qd' ipſo formaꝝ vocabulo magis ppriein ſubſtãtiis philoſophus vtebat. Accidentium nãq; formæ, aut formæ vocãdæ non ſunt: vt in ſexto eius tractationis ait, quæ poſt naturalia ſequit: aut alio modo, & demiſſo, ſunt formæ. Forſanq; haud ſimpliciter formæ: ſed totũ id, hoc eſt, accidẽtes formæ appellandæ ſunt. Quẽadmodum nunc quoq; ſenſilium formas dixit, eas, quæ in ipſo ſenſu reperiunt: hoc eſt, ipſa accidentia. Hmõi nãq; ipſa ſenſilia, quatenus ſenſilia ſunt. Quæ vero ſciri queunt, ſimpliciter formas nominat, tanquam ſubſtantias.

Dubitatio.

Reſponſum.

Dubitatio Plutarchi.

Rñſum Plutarchi.

Rñſum Simplicii.

TRIGESIMANONA PARTICVLA.

QVONIAM autem neq; res ulla eſt, præter magnitudines, ut uidentur ſenſilia, ſeparata, in formis ſenſibilibus ipſa intelligibilia ſunt.

EXPOSITIO.

Quod nos iuxta vnumquodq; indicabamus, quando ipſe philoſophus dicebat, intellectum in iis, quæ imaginatione cõcipiuntur, formas contemplari: qđ ſcilicet, haud omnem intellectum ſimpliciter volebat: ſed aut eum, qui in actione verſaretur: aut eum, qui cum ſenſu, atq; imaginatione connexus eſſet: quo quæcunq; ſenſilia ſunt, quæq; imaginatione concipiuntur, perciperet: ita nunc Ariſtoteles communi ratione hæc determinat. Hæcq; meta eſt, eoꝝ quæ propoſita ſunt. Docere ſcilicet in quibuſnam intellectus imaginatione vtitur, adiutrice. Nam ſine hac non cognoſcit in cognitione ipſoꝝ ſenſilium, aut eoꝝ, quæ imaginatione concipiuntur. Siue tanquam ea, quæ in actione poſita, ſiue tãquam ea, quæ cognoſci debeant, ſolum exiſtant. Nam cum particularia ſint, ex neceſſitate adiutricibus illis vtuntur cognitionibus, quæ in eodem cum ipſis collocantur ordine. Neq; enim quemadmodum nonnulli ex peripateticis fecerunt, omnem intellectum, non ſine viſo agere, Ariſtotelem dicere opinari debemus. Quid enim ſanè etiam, inquit, in ſenſilibus videri, nihil eſſe ſeparatum à magnitudine, hoc eſt, à dimenſione. Huiuſmodi nanq; eſſe dicit, ipſa ſenſilia: quæ haud ſeiuncta ab interuallo. Hæc ſanè igitur, quæ in accidentium naturam incidunt: quæq; vnà cum interuallo inſeparabiliter ſubſiſtunt: cum quantum ſit & ipſum accidens, in formis ſenſilibus ipſa intelligibilia ſunt. Formaſq; ſenſiles totum id Ariſtoteles vocat formas inquam ſenſilium, quæ in ipſo ſenſu, atq; imaginatione ſunt. Intelligibiles autem ſunt, ipſius intellectus intellectiones: Nihilq; aliud dicit, niſi quod & antea quoq; dixit. Quod inquam intellectus formas in ipſis ſenſilibus, atq; in iis, quæ imaginatione concipiuntur, intelligit. Non autem ſimpliciter omnia. Neq; enim & ea, quæ ſine materia ſunt. Sed quemadmodum nunc manifeſtè addit.

QVAEQVE in abſtractione dicuntur, & quæcunq; ex ſenſilibus, habitus, & affectiones. Et ob id, neq; non ſentiens quidpiam, quicquam diſceret, aut intelligeret. Cumq; contempletur, neceſſe ſimul cum uiſu contemplari. uiſa nanq;, tanquam ſenſa ſunt, præterquam ſine materia.

Ex his, quæ quidem in abſtractione poſita eam habent vim, vt mathematica indicent. Habitus vero iuxta primam, ac quartam qualitatis ſpeciem conſiderant. Valetudineq;, figuras, & formas præ ſe ferunt. Affectiones aũt paſſibiles qualitates ante oculos ponere cõ ſueuere. Intellectus nanq;, qui hæc intelligit, vt iam dictum fuit, ſenſu, atq; imaginatione vtitur adiutoribus. Hæc quidem igitur ſine ſenſu, haud potis eſt anima noſtra: quæ ſemel tota extra defluxit: neq; amplius valet, tanquam ex cauſa, ea excipere: ſed neceſſe per ſenſum ipſa percipere. Quemadmodum cum deſit ſenſus aliquis: neq; enim omnino ſine ſenſu quempiam Ariſtoteles nobis ſubiicit: nam neq; cognoſcere is potis eſt. At qđ ſine ſenſu aliqua ex parte exiſtit: neq; aliquid eoꝝ cognoſcere ualet, quoꝝ ſenſus eſt. Et in cognitione eoꝝ ſecundum actum, licet haud ipſa ſenſilia: attamen imagines illas, quæ ab iis imaginationi conceduntur, poſſidet. Idq; indicat illud, uiſa, ex neceſſitate ipſum contemplari. In ipſis autem philoſophi uerbis, quæ obſcurius quodam modo ita ſeſe habẽt, cum dicebat, Quoniam autem ſic res nulla eſt præter magnitudines, ut uidentur, ſenſilia, ſeparata. Trãſponere debemus poſtremam hanc particulam, ſeparata. Quo manifeſtius, qđ dicitur, exiſtat. Quoniam autem ſic, res nulla eſt præter magnitudines ſeparata. Hiſq; uerba illa addere debemus: ut uidentur ipſa ſenſilia. Illudq; ſciendum eſt, qđ ſenſilia haud ſumpta fuerunt, tãquam exempla eius, qđ à magnitudinibus ſeparatum ſit: ſed potius contrarii, hoc eſt, eius, quod inſeparabilis. Oportetq;, poſt dictionem illam, ſeparata, parumper, ubi quemadmodum nos fecimus, de loco mota fuerit, interſpiranteis inferre illud, ut uidentur ipſa ſenſilia. Ita, ut haud ad illud, ſeparata, ſed ad id, qđ antea dictum fuit, nihil eſſe præter ma-

gnitudines, referat. Ipsa nāq; sensilia, omnino, vt dictum fuit, in interuallo, collocata sunt. Illa vero particula, videntur, adiecta fuit, vt & Alexander nouit: quemadmodum ipse quidem exponit, propter mobiles cæli formas, quæ separabiles sunt. At, vt ego opinor, nō solum propter illas: sed & propter naturaleis formas eorȝ, quæ ortui obnoxia sunt. Nanq; illas separabiles esse inquit, in secundo naturalis auditionis: quatenus non egent, quo sint, interuallo, aut omnino accidentibus. Econtrario q;, suo ipsarȝ esse, & iis, quæ circa eas versantur. & quæ circa compositas substantias, quamcunq; permanentiam largiuntur. Appellamus autem sensilia proprie quidem, & tanquā sensilia, quæ sub sensum cadunt. Quæ vere ipsa accidentia existebant. Persæpe vero & substantias, quæ à forma stant, ac formaleis dicuntur, sensiles ex accidentibus nominamus. Quemadmodum & Galenum significare volentes ex medico indicamus. Et ex eo, quod simus, aut caluus Socrates manifestat. Propter hæc ita q; illa particula, videtur, hic locum consecuta est. Nanq; si sensilia, tanquam sensilia accipiantur, nihil re uera præter magnitudines, aut interualla sensile existet. Si autem vel cum naturalibus substantiis sensilis vocabulum commune reddatur, non vere illud se se habebit. Sed videtur solum nullum sensile esse separatum à magnitudine. Quia ergo in positione illa, quæ nullum sensile separatum à magnitudine in sensilibus formis reperiri inquit: hoc est, in iis, quæ in sensu sensilium rerȝ acceptæ fuere: intellectus cognoscens intellectiones, quæ de his habentur, fulcit: vel ex imaginibus illis, quæ ex his formis in imaginatione innascuntur: & qd̄ ex particula illa, videtur, antea philosophus demonstrauit: manifestius nunc declarat, determinans quænam secundū rei veritatem sensilia sunt: quæ præter magnitudines non reperiuntur. Quarȝ etiam intelligibilia in sensilibus illis formis, & in iis, quæ imaginatione concipiuntur, apparent. Quæ nanq; in abstractione dicuntur, & quæcunq; sensilium affectiones, atq; habitus, & horȝ cognitio, in intellectu, à principio sine sensu, nunquam existerent. Neq; omnino eorȝ intellectio in intellectu reperiretur: nisi huiusmodi vteretur formis. Nam omnino à principio formis illis, quæ in sensu reperiunt, indiget. Ab his enim, vel imagines illæ ortum habent, quæ in imaginatione sibi sedem collocarunt. In intellectionibus autem illis, quæ postea de his sequuntur: vel iis, quæ imaginatione concipiuntur, ei satis, superq; est. Hac enim ratione visum à sensili diuersum existit: quod sensile in partibilem naturalem substantiam spectat: quam nunc materiam Aristoteles vocat. Licet haud eam intelligat, quæ postrema iis, quæ ortui obnoxia sunt, subiecta est. Quandoquidem & cælestia cum sensilia sint, in materia esse possent: vt nunc dicit. Visum vero quod accidens est, omnino quidem ex se substantiæ alicui nititur. Verȝ haud naturali: sed viuaci. Hancq; ob causam neq; in materia esse dicitur. Tametsi enim inseparabilis à corporibus imaginatio sit: quatenus vita, & substātia corporibus præstantior, ab iis inseparabilis est. Quemadmodum & forma, quæ in materia collocatur, à materia. Ideoq; haud ab iis inseparabilis est, quia innitatur: sed potius quia innixu careat, & complectat. Hisq; hæc philosophus addit.

Sensilia propriè

EST AVTEM imaginatio diuersum à dictione, & negatione. Complexus nanq; est intellectionum, quod uerum, aut falsum.

Cum imaginationem formam absq; materia philosophus esse dixerit: & nostrā quoq; animam rationis compotem, materia carere addiderit: confestim discrimen imaginationis cum ratione intulit. Quo & qd̄ eius à corporibus inseparabile ostendatur. Ratio quidem enim in complexu posita est, aut affirmandi vim obtinente: cuius loco, hunc, dictio sumpta fuit: aut negare valente. Ideoq; & ad falsum, verum'ue spectat. Imaginatio autem in simplicibus illis in angustum redactis permanet. Quippe quæ corporum formas referat: neque simplicia illa complecti queat, Ita, vt & tanquam vnum quoddam, quod ex pluribus confectum fuit, cognoscat. Nam partibiliter tantum eorȝ vnumquod q; nouit. Ideoq; veritatis, atq; falsitatis, quæ non sine complexu existunt, expers est. Licet vel ipsa, vel sensus, aliquando quidem veri aliquando autem falsi sint. Quod ex conuenienti, vel inconuenienti eorȝ, quæ simplicia sunt, cum ipsis rebus coagmentatione, atq; discrepantia fit. Quo ita q; ratio ab imaginatione distinguatur, particula hæc admota fuit. At cum dicere noster Aristoteles debuerit,

debuerit, complexus enim intellectionũ eſt, affirmatio, atq; negatio: ipſum verum, aut falſum protulit: & qđ ſequtur p eo, qđ p̃cedit, poſuit. Nã cõplexum vel verum, aut falſum cõſequẽs eſt.

PRIMAE uero intellectiões, qua ratione differrẽt ab eo, q̃ haud uiſa ſint. Nunquid neq; alia, uiſa: ſed non ſine uiſis.

Vel ex his non omnem intellectionem, imaginationem ſimul agẽtẽ habere Ariſtoteles docet. Præterea q; illud nos admonet, quod ne intellectio quidem illa, quæ ipſa imaginatione utitur, eadem cum imaginatione exiſtit. Sed tanquam præſtantior ea vtitur, quæ remiſſa eſt. Interrogat enim propter quam, cauſam, nõne & primæ intellectiones, viſa ſunt? Primas q; intellectiones appellat eas, quæ ſubſtantiarum cognoſcendarum vim obtinent, formas q; illas in primis cognoſcere valent, quæ ſine materia ſunt. Reſpondet q; quemadmodum neq; quæ antedicta fuere: quæ ipſe alia dixit: ea q; ſunt, quæ in ſenſibilibus formis, atq; iis, quæ imaginatione concipiuntur, extenduntur: viſa ſunt: ſed & illa viſis, tanquam iis, quæ ſubeſt nata ſint, vtuntur. Neq; ita interpretari debemus, vt primæ illæ intellectiones ſint, quemadmodum hæc, vt Alexander vult. Sed quod hæc quidem, licet haud ipſa viſa ſint: attamen iis vtuntur: quia haud omnino intellectiones fiunt, quæ ſenſilia ſunt, aut imaginatione finguntur, ſine actione ipſius intellectus circa hæc extrema. Nam vna cum cognitiõibus, quæ eundem cum ipſis ordinem ſeruant, quæ partibilia, atque ſenſilia ſunt, cognoſcunt. Primæ quidem illæ intellectiones ne omnino quidem vtuntur: neq; ad prima illa, quæ extrinſecus collocata ſunt, vergunt. In ſeparata q; illa vita eluceſcunt. At illud, quicunq; ingenio vales, conſidera, qua ratione per intellectum illum qui in actione, & per eum, qui in contemplatione verſatur, illum ex abſtractione, & eum, qui ſenſilium, tanquã ſenſilium demonſtrauit Ariſtoteles: & eum, qui ſubſtantias naturaleis, & harum formas, & eas, quæ in anima reperiuntur, contemplatur. Qualis qui ſcientiæ gignẽdæ vim habet, erat. Ad eum q; aſcendit, qui ſupremus, atq; ſubſtantialis ipſius animæ exiſtit. In hoc etenim primæ illæ intellectiones inueniebantur. Rurſum q; quod eius ſeparabile ſit, ſuo teſtimonio comprobauit: quia nulla ratione vergat, aut in ſenſum, aut in imaginationem. At hoc in loco ei ſermoni finem philoſophus noſter imponens, qui de omni eo, quod vim cognoſcendi habẽs in anima exiſtit. Habitus fuit: ad eam eius vim accedit: quæ corporum mouendorum facultatem obtinet. Quemadmodum ipſe determinat in iis, quæ ſequuntur. Nam cum iam perfecerit ſermonem illum, qui ad eam animæ partem ſpectat, quæ iudicandi poteſtatem obtinet: & partem illam quæ mouere valet, tractandum ſumet.

Diuinũ Ariſt. pgreſſum agnoſce.

QVADRAGESIMA PARTICVLA.

QVONIAM autem anima iuxta duas determinata fuit poteſtates, quæ animalium. Eo q;, quod iudicandi uim habet, quod cogitationis opus eſt, & ſenſus. & adhuc quia moueat motu ſecundum locum. De ſenſu quidem, & intellectu determinata ſint, tot. De ipſo uero mouente, quidnam eſt animæ, conſiderandum.

EXPOSITIO.

Alia qdẽ manifeſta ſunt. Inſiſtere aũt & nũc oportet: qm̃ qua cogitationẽ dixit, & intellectũ quoq; nũc appellat. Ita, vt intellectus nomẽ, quẽadmodũ & antea demõſtrauimus, ad eã oẽm vitã ptineat, q̃ rõnis particeps ſit. Ideoq; forſan & ad imaginationẽ accedit. At non ad eã, q̃ in iis aĩalibus reperit, q̃ ſine rõne ſunt: ſed ad eã, q̃ in hoibus extat. Totũ q; id, hoc eſt imaginationẽ rõnis cõpotẽ dicere dẽmus. Quã ẽt, Theophraſtus in ſuis naturalibus libris dubitat, verũ rõnis cõpotẽ, an experte facere debeamus. Inueſtigat aũt Ariſto. deinceps, vbinã locorum ea aĩæ vis ſit, quæ corpora in loco mouere valeat. Vtrũ in tota anima collocata ſit: aut aliqua eius particula determinate. Quod ſi particulam in anima nominat, cũ tñ antea id renuerit, quia ea partibilis non ſit: ſed vires, ſeu poteſtates habeat: quas alii particulas dicunt, haud admiratione dignum. Illud nanq; Ariſtoteles non ignorauit, quod in rebus iis, q̃ ſine materia ſunt haud ſine ſubſtantia vis eſt. Ideoq;, quẽadmodũ multas aĩa

Intellect⁹ nomine, quę ſignificentur.

Cur particulæ vocabulo vel in anima Ariſto. vtat.

vires,ac potestates habet:ita & multas quoq; substantias retinet. Quæ tñ illam substantiarum multitudine nequaquá habet diuulsam,ac separatá. Nam ea huic aduersabitur. Sed iuxta cõiunctionem maior in substãtiis existit cõiunctio,q̃ in viribus,ac facultatibus. Qñquidem & substantia facultate præstãtior existit. Ideoq; manifestius animæ philosophus multitudinẽ facultatum concedit. Demõstratur aũt,quod & multiplex quo ad substantias pertinet,est,iuxta coniunctionem illam,vt dictum fuit: ex eo,quod & particulas dixit.

VERVM una aliqua particula eius separabilis existẽs aut magnitudine,aut rõne, aut tota anima. & si sit particula aliqua, uerum propria quæpiá præter eas quæ dici consueuere,& eas,quæ dictæ sunt. aut illarum una quæpiam.

Cum dixerit particulá,addidit,q̃ separabilis sit,aut magnitudine,aut rõne: quippe cũ alii videantur,mutuo distractas ponere aiæ particulas. Ipse aũt qđ separatum eaq; mutuo sit, rõne tantũ hmõi esse cõsiderás,rõnem illá mutuá diuersitatẽ cum ꝓpietate significare accepit: magnitudinẽ vero distractam substantiá. Quádoqdem & ita apta est diuidi magnitudo,vt & mutuo inter sese distrahant̃ particulæ,q̃ hactenus cõtinuæ fuere. Nanq; in eo,qđ cõtinuæ sint, alia alibi collocat̃ pars,prima,aut media,aut extrema: q̃ localis partitio est: cũ nulla substãtia corpore carens,in loco sit. Quapropter illius particulæ totæ ꝓ totas aditum nactæ sunt. Neq; ꝓpter hãc cãm oino: vt & in iis quæ ꝓcessẽrũt,significauimus: vnã Aristo. ponit,& separatã totá nr̃am aiam: vt & vegetantẽ,& sentientẽ, & oino eá, quæ rõnis expers appellat̃,circũuertentẽ. Neq; n. penitus separari posset. Sed quẽadmodum in vita hac,quæ oium regq; fabricatrix est,& ostreo huic adiungit̃ corpori,sic multo ante, & vtis iis, q̃ corporis formã hñt: qñ haud adhuc viuit separabiliter. Nũc igit̃ tota vna iudicat̃ apud Aristo. esse,sed nõ semper. Inuestigat itaq;,siue vna quæpiá est eius particula, q̃ mouendoq; corporum ptãtem habet, siue ipsa tota,tanq̃ iuxta oẽm suiipsius ptãtem,mouendi vim habet. Ac si nõ tota,sed & vna quæpiã eius particula,vegq; vna quæpiam ex iis, quæ dicta sunt; vt quæ appetendi vim habet,aut aio cõcipiendi,aut sentiendi,aut rõcinandi,aut alia quæpiã; ꝓter eas,q̃ dictæ sunt,q̃ & circũferri cõsueuere. Videt nãq; Plato in tres ptes aiam diuidẽs, in rõnem,indignationẽ,& appetitionẽ,solũ diuidere,& solũ tradere,ptem eã,quæ rõcinádi vim obtinet: & q̃ cũ cognitiõe rõne carente appetẽdi vim hẽt. Eodẽq; ꝓterea mõ, & q̃ in duas in eã q̃ rõnem hẽat,& in eá,q̃ rõne caret,ꝑm diuidũt. & hæc ea sunt,q̃ dici cõsueuere. In iis aũt quæ ꝓcessere,& cá quoq; dicta fuit. propter quá oẽs duobus iis in primis insigniunt aiam: & vi iudicãte,& vi mouente corpa. Qm̃,vt Platonice loquar, nõ solũ est ex se viuens, sed & aliis oibus,q̃cũq; mouent̃,fons,atq; principiũ est motus. hác qdem hñs ptãtem, tãq̃ corporũ cã: q̃ nõ solũ tanq̃ ex forma viuát: sed & cũ efficiente,atq; fine, quẽadmodũ ipse in prio huius tractationis determinauit. Illá vero iudicãdi vim secundum seipsam adipiscitur.

Magnitudo quomodo diuidatur. Nulla substãtia sine corpe in loco.

QVADRAGESIMA PRIMA PARTICVLA.

HABET aũt dubitationem,quonã pacto oportet particulas aiæ dicere,& quot. Modo.n. quodã infinitæ apparẽt. & mõ solũ quas quidã dicũt, determinãtes, rõcinantẽ,atq; irascentẽ,& appetentẽ. Alii uero eã,quæ rõnem habeat,& eã quæ rõne careat. Iuxta differẽtias.n. per quas has seiungũt,& aliæ apparẽt particulæ maiorẽ distãtiã habẽtes his: de qbus & nũc dictũ fuit. Quæq; nutriẽdi uim hẽt: q̃ & plãtis inest,& oibus animalibus,& quæ sentiendi,quá neq; tanquã rõne carentem, neq; tanquam rationem habentem aliquis facile poneret. Præterea quæ imaginatione concipere potest: quæ ipso quidem esse,ab omnibus est diuersa.

QVADRAGESIMA SECVNDA PARTICVLA.

CVINAM aũt harũ cadẽ,aut diuersa,hẽt multã dubitationẽ: si aliquis posuerit sepatas particulas aiæ. Insup ãt q̃ appetẽdi uim hẽt, q̃ & rõne,& ptãte diuersa uideret eẽ ab oibus. & absurdũ fane hãc distrahere. In ipsa rõcinãte.n. uolũtas ẽ: & i ea quæ rõne caret,cupiditas,& indignatio. Sin aũt tres aiæ, in unaquoq; erit appetitio.

Quadragesimatertia

QV ADRAGESIMATERTIA PARTICVLA.

AC SANE & de qua nunc ſermo eſt: quæ mouẽs ſecundum locum animal eſt. Ipſum. n. iuxta accretionẽ atq; decretionẽ motũ q̃ oĩbus inſunt: q̃ oĩbus ineſt uideret mouere quæ gignẽdi, atq; nutriẽdi uim hẽt. De reſpiratiõe aũt, & expiratiõe, & ſomno, & uigiliis, poſterius inueſtigãdum. Habẽt. n. & hæc multam dubitationem.

EXPOSITIO.

Qui particulas dicit, multas ꝓfecto dicit ſubſtãtias. Partes. n. ſubſtãtiaꝝ & ipſæ ſũt ſubſtãtiæ quẽadmodũ in ꝓdicamẽtis determinauit. Hæcq; ſanè multitudo, q̃ unius alicui? exiſtit totius ꝓſpicuũ eſt. Particulæ nãq; ſunt: q̃ mutuo diuiſæ nõ ſint. ſed & toti? ſint. Aliæ q̃dẽ ita ſunt, vt q̃ cõtinui: q̃ ita, atq; ita poſitæ ſunt, & diuiſæ ſcdm locũ. Aliæ vero, eo mõ q̃ cõuenit iis, q̃ ſine corpe ſunt: cũ una quæq; i oĩbus ſit, & nullibi loco coerceat. Quẽadmodũ & in ipſis naturalib? formis, calidũ exẽpli gra ignis a leui diſtiguimus, nõ ſcdm locũ ea dimouẽtes, ſed iuxta ꝓprietatẽ. Verũq;. n. ibi ẽ, vbi & reliquũ. Mãifeſte ſanè Ariſto. eadẽ hagẽ, quæ aĩæ particulæ dĩr, diuerſitatẽ, cõprobat: vbiq;, ipſo eẽ, atq; rõe, eas mutuo differre enũtiãs. Haud tñ ſtatuẽs ſepatas eas iter ſeſe cõſiderare, neq; diſtractas: partitionẽ ab ipſis auertit, eã, q̃ corpibus, atq; oĩno cõtinuis cõuenit: cũ ſcdm locũ ſit, vt diximus. Neq̃ quã igit̃ aduerſus multitudinẽ ꝓticulaꝝ aĩæ ſimplr̃ pugnat, fatet̃. n. rõne eẽ multas: ſed aduerſus id qđ diſtractũ, atq; ſcdm locũ ſepatũ. Mouet ãt oĩno nũc de hac re ſermonẽ: eã eius ꝓticulã iuenire volẽs, q̃ corporũ mouẽdoꝝ vita hẽt: tantea ſanè, & eã ipſam diſtiguẽs, qđ & i ꝓœmio tractat. Quonã pcõ i aĩa ꝓticulã itelligere oportet: qm̃ nõ corporeæ, ſed ita, vt iis q̃ ſine corpe ſũt, cõueniat. Illa itaq; ꝓticula quonã pcõ, eã hẽt vim, vt ei modũ ſignificet ei? qđ corpis formã hẽat, aut ſine corpe ſit. Illud ãt, quot, patet qdẽ, q̃ multitudinẽ mãifeſtat: ſed nõ id, qđ oĩno diuiſum ẽ, vt equus forte fortuna, & lignũ. ſed qđ cũ q̃dã cõiũctiõe, vel ipartibili, quẽadmodũ i pũcto prĩcipiũ, & finis cõiũgũt̃ ipartibiliter: vel ꝓtibili, vt i linea ꝓticulæ cũ cõtinuita teiũgunt̃. Neq; fruſtra, illud, quot, addidit. Sed demõſtrãs, quẽadmodũ cõtinui ſimplr̃ iuxta loci iterualliũ dĩr ꝓticulæ, ſine diuerſitate ea, q̃ ſcdm rõnẽ eſt. Quẽadmodũ, ſeſe hñt rectæ lineæ ꝓticulæ. Aliq̃n uero nõ ſolũ hoc pcõ ſed & rõne quoq; differũt, vt neruꝰ, & caro, & qm̃, q̃ tãq̃ cõtinui ꝓticulæ, ĩfinitæ ſunt ptãte. In ĩfinitũ. n. oẽ cõtinuũ diuiſibili ẽ. Quæ vero rõne differũt, licet cõtinui ſint ꝓticulæ, licetq; a nobis cõprehẽdi nõ poſſint, attñ haud naturæ ipſi talis exiſtũt. Multitudinẽ. n. i tertio naturalis auditiõis dictũ fuit, vbi totũ, atq; pfectũ, & nõ ĩfinitũ iis q̃ ſunt cõcedẽs, demr̃auit, ĩ ipſo fieri tãtũ, qđ ĩfinitũ eẽt collocari, & nõ i ipſo eẽ. Recte itaq; & de aĩa illud dictũ fuit, mõ. n. quodã ĩfinitæ. Qm̃ licet nõ adhuc diſtinctæ ſint, ſeu tãq̃ cõtinui ſint eius ꝓticulæ: ſiue tãq̃ eius, q̃ ſine corpe ſit, oĩno qdẽ erũt finitæ. Qñqdẽ nõ tãq̃ cõtinui ſimplr̃, ſed ceu rõne differẽtes dĩr. A nobis ãt forſan cõphendi nõ pñt, qa ſcdm plurimos modos diuidunt̃, ſepabili exẽpli gra, atq; iſepabili, rõnali, atq; irrõnali, cognoſcẽte, atq; mouẽte, cõtẽpláte, & appetẽte, & ſcdm rõnẽ appetẽte, aut abſq; rõne. & pficiẽti, atq; eo, qđ pficit̃. ꝓterea ſentiẽte, atq; nõ ſentiẽte, plurimiſq; & aliis quoq; differẽtiis. Hoc itaq; mõ appet, qa a nobis cõprehẽdi nõ pñt: donec ita nos hẽamus, q̃madmodũ nunc hẽmus, deficiendo. ſ. aut ita vt oẽs ꝓcuramus. Neq;. n. ſufficit neq; q̃ in duas ptes diuiſio fit: q̃ oẽs aĩæ ꝓticulas declaret, q̃ irõnem, atq; id qđ rõne careat, fit. neq; q̃ i tres ptes apud Plato. in libris de republica, in rõnem, & idignationẽ, atq; appetitionẽ. Qm̃ neq; illæ ꝓpoſuit toti? aĩæ diuiſionem facere: ſed ea, quoꝝ ad uitã in actiõe poſitã idigebat, tria inquã ſola accepit. Quemadmodum & Ariſtot. in moralibus iuxta electionem determinans, electionem q̃ in ratione, atq; appetitione collocans: nõ tamen in ea quæ ſecundum rõnem exiſtit: ſed in ea quæ ſine ratione. Aduerſus rationem. n. ab eo appetitio opponitur. & ille itaq; in rationem, atq; appetitionem diuidere videtur: nõ totam tamen animam, ſed eam quæ in actione poſita, atq; moralem, idq; vel Plato etiam fecit prætereq̃ quod appetitiõem rõne carentem, in indignationem diuiſit, atq; deſiderium. Idq; neceſſarium erat moribus ad inſtõnem ꝓtinentibus, qa in diuerſitate ipſa deſiderii, aduerſus rõnem, indignationem ſemper nationi adeſſe oportet. Hæc qdem igit̃ pro Platone ita dicta ſint. Manifeſtum ãt, eſt, q̃ magis a rõne vegetans pars differt ſecundum ſubſtantiam, quam quæ irrationalis appellatur eius particula,

Particulæ

Hæc.n.ſecundum plura cum rõne cõis eſt,& tanq̃ cognoſcens,ſentiens ſq; aut & imaginatiõe cõcipiẽs,& tãq̃ appetens. Appetit?.n.qdã, & rõnis volũtas eſt.& tãq̃ mouẽs corpa ſcdm locũ. Illud ãt ab oĩbus his abfuit. Quæ ãt ſentiens eſt:nõ tãq̃ & ipſa magis recedat à rõne, q̃ iracũdiæ formã hñs,& deſiderãs,memoria digna iudicata fuit. ſed tanq̃ diuerſa ſimplr ipſa appetẽs ſit,cognitiõis náq; nomẽ ſenſus eſt. Indignatio vero,atq; deſideriũ appetitionũ:qp pe q̃ ex ipſa cupiditate nomen duxerint.licet oĩno & ſimul quoq; trahaĩ cognoſcẽs, qñqdẽ neq̃ quã poſsibile eſt ſine cognitiõe appetere. Qd̃.n. ſentientẽ nõ tãq̃ magis recedẽtẽ accepe rit,ſed cõtra tãq̃ pſtãtiorẽ ea,q̃ ſine rõne appetit,& q̃ magis vicina ſit,rõni, idicauit dubitãs, vtꝛ tãq̃ rõnis participẽ ipſam collocare dẽamus,aut tãq̃ rõnis exptẽ.Náq; oẽ qd̃ cognoſcẽ di vim hẽt,vt generatim loquar,pſtãtius eo appetente exiſtit,qd̃ ſibi pximũ eſt. Cum illud ſemp cognitiõe indigeat,quo appetat.Id ãt nihil illo,quo cognoſcat:& ipm qdem dirigere vr̃ ſcdm naturã appetitiõem. Qñqdem & qd̃ recte appetit, cognoſcere antea oportet ipſam rectitudinem. Qd̃ ãt appetendi vim hẽt,cũ cogat cognitiõem,cũ ipm p̃cedens ſit, atq; ĩcitãs ad ea q̃ nõ oportet,cognitiõem machinã aliq̃ ad hoꝛ adeptiõem excogitare. Licet qdẽ igiĩ & gñatim dicere q̃madmodũ dcm̃ fuit,oẽ qd̃ cognoſcendi vim hẽt,appetente ſibi pxio pſtãtius eſſe. Qm̃ & alteꝛ qdem ad finem tendit,alteꝛ vero ad ifinitũ, vt Philebo demõſtratũ fuit. Mãifeſtius ãt id appet,& ĩ nr̃o ſenſu,& ĩ appetitiõe humana rõne carente. Rõnis qdem .n.particeps vterq; q in hoie eſt,& ſenſus,& appetitus. Atq; is cum rõnis pticeps ſit ad modum cõuertiĩ,& magis q̃ in iis q̃ rõne careãt,cum p̃terea ſumat,qd̃ rõnis ſagax, atq; ingenioſum,atq; inde in ſupremã deferaĩ malitiã. Senſus ãt cõtra ppter rõnis formam in id qd̃ pſtãtius extendiĩ:ita vt & ſeipſum quoq; ſentiat,atq; rõnis cõuerſionem in ſeipſam imiteꝛ. Videbaĩ.n.nobis & antea haud cõe id cuiuſcũq; ſenſus eſſe,ſentire,ſ.qd̃ ſentiat:ſed eius ſolius,qui rõnis particeps ſit. In primis qdem ipſius cõis, ſed iam & vniuſcuiuſq; ſingillatim. Qd̃ itaq; rõnis expers eſt in primis appetitioni rõne carenti Ariſtoteles concedens,q̃ ppter intenſam extenſionem ad ea, q̃ extra,ne cohibere qdem,aut gubernare ſeipſum põt, tanq̃ pſtantiorem hmõi rõnis carentia hmõi ſenſum videns, medium inter appetitum rõne carentem,atq; rõnem ipſam collocat.atq; vtriuſq; quadam rõne participem eſſe vult. Ipſius quidem rõnis qm̃ finis formam retinet,& ppter collectionem illã in id,qd̃ impartibile,atq; cõuerſionem,quodã pacto in ſeipſum. Ipſius autem appetitionis ppter ipſam corpoream ſubſtantiã,& quia eoꝛ,quæ extra collocata ſunt,exiſtit. Atqui de eo qd̃ imaginatione concipiendi vim habet,id ſolum & nunc in memoriã reduxit,q; ipſo eſſe,ab oĩbus eſt aliis particulis diuerſum.ſubiecto vero,ſiquis ſeparatas ſcdm locum interpretaꝛeĩ aĩæ particulas, dubitationem multam afferre dixit, ſiue oporteat & ipſum ab oĩbus aliis ſeparare, ſiue & tanq̃ idem vni ex aliis ponere.ad alias accedit aĩæ poteſtates. Sed q; quidem ipſo eſſe ab omnibus differat,ex iis,quæ ſuperius de eo tractata ſunt,habemus. Propter quam autem cauſam de eo ſingillatim protulit,quemadmodum magnã, iis qui particulas ſecundum locũ ſeparant, præbebit dubitationem. Siquidem idem ſit vni ex aliis ſubiecto ſcilicet. Quod.n. ipſo eſſe differat,& nunc quoq; dictum fuit. Siue ab oĩbus & ipſum ſit diuerſum, tanq̃ pria quæpiam'particula magnitudinis,aut quoniã magnam qdem cognitionem cum ſentiente p̃fert. Qñquidem iuxta formas ſemp partibiles,atq; ſenſibilibus ſimiles agit.& qñquidem & imaginatio corporea eſt cognitio, ppter hanc q; cãm idem eſſe poſſet ſubiecto cum ſentiente,qd̃ cogitatione cõcipiendi vim habet. quemadmodũ & ei magis viſum eſt. Quoniam aũt non amplius præſentibus indigebat oĩno ſenſibilibus, poſt primum motum,ad cognoſcentem eorum actionem,ſed & multum haberid,qd̃ in nr̃a poteſtate,cum ipſam pmere velimus,ea rõne,cognitiõem magnam cũ poteſtate rõne vtente manifeſtat. Habet aũt,& qd̃ medium opiniõis,atq; ſenſus iuxta qd̃ & Plato in cõplexiõe hoꝛ amboꝛ imaginationem ponebat,tanq̃ ppter medietatem vtrunq; participaret. Iure itaq; dubiũ ſit, iis q haud confeſtim oẽs inter ſeſe mutuo pmeare aĩæ particulas volunt, ſed ſcdm locum diſtare faciunt,veꝛ & id à ſenſu,atq; opinione diſtat,an cũ vtroq; eoꝛ ſubiecto idem eſt. Quod.n.appetendi vim habet,perſpicue à rõne diuerſum eſt, vt & eius actio indicat,& vis quæ actiones aſsignat. quapropter & adiecta fuit rationi poteſtas. Neq;.n.cũ cognoſcente idẽ eſt,cũ idicãdi vim nõ habeat ipm appetens,neq; cũ nutriẽte.id.n.nullo pcõ,cognoſcendi vim

di vim habet, quod autem appetens exſtit, omnino cum cognitione eſt. Et omnium confeſſione id haud ſeparatū eſt ſubiecto, neq; à rōne, neq; ab eo quod animo cōcipiendi vim habeat. Nāq; in ipſa rōne, eſt quædā appetitio voluntas, & in ipſo cogitatione concipiente, iraſcēs, atq; deſiderās. Neq; n. poſsibile eſt ſine cognitione, vt dictū fuit, appetere. quapropter cū cognitiōe aliqua oīno ineſt. Abſurdū itaq; eſſe belle enūtiat, diſtrahere qđ appetēdi vim hēt, ab aliis. Perſpicue. n. cū iis quæ cognoſcēdi vim hñt, ſubſiſtūt indignatio, & deſideriū, & cōfeſtim ſunt appetitiōes, & illa aīæ particula quæ mouēdi vim retinet, iis q ita ſeparant aīæ particulas, dubitationē p̄bet. Quēadmodū. n. qđ appetēdi vim hēt, in rōne atq; imaginatiōe apparebat: ſic & qđ mouēdi vim hēt, cū appetēs nō ſine cognitiōe ſit, vt dicet, rōnis particeps erit, aut cogitatione cōcipiēs, verunq; cum cognitiōe ſibi cōiuncta. Quare abſurdū eſt, illud ſeparare, vt in magnitudinibus. Haud tñ qd mouēs aīal ſit, dubitat, ſed qd mouēs ipſum aīal ſcđm locū. Qñquidē aūt nō ſimpliciter naturalis motus q̄lis q ignis exiſtit, cām nūc inueſtigamus, ſed eius q cū affectiōe, q in ipſis aīalibus eſt, qđ. ſ. ſcđm locū mouēdi vim hēat inueſtigās, & ſcđm alios quoq; motus vim mouēdi hñe cōfeſtim intulit. Quo & recta ſit, q̄ eius qđ ſcđm locū mouēdi vim hēat, additio. Eſt. n. & aliqd aliud, nō ſolū quale qđ naturaliter mouet, ſed & qđ extra vitā aliā quādā, quæ vegetās dr̄, quæ nutriēdi, & augēdi, atq; generādi vim hēt. Motus aūt & hi viuaces ſunt, ip̄m. ſ. nutrire, & augere, & generare. quoꝝ cā efficiēs, vegetās ipſa aīa, vt dictū fuit, exiſtit. Qñquidē & ſola, & oīa hāc habētia hmōi cōſequuntur motus. In libris aūt de memoria, atq; ſomno, & in libello de reſpiratiōe, & expiratiōe, propriā determinat ptātem, eā, quæ hoꝝ motuū, q & quidā ſunt, eſt effectrix, cū viuaces & ipſi ſint, haud tñ vegetāti proprii. Neq; n. dormiūt plantæ, neq; ſentiunt, neq; pfecto reſpirāt, aut exſpirāt. neq; ſimpliciter tanquā aīalis vitæ inſunt, niſi pfecto ſomnus, & vigiliæ. Videtur. n. mortalia oīa, vt alibi quoq; philoſophus vult, licet & nō oīa viſa fuerint, aliqñ dormiētia, at à rōne cognoſci, tanq̄ ſomnum aliqñ participantia. propter indigentia mortalis vitæ, quæ quiete aliqñ indiget, & quæ nō valet, abſq; vllo interuallo ſenſu vti. ipſa quidē reſpiratio, & exſpiratio cū haud oībus inſit, ſed iis ſolis q pulmonē hñt, ppria eſſet alicuius alterius vitæ particularioris p̄ter cōem animaliū oīum aīam. Quare recte dictū fuit, & illud, & hæc multā hñt dubitationē. Neq; n. facile eſt aſsignare, q nam vita hoꝝ motuū cā ſit, neq; n. quæ ſcđm locum. qm̄ neq; ſcđm locū mouent, quæ ſentiūt, aut dormiētia, aut reſpirātia, aut exſpirātia. qm̄ neq; tota locū mutāt. qđ ppriū erat motus ſcđm locū. neq; vegetās, illa nāq; neq; oīno cū appetitiōe eſt. Reſpiratio āt; & exſpiratio, & ſomnus, & vigiliæ, habent quidem aliquid & neceſſarium, hñt tamen & id quod cum appetitione. Cohibemus itaq; interdum, atq; prorogamus iuxta appetitionem quæ in nobis exiſtit.

QVADRAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SED DE motu ſecundum locum, quid mouens animal progredienti motu, inueſtigandum. Quod quidem igitur haud nutriens uis, dilucidum. Semper. n. cauſa alicuius motus ipſe. Et aut cum imaginatione, aut appetitione eſt. Nihil. n. nō appetens, aut fugiens mouetur. ſed nunquid uiꝝ præterea ſi plantæ mouendi uim haberent etiam haberent aliquam particulam inſtrumentariam ad motum hunc.

EXPOSITIO.

Multa nobis diluciditas atq; abūdātia i inueſtigatōibus adeſt, ex oppoſitoꝝ cōparatiōe. q̄ et nūc philoſophus vtit, quænā ipſæ vitæ nequaquā ſcđm locū mouētes ſint antea exponēs: quo ex cōparatiōe cū his, facilius mouētē ipſam ſcđm loc̄ū inueniamus. Quā ſanè pgrediētē dixit, qppe cū haud ſimpliciter ſit localis, ſed viuaciter locales. Ipſum nāq; pgredi cū appetitiōe ē. Atq; hactenꝰ q neq; quā vegetās vita moueat ſcđm loc̄ū demōſtrat, pgredientē motū volēs oīno alicuiꝰ rei cā fieri, nō tāq̄ accretio, aut nutritio haud alicuiꝰ cā fiāt (ad aliquē. n. finē oīs motꝰ ſcđm naturā fieri) ſed aut totū id cōiungendū, quēadmodū cā alicuiꝰ ambulatio fit, & aut cū imaginatiōe, aut appetitiōe. Ne ſpeciatim illud alicuiꝰ cā dicamus de ambulatiōe. ſed totū id cā alicuiꝰ cum imaginatiōe, aut appetitiōe, aut ſi id violentum videtur, ꝓpter cōiunctionem illā, & quæ interiecta fuit in eo, & aut cum imaginatione videt. n, hmōi coniunctio occaſionem præbere alterius argumentationis, ipſum illud, cā alicuius,

Pagination

Incorrect

nunc ſic interpretandum, tanquam cognoſcendo deſtinctum ſit ab ipſo, cuius gratia. Ita vt quod progreditur, finem antea cogitatione conceptum, vel intelligens, tanquam cauſa alicuius motũ ad eũ aſſumat. Quod ita ſanè cã alicuius omnino iis non inerit, quæ vegetando mouentur, & erit nobis aliud argumentum illud, & aut cum imaginatione, aut appetitione eſt. Oppoſitio autem videtur mihi non ſimpliciter cognitionis, atq; appetitionis eſſe, quoniam imaginatio vocabulum cognoſcendi vim habẽs, eſt. Omnino.n. & appetẽs, & cognoſcens ipſum mouẽs eſt. Verum ipſius appetitionis diuiſio mihi eſſe videtur, cum aut cogitatione concepta ſit, quod illud indicat cum imaginatione, aut rationis particeps, quemadmodum in iis quæ cum cogitatione, atq; ratione mouentur, cum & illa ex voluntate, atq; rationis participe moueantur cognitione, & non adhuc imaginationem ſequantur. Manifeſte.n. & ipſe intulit, nihil moueri non appetens. Quare & quod cum imaginatione mouetur, appetens mouetur. Igitur & vermes, & erucæ mouentur cum adhuc non habeant, quod appetendum præſens. Sed quo conſequantur illud. Sic autem hoc ita ſeſe habet, & antea quoq; cogitatione concipiunt illud, quo appetant. Neq;.n. ſentiunt cũ præſens non ſit. Verum propter indeterminatam eorum imaginationem, vbiq; & Ariſtoteles, & hic quoq; Plutarchus qui philoſophi nomine dignus eſt, non cenſeat imaginationem his animalibus concedendam: cum imaginationis vocabulum non ſolum de determinata ferat, ſed & de ea quæ doceri poteſt. Quapropter neq; apem imaginationẽ habere Ariſtoteles dicit, cum tamen determinatam habeat. Nihil.n. inquit, non appetens, aut fugiens mouetur. Appetitionem nunc tanquam eius ſolius, quod inſequendum ſit, vocans. Quando & auerſio eius quod fugiendum eſt, appetitio quædam eſt, ipſum illud ſcilicet fugere cupiẽs. Illud autem, ſed nunquid vi, adiectum fuit, quandoquidem nonnulla ex animalibus cum præter ſuam voluntatem trahantur, nequaquam iuxta affectionem propriam mouentur. Illud autem idem demõſtrare valet q; ſcilicet vegetans vera cauſam ipſius motus ſecundum locum non habeat, quia plantæ progrediendi inſtrumenta non habeant. Conuenientia nanq; poteſtatibus ſemper conceduntur inſtrumenta. Quare ſi vegetans vita, mouẽdi ſecundum locum poteſtatem haberet, & inſtrumenta quoq; huic poteſtati cõuenientia haberet. Quoniam ita q; nõ habet, quia neq; ſecundum totum, neq; ſecundum particulas apta eſt moueri, dilucidum erit, quemadmodum neq; propria eorum vita mouentem huiuſmodi habebit facultatem. Neq;.n. deficeret in toto genere natura, ita vt præter naturam eis inſtrumenta deſint. Sin autem aliquis cauſam inueſtigaret, propter quam plantæ non egent, vt ſecundum locum moueantur, quandoquidem inquit Ariſtoteles, q; telluri radicibus innixæ habent præſentem ſemper nutritionem. Quid ita q; in iis quæ perfectius viuunt, nõne magis natura id ſtuduit, q; abſq; vlla moleſtia, atq; motu educarentur? Quoniam, dicam, perfectiorem habent vitam, & quæ haud iuxta ipſum nutriri ſolũ determinata eſt, ſed & iuxta alias ſentientes, & cogitatione concipientes, atq; rationis particeps vitas, & ipſum ſanè id, ad alia, atq; alia ferentes, & quaſi plura agentes. Huiuſmodi autem ipſum radices non egiſſe conuenit. Neq;.n. plura agerent, neq; ad multa ferrentur. Illudq; conſideres velim, quonam pacto hæc naturalis vitæ, tanquam eius quæ ſecundum locum non moueatur comparatio, occaſiones nobis præbet, ad inuentionem eius quæ ita moueatur. Si.n. ipſa vegetans propter hanc cauſam non mouet, quia finem nõ prægnoſcat, neq; appetentem habeat vitam, dilucidum eſt, quemadmodum mouenti omnino adeſſe has oportet poteſtates.

QVADRAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

EODEM autem modo neq; ſentiendi uim habens. Multa.n. ſunt animalium quæ ſenſum non habent. Stabilia autem ſunt, & immobilia propter finem. Si itaq; neq; quicquam natura facit fruſtra, neq; deficit a` neceſſariis præterquam in oblæſionibus, & imperfectis. Talia uero animalium perfecta, & non diminuta ſunt. Indiciũ autem quoniam generandi uim habent, & uigorem, atq; diminutionem. Quare haberent etiam inſtrumentarias progreſſionis partes.

Expoſitio.

EXPOSITIO.

Neq; quod ſentiendi vim habeat quemadmodum neq; vegetandi in cauſa eius motus qui cum appetitione fit, eſſe vult. Quatenus.n. id ſolum quod præſens eſt, cognoſcere valet, non autem illud quod præteriit, aut quod futurum eſt. Quod autem imaginatione cõcipiens eſt, cum manifeſtius ſentienti adſit, quo memoria prioris ad inueſtigationem feratur, iuxta id mouetur. Sin autem idem eſt, & ſubiecto quod ſentiendi vim habet, cum eo, quod cogitatione concipit, cum id ſecundum naturam hebes fiat, neceſſe & illud quoque hebes fieri. Perſpicua autem in animalib. exiſtit imaginationis remiſſio. Quo.n. eam nũc dimittamus, quæ in iis animalibus eſt, quæ rationem habent, at quæ in iis, quæ ratione carent, alia quidem huiuſmodi eſt, vt & aſſueſcere, & diſcere poſſint. vt quæ canum, & equorum, & vrſorum. alia vero quæ ab illa quidem ſuperatur, ſed memoriam determinatam habet. vt apes ad conſuetos flores, atq; propria feruntur aluearia. Alia autem indeterminatam habet memoriam eius quod appeti debet, vt quæ vermium quæ in nullum locũ determinatum mouentur. Alia vero ne memoriam quidem prioris habet, ſed ceu in id tantummodo quod appetendum, extenditur. qualis quæ in oſtreis. Licet.n. non præſente nutritione ipſæ hiauerint, tanquã deſiderantes ipſam, erit & in his tenuis, atq; hebes quædam imaginatio, tanquam nutritionis. Lignulo itaq; iniecto manent, quippe cum propter nutritionẽ hactenus hiauerint. Cæterum & quod ſentiendi vim habet, hebes factum eſt in ipſis, perſpicue quidem cum à tribus præſtantiorib. deſeratur ſenſibus. Sin autem vnà cum imaginatione, & ſenſus hebetatur, iuxta id quod guſtandi, atq; tangendi vim habet, illud hactenus omnium confeſſione conceſſum eſt, q; haud quatenus ſentientia animalia progrediuntur. profecto.n. ſic & ipſæ quoq; oſtreæ progredi poſſent. Abſurdum nanq; eſt, ea tantum accuſari, quippe cum eis non adſint progrediendi inſtrumenta, tanquam eis quidem vis inſit, quæ mouere poſsit, ſed haud moueat propter inſtrumentorum carentiam. Præter naturam.n. & aliquando, & quibuſdam adeſt poteſtatibus propriorum inſtrumẽtorum defectus. Nihil itaq; totis formis, quæ perpetuæ ſunt, atq; ſecundum naturam ſubſiſtunt præter naturam euenit, ſiquidem ei, quod ſecundum naturam quod præter naturam contrarium eſt. In quib. itaq; nõ perfectum quod ſecundum naturam id accidit. In ipſis autem totis, & perfectis omnino & perfectum adeſt. Quapropter neq; ſuperuacaneum quid in ipſis totis fit, neq; deeſt aliquid eorum, quæ neceſſaria ſunt. præterquam, inquit, in diminutis, atq; imperfectis, tanquam in his natura deficiat, ad ea quæ neceſſaria ſunt, omnino tradẽda. In ipſis itaq; diminutis, inquit, haud admiratione dignum eſt. Diminuũtur.n. nõ totæ formæ, ſed aliquando, & quædam ex atomis, quæ ſub formis ſunt. In quib. nõ eſt, quod ſecundum naturam perfectum, ſed quodam pacto, & quod præter naturam ipſis adeſt. Quapropter & corruptibilia hæc ſunt poteſtate, cum à principio nõ ſint, quod vere ſunt. Quæ vero imperfecta, vt licet ex iis quæ alibi ab eo dicũtur, cõiectura aſſequi, & in totas formas ſeſe extẽdere videtur, quæcũq; nõ omnes habẽt ſenſus. quemadmodum talpa, & purpura licet progrediẽdi vim habeãt. Quonam igitur pacto in totis formis, quod præter naturam eſt? Quod.n. deficies præter naturam eſt. Nũquid quod imperfectum, quemadmodum iam dictum fuit, aliud quidem dicitur, tãquam reſpectu formæ quemadmodũ cæcum dicimus imperfectũ, in ipſam intuẽtes humanam formam, quæ oculis vtitur? aliud vero tãquam reſpectu proximi generis, quãdo & formam imperfectam dicimus, quæ in aliquo deficit, eorum quæ proximum ipſum genus aptum eſt habere. Hoc enim pacto talpã dicimus imperfectam, in illud intuẽtes animalium genus, quod progrediendi vim habet. in quo apta eſt, & cernẽdi vis ineſſe. Cum hac itaq; talpa careat, imperfecta tãquam reſpectu generis dicetur. ſed nõ reſpectu formæ, quæ apta quidem eſt, vt habeat, ſed nõ habet. Quod nanq; progrediendi vim habet, inſitum erat, ſed hæc nõ erat propria talpæ forma. Quoniam quatenus ad propriam ſpeciem ſpectat, perfecta omnis eſt talpa, quæ oculis ſolis priuata ſit. Hoc itaq; pacto & oſtreas quoq; perfectas Ariſtoteles demõſtrat. Huiuſmodi.n. inquit ex animalibus perfecta ſunt. & id nobis ſignificauit, ex vigore, & diminutione, atq; generandi facultate. qui quidem motus ſunt à vegetante ipſa vita cõcęſſi. quos cum habeant & huiuſmodi animalia, haud quia ſecundum naturam habeant, deficerẽt. Quod

Dubitatio Rũſum

enim ſecundum naturam, atq; præter naturam præſertim in vegetantem ipſam veram intuentes, iudicamus. Quod.n. animalia quoq; quædam ſint, indicat & oſtreæ cum ſenſum quendam habeat. Multo itaq; magis perfecta erit, & talpæ ſpecies, tanquam ea, quæ progrediendi vim habeat, atq; pluribus vtatur ſenſibus. Verum ſi reſpectu totius generis, qđ progrediendi vim habet, comparetur, imperfecta dicitur. Vigorem itaq;, & interitum, vel omnium confeſsione habent & oſtreæ. Ipſa autem generandi uis non apparet, niſi profecto, quemadmodum & in plantis. quædam haud quia fructus ferant, ſed ſeiunctis ramis fœtum habent. Ita & huiuſmodi animalia humiditate quadam dimiſſa à ſeipſis, propter ſimilium generationem, perfectam perficiunt recipientem terrã. Niſi profecto & prolem quidem ferre dicas, ſed haud omnino ſimilem. Quemadmodum muſca dicitur vermium generandorum vim habere, ſed non muſcarum. Concludit itaq; recto, quemadmodum haberent, & inſtrumentarias partes progreſſionis, ad eam dictionis partem, cõcluſionem hãc referens, quæ inquit. Si igitur natura, neq; facit fruſtra quicquam, neq; deficit in neceſſariis. Nam cum in medio meminerit, q; perfecta ſecundum naturã & talia ſunt, & cum breui interiecto ſpatio reddiderit, coniunctione illa, quare, vſus eſt.

QVADRAGESIMASEXTA PARTICVLA.

ATQVI neq; quod ratiocinandi uim habet, neq; qui appellatur intellectus eſt qui mouet. Ipſe quidem. n. cõtemplans nihil intelligit agendum. neq; dicit de fugiẽdo, & proſequendo quicquam. ſemper autem motus, aut fugientis aliquid, aut inſequentis eſt. Sed neq; cum contempletur aliquid tale iam iubet fugere, aut perſequi, ut perſæpe percipit aliquid timendum, aut ſuaue, nõ iubet autem timere, cor autem mouetur. Sin autem ſuaue aliqua alia particula.

QVADRAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

PRAETEREA & mandante intellectu, & dicente cogitatione fugere aliquid, aut perſequi non mouetur. Sed ſecundum deſiderium agit, quemadmodum intemperantes. Atq; omnino uidemus q; habens medicinam non medetur, quippe cum alius aliquis dominus ſit, ut ſecundum ſcientiam agat. & non ſcientia.

QVADRAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

ATQVI neq; appetitio huius domina eſt motus. Temperantes. n. appetentes, & deſiderantes, non agunt, quorũ habent appetitionem, ſed conſequuntur intellectũ.

EXPOSITIO.

Ea animæ quoq; particula quæ intelligendi vim habet, nequaquam mouere dicitur. non quemadmodum ipſa vegetans, ſed tanquam ipſa ſola haud ipſius moueri domina ſit. neq; n. ſufficit ipſum itelligere, neq; ipſius intellectus cognitio, atq; voluntas, niſi & corporea ſimul quæq; appetitio moueat. At neq; ea ſola in iis quæ ratiõem habẽt, ſufficit, niſi & ratio concedat. Ne itaq; aliquis dubitet, quonam pacto hic non mouere, quod intelligendi vim habeat, dictum fuerit, cum poſtea & ipſum non ſine appetitione mouere voluerit. Hic quidem. n. tanquam id, quod haud omnem habeat principatum, ita dicitur non mouere, ibi vero ceu mouens qdem exiſtens, verum cum alio. Quapropter hæc cum illis conueniunt. Ipſe quidem igitur contemplans, neq; omnino mouet tanquam cõtemplans, ſed circa verum, atq; falſum is verſatur, non autem circa ea, quæ in actione poſita ſunt. in quibus quod inſequẽdum, atq; fugiendum eſt, adeſt ad quæ, & ex quib. motus proficiſcitur, qui ſecundum naturam. Qui autem ea quæ in actione poſtea ſunt, conſiderat, & propter hanc cauſam quod fugiendum, atq; inſequendum cõtemplatur, vult quidem interdum, aut mouere, aut quieſcere facere ipſum animal, neutrius autem eſt ſolus princeps. Sed &

cum.

cum quieſcere iubeat intellectus, mouetur exempli gratia cor, in formidoloſis, & gignendi vim habentes partes, in venerearum voluptatum intellectionibus. Accontra cum moueri hortetur, & fugere, non mouetur animal, neq; fugit. quemadmodum ſeſe habet in intemperantibus. vbi cum pugnet intellectus, atq; deſiderium, ſuperat deſiderium. Tales nanq; intemperantes ſunt. Quare neq; omnino dominus eſt motus ipſius animalis. Quoniam & qui artes habent, & volunt iuxta rationem vti arte, ab aliqua perturbatione aliquando cohibentur, ita vt neq; ipſi iuxta rationem ſint ſolum actionis domini. Illud aũt, tanquam alius aliquis ſit dominus, non tanquam de eo, qui appetendi vim habeat dictum fuit, ſed tanquã de vtroq; quemadmodum & ipſe infert. Neq; n. appetitio ſola domina eſt, quemadmodum temperantes manifeſtant, cum differat & hic appetitio ab intellectu, ſuperet autem intellectus, quia temperantes intellectum, non autem deſiderium ſequuntur, aut omnino appetitionem ratione carentem.

APPARENT autem duo hæc mouentia, aut appetitus, aut intellectus, ſi aliquis imaginationem ponat tanquam intellectionem quandam. Multa. n. præter ſcientiam conſequuntur imaginatiõis. & in aliis animalibus haud intellectio, neq; ratiocinatio eſt, ſed imaginatio. Ambo itaque hæc quim mouendi habent ſecundum locum, intellectus & appetitus.

QVADRAGESIMANONA PARTICVLA.

INTELLECTVS autem qui cauſa alicuius ratiocinatur, & in actione uerſatur. Differt autem a' contemplante fine: & appetitus cauſa alicuius omnis. Cuius. n. appetitus illud principium in actione uerſantis intellectus. Quod autem extremũ, principium actionis.

EXPOSITIO.

Appetitum quidem nunc appellat, eum qui ratione dicitur carere. Intellectum autem ambigue, aut ipſam ſolam rationis participem cognitionem, aut & eam omnem, quæ à ſeipſa excitatur, & non ſolum cum inſtrumenta ab iis, quæ extra percutiantur, quemadmodum ſeſe habet in ſenſu. Ita vt ſecundum hanc rationem, & imaginatio quoq; rationis particeps intellectio quædam ſit. Forſan. n. quæ in animalibus ratione carentibus exiſtit, indiget omnino percuſſione alicuius inſtrumenti, ad propriam actionem. In ipſo autem intellectu, qui ſecundum rationem agit, comprehenſa fuit & voluntas. Ipſa. n. imaginatio nũc tanquam cognoſcens tantum actio accepta fuit. & non tanquam ea, quæ & cum appetitionibus ratione carentibus conueniat. Quapropter & tanquam cum intellectione nunc in eodem ordine collocata, & ipſa tanquam diſtincta aduerſus appetitiones accepta fuit. In pugnis itaq; illis quæ mutuo fiunt inter intelligens, atq; appetens, aut intellectus mouet, vt in temperantibus, aut appetitus vt in intẽperantibus. In iis aũt qui aut omnino rationem ſequuntur, vt in ſtudioſis euenit, aut perturbationibus ſe totos tradunt, vtrunq; mouendi vim habet. Nanq; in intemperantibus ratio ſequens perturbationem, ſimul quoq; agit. & in modeſtis appetitus ſua ſponte cedit rationi. Hæc ſanè & Ariſtoteles excogitans ex ſuppoſitiõe dixit, ſi aliquis imaginationem ponat, tanquam intellectionem, propter id quod ambiguum. Quatenus quidem. n. corporea eſt vita, nequaquã intellectio dicitur. Quatenus autem & à ſeipſa aliquando excitatur, eo pacto cũ ratione cõmunis exiſtens, & ipſa quoq; intellectio dicitur. Cum itaque dixerit, aut appetitionem eſſe eam quæ moueat, aut intellectum, quandoquidem multis mouentur motibus animalia ſecundum imaginationem, quæ quidem ratione carent, & iuxta eam ſolam. quæ vero rationem habent, cum aut non agat in ipſis ratio, aut non vincat perturbationes, quemadmodum reſponſum fuit, propter quam cauſam, aut intellectum dixit, aut appetitionem. Vera nanq; ratio eſt, licet imaginationem, tanquam intellectum ponat. Quoniam tria eſſe oportebit ipſa mouentia, intellectum, imaginationem, appetitionem, cum & voluntas in intellectu, vt dictum fuit, cõpre-

hendatur,oportet autem nos interpungentes in dictione poſt particulam illam, imaginationes,ita inferre,& in animalibus ratiõe carentibus haud intellectio, neq; ratiocinatio eſt, ſed imaginatio:ambo,n.hæc vim mouendi habent ſecundum locum intellectus, & appetens,aut ſingillatim,vt dictum fuit in temperantibus,& intemperantibus,aut communiter, vt in immodeſtis,& ſtudioſis. Præterquam quòd & quando ſingillatim alterum ponitur, quod intelligendi vim habet,haud ſine voluntate mouet. Appetitus autem quidam,& voluntas quoq; eſt:ſed haud qui ratione careat,neq; quod ſine ratione appetit, abſq; imaginatione exiſtet,quæ nõ ſolum cognoſcat,ſed & quaſi comprobet, atq; ſuperet appetitum. Verum quãdo etiam vtrunq; moueat,quod appetendi vim habet intellectus ſequens mouet,proprium ſcilicet,atq; conueniens in ſtudioſis,quod autem rationis expers, in immodeſtis.Quapropter dicet,quammaxime adiudicans, quod appetendi vim habet, illud eſſe in primis,quod mouere poſſet.Licet,n.aut cum intellectu,aut cum imaginatione,at præcedens tamen mouet.Nanq; in iis quæ in actione poſita, quod inſequitur, aut fugit,mouet. Id autem quod appetendi vim habet,eſt.Quapropter cum & ipſum moueatur ab appetibili mouet. Quod autem appetibile eſt,eam habet vim vt ipſum appetens mouere poſſit, non tanquam intellectum,aut imaginationem, ſed tanquam appetens. Intellectus autem in actione verſans mouet. Is nanq; eſt,qui inſequitur,aut fugit,quiq; differt ab ipſo cõtemplante,fine.Huius quidem,n.finis verum,illius vero bonum,quod in actione poſitum.& huic quidem in ipſa cõtemplatione finis adeſt,illi autem poſt motum. Idq; ei indicat illud propter aliquid ratiocinari.Neq; enim in ipſo ratiocinari finis poſitus eſt,quemadmodum in ipſo contemplari. Sed moueri oportet poſt ratiocinationem, & in ipſo motu aſſequi finem.Et non ſolum in actiõe verſans ipſe intellectus cauſa alicuius agit:cum diuerſus præter ratiocinationem finis ſit:ſed & omnis appetitus.Nam is qui ratione caret, diuerſum habet ipſum appetibile ab ipſo appetere. Cuius enim inqt, appetitus oportetq; aſpirare illud, cuius,quo illud indicet, quod appetibile. Id,inquit,principium eſt in actione poſiti intellectus.quandoquidem & appetens quoddam in actione verſans ipſe eſt intellectus, ab appetibili autem ipſum appetens mouetur.Licet enim intus excitetur,at tanquam ad appetibile tamen progreditur. Atq; hac ratione dicitur ab appetibili moueri. Quod autem extremum huius,principium eſt actionis,huius tanquam in actione verſantis intellectus.Extremum illud intelligens in quod agens ratiocinatio deſinet,exempli gratia ſi appetens aliquis vmbraculum in hyeme,cogitur,& ratiocinetur. quod ei appetibile erat, quonam pacto debeat in opus exire,& ratiocinans inuenerit firmantium indigere, atq; ſuſtinentium, & propter hanc cauſam lapidibus,atq; lateribus,quo ſuſtineant,opus eſſe.Inuenit autem & lapides,& lateres ſupra fundamenta firmatos,ita vt omnis ei ratiocinatio in fundamenta deſinat,quæ actionis principium exiſtunt.oportet enim fundamenta ante omnia ſubiicere,atq; inde lapides,& lateres,ac præterea protectionem vltimam vbi poſueris id habere, quod erat appetibile,ipſum ſcilicet vmbraculum.

QVARE iure duo hæc apparent mouentia appetitus,& cogitatio in actione uerſans.Quod enim appetendi uim habet,mouet.& propter id cogitatio mouet.quoniam principium eius eſt,quod appetendi uim habet.

QVINQVAGESIMA PARTICVLA.

ET IMAGINATIO præterea cum moueat,non mouet abſq; appetitione.

EXPOSITIO.

Quod enim appetendi vim habet mouet,& propter hãc cauſam cogitatio mouet,quoniam principium huius eſt,quod appetendi uim habet.& imaginatio præterea cum moueat,non mouet abſq; appetitione. Ex quibus illud præiudicat; quemadmodum motus potius ipſum appetens cauſa eſt,quod aſſentiẽs appetitioni ipſum mouet.Ita vt in mouendo appetitus ſemper id præcedat,quod cognoſcendi poteſtatem habet.Siue intelligens ſit, ſiue imaginatione concipiens,illud quod cognoſcere valet.

VNVM ſane quoddã ipſum mouens, quod appetendi uim habet. Si enim duo intellectus, & appetitus mouerent, iuxta aliquam communem formam mouerent. Nunc autem ipſe quidem intellectus, non uidetur mouens, abſq; appetitu. Voluntas.n. appetitus. Quando uero iuxta ratiocinationem moueatur, & ſecundum uoluntatem mouetur. Appetitus autem mouet præter ratiocinationem. Deſiderium enim appetitus quidam eſt.

QVINQVAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

INTELLECTVS quidem igitur omnis rectus eſt. Appetitio uero, & imaginatio, & recta, & non recta. Quapropter ſemper quidem mouet, quod appetibile. Sed id eſt, aut bonum, aut apparens bonum. Non omne autem, ſed bonũ quod in actiõe poſitũ. In actione uero poſitũ bonum eſt, quod contingit, & alio modo ſeſe habere.

QVINQVAGESIMASECVNDA PARTICVLA.

QVOD quidem igitur huiuſmodi uis mouet animæ, quæ appellatur, appetitio manifeſtum. Diuidentibus autem partes animæ, ſi iuxta poteſtates diuidant, & ſeparent, multæ adſunt, nutriens, ſentiens, intelligens, uolens, prætereaq; appetens. Hæ.n. admodum differunt inter ſe, aut deſiderans, & iraſcens.

EXPOSITIO.

Duplex.n. ſcriptio eſt. Propoſitum quidem igitur eſt, in unum mouens motum ſcilicet ipſum localem animalium, cum appetitione factum, tanquam in cauſam reducetur. & id quinam ſit declarare, & in duo adducere, quemadmodum haſtenus dicebat, in ipſum cognoſcens, atq; appetens, ſed & ambo in vnum contrahere. Nam cum vnus ſit, qui cum appetitione animalium motus, vna quoq; cauſa aſſignanda eſt. Quare & cum duo quædã, vnius, atq; eiuſdem in cauſa eſſe dicamus, iuxta vnum aliquod commune exiſtimandum eſt, nos duo illa cauſas dicere, ſi debemus vnius, atq; eiuſdem rei cauſam reddere. Quod & Ariſtoteles quoq; iudicat. Si duo, inquiens, ſint, quæ mouendi uim habeant intellectus, atq; appetitus, iuxta communem aliquam formam mouerent. Tanquam oporteat vnius vnum aliquod omnino cauſam ſuſtinere. Nam ſi iuxta aliud quidem id, iuxta aliud vero alterum aliquid in cauſa eſſet, vnius, atq; eiuſdem rei. Tanquam vnius, & totum, neutrum erit. Oportet itaq; cauſam aliquam eſſe, quæ duo illa complectatur quæ tanquam tota, & vnius quoq; erit effectus cauſa. Id ſane vnum inueſtigans, haud in aliud aliquod progreditur, præter id qd appetendi, atq; cognoſcendi vim habet. Sed ipſum appetens affert, tanq; id, quod præcipue mouere poſſit ipſum cognoſcens, quod non præcipue, ſed ceu adiutor cum appetente mouet. Et nulla alia ratione niſi cum appetitione & cognitio adeſt quo & id quod cognoſcendi vim habet, iuxta appetitionem moueat. Appetitus autem licet omnino cum cognitione, ſed non iuxta cognitionem, ſed ſecundum ſeipſum inſequitur, aut vitat, & propter hanc cauſam mouet. Quando itaq; & appetitus ſecundum ſeipſum mouet, & cognitio iuxta appetitum. Neq;.n. alia ratiõe mouet, neq; proſequitur, aut fugit, niſi cum appetitu ſit. Recte philoſophus, quod appetens eſt, tanquam præcipue mouẽdi vim habens determinat. Nanq; quando duo in cauſa eſſe dicebamus. Quapropter & Ariſtoteles haud mouere inquit, intellectũ, ſine appetitione, quandoquidem & voluntas, proprius eſt ipſius intellectus, appetitus. Non mouet autem intellectus, ſine voluntate qualis ipſe cõtemplans eſt. Appetitus autem quando cum imaginatione ſit, qualis quæ ſine ratione eſſe dicitur, mouet ſine ratione. Id itaq; demonſtrat illud, quod præcipue mouendi poteſtatem habeat ipſum appetens, quia cognitio ſeiuncta ab appetente non moueat: appetitus autem præſens, ſiue in eo, quod cum ratione cognoſcet, ſiue in imaginatione moueat: cum iuxta ipſam appetentem proprietatem ad id quod inſequendum tendat, aut quod fugiendum vitet. Hæc autem vbi determinauit, deinceps illud diiudicat qualis ſecundum intellectum

sit cognitio, atq; appetitio. qualisq; secundum imaginationem ipsa vtraq; secundum seipsam. Quoniam ea quidem recta semper est, cum scilicet secūdū seipsam sit, deterioribusq; vitis, vtq; cognitionibus iuncta non sit. Illa vero & recta, & non recta, ipsa scilicet imaginatione concipiens propter id quod indeterminatum. Siquidem igitur in principio orationis, ipsum appetens scriberetur, recte illustrata esset hæc dictio, quonam pacto & id, tanquam vnum mouens. Sin autem ipsum appetibile scriptum sit, quod secundum actum appetens accipiendum esset, hoc est, id, quod simul est, & appetibile, & appetēs. Quemadmodum n. quod secundum actum scibile, idem cum eo quod sciendi vim habet, & cōtra: ita quod secundum actum appetens, ambo vnum, atq; idem subiecto est. Oportet n. cognitum esse ipsi appetenti, quod appetibile, quo fiat secundū actum appetibile, & appetens. Recte itaq; concluſit semper dicēs mouere quod appetibile, siue appetibile sit, & in principio scriptum, siue appetens. Quoniam quod secundum actum appetēs, idem est cum appetibili. Quod autem appetibile, aut vere, aut apparens est bonum, licet non sit. Nihil n. aut malorum, aut mediorum appetendum est, sed solum id, quod bonum. & siquid bonum ipsum subingreditur, tanquam bonum & ipsum appetibile fit. Quemadmodum vbiq; & apud Platonem conceditur, & ab Aristotele in ethicis traditum fuit, qui bonum omnia appetere inquit. Bonum itaq; illud quod secundum veritatem bonum, & contemplans quoq; appetit. Practicus autem philosophus. & vno verbo dicam, ipse appetens, illud appetit bonum, quod in actione positum. Communius nanq; nunc illud appellauit, quod in actione positum, non autem id, quod homines soli persequi, aut vitare debeant: sed & id quod animalia, quæ sine ratione sint. Quod etiam determinat, tanquam contingat alia etiam ratione sese habere, cum generabile sit, & non eodem semper modo exeat. Ipsum nanq; cōtemplantis bonū necessarium est, quod etiam optimum. Concludēs autem eam quæstionem, quæ ipsi proposita fuit, quænam sit ea animæ particula, quæ præcipue mouendi vim habeat, animalia motu, secundum locum iterum nobis in memoriam reducit, multas quidem esse animæ particulas, quæ non secundum locum, sed secundum potestates diuiduntur, ita vt ratione diuersæ sint. Quapropter & multas simul existere possibile est, quæ cum eædem sint subiecto, iuxta plures adiectiones possunt plures intelligi, quemadmodum ipse meminit. Est n. nutriens, sentiens, intelligens, volens, præterea appetens. Ipsa nanq; nutriens omniū confessione ab intelligente, & volente, & ipsa præterea appetente plurimum distat, aut inter sese, ipsa desiderans, neq; irascens, & à ratione. Communicant n. hæ & inter sese, & cum ratione iuxta appetitionem. Intelligentem autem nunc ipsam contemplantem dixit. quo in actione uersantem intellectum ipso volente significet. Ipsum autem appetens differt ab ipso volente, tanquam communius, quia & aliquid etiam rationis expers est. Demonstrat itaq; ex his, quemadmodum si oportet particulas potestate distantes exponere, eas quæ plurimum distent potius exponere oportet, quàm eas, quæ prope adsint. Dictum aūt fuit, quemadmodum propositum fuit in ratione gubernandæ ciuitatis particulas illas exponere, quæ ad institutionem spectabant. & propter hanc causam, tres solas Plato tradidit. quēadmodum & Aristoteles in ethicis rationem, atq; appetitionem.

QVINQVAGESIMATERTIA PARTICVLA.

QVONIAM autem appetitiones fiunt contrariæ inter se. Id autem contingit, cum ratio, & desiderium contraria sint. Fit præterea in iis, quæ temporis sensum habent. Ipse quidem. n. intellectus, propter id quod futurum, retrahere iubet. Desiderium uero propter id quod iam. Apparet. n. quod iam suaue. & simpliciter suaue. & uerum simpliciter. quia non cernit futurum.

EXPOSITIO.

Cum iam mentionem fecerit de temperantibus, atq; intemperantibus: manifeste nunc determinat, quemadmodum ambo hi in controuersia duorum quorundā appetendi vim habētium collocati sunt, cum aliud quidem rationis particeps sit, aliud aūt rationis expers.

Quibus

Quibus ambobus commune eſt, quod ſimpliciter appetendi vim habet: non tanquam genus, quod in proximas formas diuidatur: ſed potius ceu ea, quæ ab vno ſeſe habent. Præſtantius nanque illud eſt, quod cum ratione appetit, quam id quod ſine ratione, ita vt & cognatio quædam inter ea ſit, & diuerſitas quoque. Anteaquam vero aliquid reddat ad illam coniunctionem, quoniam, in medio nobis in mentem reducit, in quibus apta ſit controuerſia eſſe, quoniam in hominibus, in quibus implicita eſt rationalis vita, cum ea quæ ratione caret, & perſæpe ab ea differt, atque ei aduerſatur. In hominibus enim cum ratio temporis cognoſcendi vim habeat, & de eo quod futurum eſt, aliquid ſentiat, quemadmodum & de eo, quod præteritum. Ipſum autem deſiderium, quemadmodum & omnis rationis expers vita, cum tempus cognoſcere non valeat, non diſtinguit temporis menſuras, ſed licet percutiatur à præterito, at non tanquam præteritum ipſum cognoſcit. ſed ſolum tanquam ab eo pariens, illius affectionis memoria. Nanque nunc præſens ipſum percipit, non tanquam huic ipſi inſiſtens, quoniam adeſt, ſed tanquam illud ſentiens, quod agit. Quapropter ipſe quidem intellectus, & ratio non in id ſolum, quod præſens eſt: ſed in id quoque quod futurum appetitionem extendit. Deſiderium vero quod præſens eſt, ſemper ſibi finem ſtatuit, quod etiam ſentit, & ipſa quidem ratio non id ſolum, quod ſuaue, ſed & quod bonum percipit. Diiudicat enim quod ſuaue, quippe cum haud omne bonum ſit. Deſiderium autem in id ſolum intuetur, quod ſuaue, tanquam id omnino bonum ſit, & in id quod præſens adeſt, non autem in id quod futurum eſt, quia temporis nullam nactum eſt cognitionem. Quandoquidem igitur, quod præſens eſt, ſuaue ſit, quod autem futurum, aut vtile, aut & magis ſuaue, deſiderium quidem quod præſens eſt proſequitur. At ratio quæ ſecundum naturam ſeſe habeat quod futurum, ſi maxime bonum ſit. Deſiderium enim tanquam non diiudicans futurum à præſenti, præſens ſuaue, tanquam ſimpliciter, & ſuaue, & bonum exiſtens, recipit. Tanquam enim idem ſit, quod ſuaue eſt, id & tanquam bonum inſequitur. Hæc ita q; cum in medio dixerit, quod reliquum eſt refert, ad coniunctionem illam, quoniam, quæ in principio collocata fuit, ſic.

QVINQVAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SPECIE QVIDEM eſſet unum ipſum mouens appetens, quatenus appetens. primum autem omnium ipſum appetibile. Id nanque mouet, & non mouetur, quia intelligatur, aut imaginatione concipiatur. Numero autem plura ipſa mouentia.

EXPOSITIO.

Specie vnum eſſe dicitur ipſum appetens, non exacte, ſed quemadmodum dictum fuit, quemadmodum ſeſe habent, quæ ab vno, & ad vnum. Antea vero quam rurſum redderet ad illud, ſpecie quidem vnum eſſet, plura vero numero, quoniam duo ipſa appetentia, & quæ aliquando inter ſeſe pugnant, quod q; rationis particeps, & quod abſq; ratione appetit, in medio illud attulit, quemadmodum ante appetens ipſum appetibile eſt. Quoniam & ipſum appetens propter appetibile mouet. Præcipue igitur ipſum appetibile adeſt, at non quod adhuc poteſtate ſit, verum quod actu exiſtat. quia enim intellectum fuit, aut imaginatione conceptum. Quando & idem eſt cum appetente, iuxta ſubiectum. Quandoquidem & quod ratione differt, ipſum appetẽs præcedit. Ipſum nãq; appetens, tanquam finem ipſum appetibile conſequitur.

QVONIAM autem ſunt tria, unum quidem ipſum mouẽs, alterum autem quo mouet, & præterea tertium quod mouetur. Ipſum autem mouens duplex, alterum quidem immobile, alterum autem mouens & quod mouetur.

Vult quidem ex his, quæcunque ea sunt, quæ spectant ad motum animalium secundum locum, colligere, atque tradere. Hæcq; meta est eius quod dicitur. Sed anteaquam ea quæ speciatim traduntur, habeantur, oportet in dictione ipsa versari, quemadmodum & interpretes faciunt. Nam cum inceperit ex coniunctione illa; quoniam, tanquam aliquid redditurus, attamen nihil reddidisse videtur. Sed subintelligendum est, dum interpungimus, posit illud, est autem alterum quidem immobile, alterum autem quod mouetur. Quatuor nanque essent, quæ spectarent ad huiusmodi motum, propter quæ iure enumerata fuerunt, quænam sint ista quatuor. appetibile. appetens. id quo mouet. & quod mouetur. Tria nanque enumerauit, mouens, id quo mouet. & quod mouetur. Cum vero ipsum mouens duplex esse attulerit, alterum quidem immobile, alterum autem quod mouet, & mouetur quatuor quod reliquum fuit, ipsa omnia enumerantur. Immobile quidem igitur est, quod tanquam appetibile mouetur. Quia enim imaginatione conceptum sit: aut intellectum, quemadmodum dixit, hoc est, actu appetibile factum, quando & idem subiecto sit, cum appetente mouet. & præcipue mouet ipsum appetens, quatenus ratione differt ab eo. Quandoquidem tanquam ad finem ad ipsum appetibile, appetens mouetur. Manet autem ipse finis immobilis, & ipse in id quod cupit, non fertur. Hoc quidem pacto ipsum appetibile mouet, tanquam immobile. Ipsum vero appetens, quod etiam proximius mouet ea, quæ mouentur, ab appetibili excitatum, & in eius ordinem commotum, & quod propter hanc causam moueri dicitur, iuxta ipsam appetibilis insequutionem mouet animal, innatum ei, atque subiectum instrumentum. Quapropter haud vi vlla, sed sua natura illius impetu commouetur. Mouet autem vtens altero quodam, quod medium est inter ipsum mouens, ipsum appetens inquam, & id quod mouetur, quod est ipsum animal. Id autem quod medium, videtur quidem Aristoteles in libro de motu animalium ipsum spiritum intelligere, qui viuax in nobis est. qui medius existit inter cor ipsum mouens, atque solidiores animalis particulas, quæ mouentur. Dicit autem in illo, & aliud quoque quoddam medium esse in superiores, atque inferiores animalis particulas, & dextras, atque sinistras. quod in superficie potius collocat, quæ iungit oppositas particulas. Cum aut sursum, aut deorsum, aut dextrorsum, aut sinistrorsum ipsum flectatur, dum aliqua quidem ratione mouetur, alia vero quiescit. In ipsa nanq; flexione contingit, alteram quidem oppositarum particularum moueri, alteram autem quiescere. Quãdoquidem quod mouetur, omnino alicui stanti dum nititur, ita moueri vult. Contingit itaq; mediam oppositorum superficiem, ceu finem quidem stantis quiescere, vna autem cum eo quod mouetur, moueri, tanquam huius principium. Cæterum hæc quidem, siue spiritum aliquis dicat, siue huiusmodi superficiem, corporea omnino esse fatetur, in quæ & Aristotelis interpretes oberrarunt. Opinor autem & hac ratione diiudicandum esse sermonem. Nam q; omnis anima actus corporis organici sit ab eo traditum fuit, & q; vtatur tanquam instrumento ipso viuente corpore. Quod autem vtitur non est simpliciter forma instrumenti, tanquam instrumenti, exceptum nanq; semper est quod vtitur, ab eo, quo vtitur. Quoniam itaq; ipsum animal instrumentum substratum fuit animæ vtenti, anima quæ ipso vtitur, non erit tota, vt ita dicam, instrumenti forma. sed tanquam vtens id a quo, & efficiens causa. Ipsum nanq; mouens sub efficienti est. Sed ipsa quidem vegetans, tanquam postrema, obscure manifestat ipsum vtens, manifestius autem quæ ostrearum, aut similium. quoniam licet non vniuersaliter, at iuxta suas particulas secundum locum mouent. Quæ vero progredientium manifestior, cum alia sit, præter id quod mouetur. Ipsum nanque mouens, & efficiens, diuersum est, præter id quod mouetur, & patitur. & præsertim cum aliquid eius quod mouetur non sit, secundum Aristotelem. Ne idem & mouens sit, & quod moueatur. Erat autem quod mouetur ipsum animal. Ipsum vero mouens anima, cum non sit formalis vita viuentis corporis. Huiusmodi nanq; vita, & tanquam animalis formandi vim habet, & tanquam instrumenti. quod id erat, quod mouetur. Ipsa quidem anima iuxta mouens, sed non iuxta formam eius quod mouetur;

tanquam

tanquam eius quod mouetur eſt, & declarata fuit, tanquam mouens eius quod mouetur, & efficiens eius quod efficitur. Et propter excellentia, & medietate quoq; indigebant, quæ ambo inter ſe iungat. Medietaſq; iſta haud corpus, vt opinor, eſſe debet, rurſum enim quod mouetur erit, & non id quo mouet, ſed corporeum quidem aliquod: non, autem corpus. Qualis ea vita eſt, quæ inſtrumentum, tanquam inſtrumentum format, quæ ſecundum ſeipſam quidem non mouetur, cum incorporea ſit, principium autem eſt, eius quod mouetur, tanquam viuentis, cum formalis cauſa ſit, quemadmoduni bona valetudo recte valétis, quia tota inſeparabiliter ingreſſa eſt corpus, cum corporea dicatur. Quod autem mouetur ipſum animal eſt quoniam non tanquam corpus ab anima, ſed tanquam animal mouetur. Medietas vero & quieſcere, & moueri, quodam pacto dicitur. Cum iuxta ſeipſam quidem immobilis ſit, quia vita eſt, ſecundum accidens autem moueatur, propter inſeparabilem complexionem, quam cum animali habet.

EST AVTEM quod quidem immobile, quod in actione poſitum bonum.

Non tanquam ſecundum ſeipſum immobile. In mutatione nanq; poſita ſunt, quæ aguntur & alio modo ſeſe habere contingunt. Sed quia moueant appetitũ cum non moueantur, quo moueant. Nam quia manent bona, aut videantur, mouent.

QVOD autem mouet, & mouetur, ipſum appetens. Mouetur enim appetens, quatenus appetit. & appetitus motus quidam eſt, aut actio. Quod autem mouetur eſt animal.

Non quod ſecundum locum mouetur, ſed quod quidem ſecundum locum mouet, mouetur autem tanquam ab appetibili: cum in id, quod eſt actu appetere excitetur. Pulchrius enim ſic Plutarchus exponit, ipſam appetentem actionem motum ab Ariſtotele nunc Platonice dictam fuiſſe inquiens. Ac forſan quia in motum omnino deſinit, & totum id, localis eſt motus, ſed non poſſibiles. vel Alexander moueri dicens, appetitum ſecundum accidens, quia in corpore eſt, ita intelligit, vt vna moueatur cum ſubiecto ſecundum accidens, quemadmodum dictum fuit. Neque enim qui in viuente corpore totus inſitus eſt mouet, ſed qui habet aliquid & ſeparabile, & ſeiunctum, & prope ipſum mouens manet, atque ipſe medietatis indiget. Qui vero id quod mouetur, tanquam id quod mouetur format, eius cauſa formalis eſt, quæ medio caret. Ariſtoteles autem ſeipſum interpretatur, qua ratione ipſum appetens id eſſe dixerit, quod moueatur. Quatenus enim appetit, indicans appetitionem ſecundum ipſum. Nanq; moueri nunc inquit, non animal, ſed ipſum appetens, tanquam appetens. Atque adhuc manifeſtiorem orationem reddẽs, appetitum cenſet, motum quendam eſſe, tanquam actionem in motum deſinentem in ipſo animali. Quo, particula illa aut, in eo, aut actio, non coniunctio diſiunctiua ſit, ſed tanquam aduerbium, pro eo, quod eſt, ſecundum quod intelligamus. Sin autem & tanquam coniunctio dicta fuerit, indicitur illud, appetitum licere, vel actionem vocare, tanquam impartibilem, & perfectam actionem. vel motum, tanquam is qui ab appetente excitetur, & tanquam in motum animalis deſinat. Mouetur autem animal, iuxta motum proprie determinatum, qui actus eſt ipſius mobilis, non tamen naturalis, ſed progrediens, & qui ab anima fit, atq; animalibus conuenit.

QVO autem mouet inſtrumento appetitus, iam id corporeum eſt. Quapropter in communibus corporis, & animæ actionibus, conſiderandum de eo.

Non corpus intelligit, quod corporeum, illud nanq; moueretur omnino, ſed corporis formam habentem, atq; extremam vitam. Quapropter & differt contemplationem de ea, tanquam tunc dicturus, quando communia cõſiderabit animæ, & corporis munera. Commune aũt eſt, non ipſum mouere, neq; n. & a corpore mouetur, qd aĩam hẽt, at neq; a cõmixta vita. Nãq; ipſa terminus erat, tanq̃ eius qd viuaciter mouet. Ipſum aũt mouẽs iuxta

mouentem ſtat, iure igitur in libro de motu animalium loquetur, de eo, quo mouet.

QVINQVAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

NVNC autem, ut ſummatim dicam, ipſum mouens inſtrumentarie, ubi principium, & finis idem, ut gigglyſmus. ibi. n. curuum, & cauum. Id quidem, finis, illud autem principium. Quapropter alterum quidem quieſcit, alterum autem mouetur. Ratione quidem cum diuerſa ſint, magnitudine autem inſeparabilia.

EXPOSITIO.

Eſt quidem, vt dictum fuit, & corporeum aliquod ibi inſtrumentarie mouens. nunc attamen inſtrumenti, tanquam inſtrumenti formandi vim habentem vitam eſſe vult, eam quæ inſtrumentarie moueat, quam dicet manere, atq; moueri. Sin autem hanc & in libro de motu animalium aut manifeſte dicit, aut & demonſtrat, inde accipiendum eſt. Videtur autem & ibi omnino de ea loqui. Nunc enim ſummatim, inquit, hoc eſt breuiter, quæ ibi latius dicta fuere, dicenda. atque ſane intelligit ipſum inſtrumentarie mouens, quod ſcilicet poſt appetitum quidem eſt, qui non inſtrumentarie, ſed primo, atque ipſe mouet, quia licet ab appetibili excitetur, attamen ex ſeipſo in appetibile fertur. Omne autem inſtrumentarium, poſt ipſum primo mouens, ante id quod mouetur eſt, ſiquidem non ſolum illud exiſtat, quod moueatur, verum & mouens quoq;. Tale nanq; ipſum inſtrumentarie mouens, quod mouetur quidem à primo mouente, mouet autem id quod tantum mouetur. Sit quidem igitur, vt dictum fuit, & corporeum aliquod tale, vt cor, vt ſpiritus viuax, qui media eſt inter oppoſitas particulas ſuperficies. ſit præterea & vita, quæ inſeparabiliter animal format, quæ ipſum fingit, tanquam id, quod moueatur. quæ & ipſa animal mouere dicitur, quoniam ſecundum ipſam mouetur, ſed haud tanquam ab ipſa. Mouere autem dicitur ab ipſo primo mouente, quod mouetur inſeparabiliter & tanquam eius quod mouetur ſit forma, & potius tanquam ſecundum accidens moueatur, quam ſecundum ſeipſam. Quod enim ſecundum ſeipſum mouetur corpus omnino, & magis proprio huiuſmodi vitam intelligere debemus inſtrumentariam, quàm quodcunq; corpus. Ipſum quidem enim corpus impoſsibile eſt, iuxta eandem particulam per totum principium eſſe, & finem. Manifeſte enim id adduxit Ariſtoteles idem principium, & finem eſſe volens, quod illud eſt, quo mouet. Ipſa quidem vita, quæ inſita eſt tota per ſeipſum totam, quæ ipſum animal mouet, tanquam id quod mouendi vim habet, iuxta quod, ſed non à quo. & quæ mouetur ſecundum accidens, tanquam formalis cauſa eius quod mouetur. & gigglyſmus præterea acceptus fuit ab eo tanquam ſimilitudo, eius quod totum per totum quodam pacto mouetur, atque quieſcit. neque enim tanquam corpus, ſed tanquam ſuperficies. Eſt autem gigglyſmus, quemadmodum Plutarchus vult, duorum annulorum complexio, ita vt alter in alterum iniectus ſit. Quando curuum alterius, alterius cauum tangit. & quemadmodum Alexander demonſtrat, quando circa vnam fibulam ſtantem, annulus adiunctus ei, intus, atque extra, cum porta quæ conuertitur, agit. fibula tamen immobili manente, ipſe annulus, contrariis in conuerſione illa portæ, intus, atque extra, mouetur motibus. Verum gigglyſmum, quacunque ratione res ſeſe habeat, ita accipere oportet, vt interpretes volunt. aut alterius quidem annuli curuum, alterius autem cauum, aut alterius quidem annuli cauum, ipſius vero fibulæ curuum. Atque hic quidem manens ſit curuum fibulæ, cauum autem annuli moueatur. In duobus vero annulis, moueatur quidem curuum eius, qui complexus ab altero eſt, immobileq; maneat complectentis cauum. Cæterum nequaquam hæc mihi cum ipſa dictione conuenire videntur, quæ inſeparabilia à magnitudine ſtatuit ipſum quieſcens, atque id, quod mouetur. Cum ſola ratione diuerſa ſint. Solituſq; Ariſtoteles ſit inſeparabiles magnitudine appellare, non continui particulas, quia in continuitate aliæ alibi collocatæ ſunt, neque adhuc magis, quæ ſe tangunt, quæ hæ neq; ſecundũ continuitatem inter ſe coniũctæ ſunt, ſed eas, qcũq; totæ per totũ ſubiecto inter ſeſe cõiunctæ ſunt. Quapropter & Alexan-

Gigglyſmus quid?

huic

huic inſtans, haud quæ deinde adducuntur tanquam de gigglyſmo intelligit, quod eſt, inſeparabilia eſſe magnitudine principium, & finem: & ipſum quieſcens, atq; id quod mouetur. Sed tanquam de nobis ea dicta ſint. Cum inter oppoſitas partes, intelligo autem eas quæ ſurſum, atq; deorſum, aut quæ dextrorſum, vel ſiniſtrorſum flectuntur, & altera maneat ex oppoſitis, altera autem moueatur, media ſuperficies, tanquam finis quidem eius quod mouetur ſit, & ipſa, tanquam principium autem eorum quæ quieſcunt manens tota per ſeipſam totam. Neque enim habet profunditatem, & quieſcens, & dum mouetur. Verum, vt opinor, oportebat, & in ipſo gigglymo ſimilitudinem accipere, ne fruſtra acceptus fuiſſet. Quonam igitur pacto in corpore accipiemus, quod profunditatem habeat, & alibi quidem ipſum curuum alibi vero cauum. Nunquid, vt diximus, non iuxta id quod corporeum eius eſt, ſimilitudinem capere oportet? ſed iuxta corporis ſuperficiem, ſine caua, ſiue curua appelletur. Náq; & curua omnino, & caua eadem tota per totam. & caua eodem modo omnino curua. Siue igitur intimum annulum intelligas, qui mouetur iuxta curuum ſui ipſius, iuxta quod tangit quod ipſum complectitur, id quod mouetur erit, annulus ſcilicet qui complectitur corpus nanq; erit, quod mouetur. Superficies autem eius, quæ ſimul curua, atq; caua eſt. quæ iuxta ipſum complectẽs, quatenus quidem proxima ei, quod mouetur, eſt autem ipſum cauum, mouetur, tanquam finis potius, illud tangẽs, quod mouetur. Quatenus autem quieſcenti atque complectenti annulo vicina eſt, iuxta curuum quieſcit. Quádoquidem finis quidem eſt eius quod mouetur, & iuxta curuum. ſed longius, quam iuxta cauum. Ipſum autẽ curuum, & ipſum cauum, ſubiecto quidem inſeparabilia ſunt, quod magnitudine Ariſtoteles dixit. Totum enim per totum quod ſit cauum, id & curuum eſt. Siue igitur in linea, ſiue in ſuperficie, ſiue in corpore id aliquis cõtempletur, forſan totum videbitur, & moueri quodam pacto & quieſcere. neutrum autem ſecundum ſe faciet. Ipſum nanq; ſecundum ſe, & moueri, & quieſcere, corporibus, vt dictum fuit, conuenit, ſed ſecundum accidens, & ſecundum reſpectum, qui in id quod mouetur, aut in id quod quieſcit, vergit. Et hac ratione, & ſuperficiei inter oppoſitas partes interiectæ ſimilis erit ſimilitudo, & illi uitæ quæ inſtrumenti formandi vim habet: vt nos poſuimus. Quam & ſiquis iuxta id æquius interpretaretur, quandoquidem vt ipſum mouens ſubſtantia eſt, ipſa appetens vita, & id quod mouetur. Ipſum nanq; animal oportet, & id medium, quo mouet ipſum mouens, ſubſtantiam eſſe. Subſtantia vero vita ipſa eſt, & non ſuperficies. & tanquam media præſtantior quidem animali, ſubingrediens autem appetentem vitam.

OMNIA enim impulſione, & tractione mouentur. Quare oportet quemadmodum in circulo manere aliquid. & inde incipere motum.

QVINQVAGESIMASEXTA PARTICVLA.

OMNINO quidem igitur ut dictum fuit quatenus appetens ipſum animal, ea ratione ipſius mouendi uim habet. Appetens autem non ſine imaginatione. Imaginatio uero omnis aut ratione colligens, aut ſentiens. Hanc quidem igitur, & alia animalia participant.

EXPOSITIO.

Qua quidem ratione motus qui extra fiunt ad impulſionem, atque tractionem adducuntur, ab eo in naturali auditione didicimus. quo vero pacto, & qui ſecundum naturam exiſtunt, ſcire dignum eſt. Dixit enim omnia. Quare & quæ ſecundum naturam quoque mouentur. Ac videtur quidem ipſum impellens, atque trahens dicere cauſam motus, aut extendens, aut colligens, quod mouetur. Impellens quidem cum extendat, trahẽs autem cum colligat. Hæcq; non ſolum efficiens cá eſt, tanq; ea à qua, ſed & formalis tanquam ea ſecundum quam. Quod autem trahitur, & impellitur, ipſum quod mouetur

exiſtit, aut dum extenditur, aut dum contrahitur, quemadmodum illud ſeſe animal habet, quod calefit, aut frigefit. Nam dum veretur calefit, cum diffundatur, atque extendatur ſanguis. Dum vero timet, contrahitur, atq; colligitur, vnde & pallor in ſuperficie accidit. At & in naturalibus, atq; non viuacibus motibus, vt in latione ignis ad ſuperiora, leuitas vis illa eſt, ſecundum quam mouetur, ipſe autem ignis qui mouetur, qui quidem trahitur ſecundum naturam, & non violenter, cum non ſine ſua integritate colligatur, atq; ad eam properet. Iuxta ipſum vero progreſſum qui dimenſionem habet impellatur, haud violenter, neq; in hoc, ſed ſua ſponte, attamen extendatur. Ei autem quod propoſitum eſt, cõcinnádum, quia dum impulſione, atq; tractione mouetur, aliud quidem quieſcit ab eo, quo mouet mouens, aliud autem mouetur. quo ipſum quidem quieſcens impellat, aut trahat, quod vero mouetur, impellatur, aut trahatur. quemadmodum in annulo, qui ab alio complectitur, ipſum quidem curuum eſt impellens, aut trahens ſecundum quandam proportionem. Ipſum vero cauum quod impellitur, aut trahitur. Quatenus quidem recedit à cauitate cõplectentis annuli impellitur, quatenus autem in idem circulariter fertur, id quod trahitur, exiſtit. Quoniam ſi non annulus qui ab alio complectitur, moueretur, ſed ipſe cõplectens, circa eum qui intus manet, iuxta cauum ſuperficiei quæ intus eſt, habebit ipſum manẽs. iuxta autem curuum id, quod mouetur. Secundum curuitatem.n. magis habebit. quod profunditati ſuiipſius vicinum fit. Iuxta cauitatem autem, quod longius quidá abeſt à propria profunditate, proximius autem eſt manentis annuli, quam fibulæ. quemadmodum Alexander gigglymum interpretatus eſt. Vita vero iuxta quam mouetur, quod mouetur, ipſum quidem ſtabile habebit, iuxta tactum, quem erga ipſum mouens ſeruat, hoc eſt, erga appetitum, quod autem mouetur, erga ipſum animal. Id nãq; erat, quod proprie mouetur. Quoniam itaq; ipſum impellens, atq; trahens iuxta ipſum manens, quod autẽ impellitur, & trahitur iuxta id quod mouetur, in omni motu erit; illud quidem manens, id autem quod mouetur. Quemadmodum in circulo ipſum quidem centrum manet, impellens quidẽ circulum, quatenus recedere faceret eum à ſeipſo, remouet. Trahens vero, quatenus circa ipſum mouet, ipſe totus circulus, qui ſic impellitur, & trahitur. Propter quæ cõcluſionem quæſtionis, quæ ei propoſita fuit, adduxit mouentem quidem cauſam proxime, ipſum appetibile eſſe volens. Ipſum vero appetens, omnino nõ ſine imaginatione eſſe enuntians. Siue rationis particeps illa imaginatio ſit, qualis quæ in hominibus exiſtit, cum rationis formam habeat ſecundum ſubſtantiam. neq; n. alio pacto cum ratione conueniret, aut rationis expers exiſtat, qualis quæ in hoſtiis. Ipſe quidem.n. contemplans intellectus haud omnino indiget imaginatione. niſi cum ſenſibilia, aut quæ ex abſtractione conſideret. Ipſe autem appetens, & in actione verſans ſemper circa particularia ſeſe habẽs, atq; cum vniuerſali, & particularem quoq; coniungens propoſitionem, ſemper imaginatione indiget adiutrice, ad particularium cognitiõem. Mouet autem animal, & imaginatio, & intellectus, non iuxta cognoſcentem vim, ſed appetentem, vt dictum fuit. Quatenus.n. appetens mouet, licet cum imaginatione ſit rationis participe, aut vita ratione carente. Quapropter dixit, omnino appetens ipſum mouens eſſe.

CONSIDERANDVM autem & de imperfectis, quod ipſum mouẽs eſt. quibus tactus ſolum ineſt ſenſus. Verum contingit imaginationem ineſſe his, aut nõ, & cupiditatem. Videtur.n. dolor, & uoluptas ineſſe. Sin autem hæc, & cupiditatem neceſſe. Imaginatio autem quonam pacto ſit, nunquid quemadmodũ & mouetur, indefinitorum, & hæc inſunt quidem, indefinitorum autem inſunt?

Quæ quidem imperfecta vocaret, ipſe expoſuit, quibus tactus ſolus ſenſus ineſt. Omnino quidem.n. quibus tactus, his & guſtus. Quo ex ſuaui, atq; moleſto, quæ in humorib. poſita, quod nutriendi, ac non nutriendi proprietatem habeat, diiudicet. & ad id quidẽ accedat, alterum autem auertat. Quoniam ex tactu, quod totum corpus ſeruare poteſt, adeſt, quodq; corrumpere. Ambobus nanq; ſenſibus animalibus opus eſt. iis nanq;, quæ terreſtre multum habent in tota corporis natura, ne ſenſu quidem quolibet opus eſt, quippe

cum

cum neq; quocunq; modo moueri apta sint, & propter hanc causam neq; persequi quod eligendum, neq; vitare quod fugiendum. Verũ quia extrema tm̃ vita vegetans ipsis adest, delabũtur iã, & ꝓximũ aliqd iã ciunt in naturales motus. Sensus vero in iis, quacũq; rõne mouent̃ ĩtus est. Qñquidẽ, & q̃ impfecta dñr aĩalia, moueri vñr, nõ scdm seipsa tota, sed secundum partes. Et absq; eo, ꝙ ipsis adsit quod suaue, aut molestum secũdum humores, aperiunt ostream testam, quæ circum carnem iniecta est, inquirũtq; id, quod ad nutritionem aptum. Sin autem festuca quæpiam, aut durum aliquod alterans iniiciatur, claudun tur, tanquam vitantia, quod molestum existit, & quod suaue recipiunt, tanquam ad id accedentia, quod nutrit. Dilucidum itaq; est, quemadmodum nõ sensus ipsa mouet, ad aperiendum, & claudendum, solum nanq; eorum, quæ adsunt, sensus est, & eorum quæ absunt ratio, atq; imaginatio. At neq; ratio in illis est. Nanq; ipsorum vniuersalium ratio est. Imaginatio vero in atomis sensibilibus posita, licet adhuc recedant hæc, memoria tamen adest similiũ, quæ antea facta fuere. Cõcedenda itaq; ipsis ex necessitate imaginatio. Quod sane & Aristoteles quoq; rationibus colligit, quia dolor, atq; voluptas huiusmodi animalibus insit. Id autem perspicuum ex eo est, ꝙ accedant ad ea, quæ nutriunt, aufugiant autẽ aliena. Quibus autem voluptas, & dolor adest, hos omnino cupiditas sequitur. quod & ex se quidem perspicuum est. Appetitus nanq; est, qui in id quod suaue, aut molestum extensus est. aut & in bonum, atq; malum. quemadmodum in iis, quæ rationem habent. Quapropter & conuertitur in mortalibus animalibus. Siq; aliquis concedat cupiditatẽ esse, omnino erit voluptas, & dolor in his, siue contra voluptas fit, & dolor, omnino & cupiditas aderit. Præterea & manifestior ratio fit, cum etiam non adhuc præsente ipso suaui, in id quacunq; ratione moueri videntur. Dilucidum nãq; est, ꝙ secundum appetitum, non autem secundum sensum simpliciter mouentur. Sensus. n. solum præsentium est, appetitus autẽ & absentium. Quibus autem appetitus inest, siue cupiditas, his & imaginatio, quoq; adest. Quo ex memoria ipsius suauis, vt dictum fuit, erga illud moueatur. Sed imaginatio in huiusmodi animalibus id plurimum habet, quod indeterminatum. Indeterminata nãq; est, & quæ vermium, & erucarum, & eorum quæ indeterminate illuc mouentur. Sed in latitudine potius, & haud anguste habent, quod indeterminatum. Neq;. n. ibi solum inuestigãt, quod suaue, vbi hactenus immobiles manebant, sed & sic, atq; sic dum ad aliud, atq; aliud feruntur, ipsum suaue, vt vno verbo dicam, determinate nãciscũtur. ac persæpe ipsum insequuntur. Indeterminate autem agunt, quia ita forte fortuna euenit, vt ipsum inuestigarẽt. & non quemadmodum apes quæ ad consuetũ pabulum, atq; propria deferuntur aluearia. Ipsa quidem imperfecta animalia, & ipsa quidem determinate quod suaue adipiscuntur, quia vero haud in pluribus suaue id inuestigant, tanquam sic, atq; sic ipsum adeptura, sed in eo solo, in quo & manent, angustumq; habent terminum, & magis indefinitum, q̃ illa, quia haud multis in locis ipsum terminum ponant. sed vno solo in loco, vt dictum fuit. Hac autem ratione, & motus quoq; eis indefinitus inesse dicitur, propter id, quod angustum atq; secundum partem, & non tanquam ipsis totis locum ex loco mutantibus. & tanquam non sic, & sic, neq; tanquam à seipsis excitentur. ad perceptionem illam suauis, quæ domi fit. sed ad solam qualem eius receptionem quando illud extra cadat.

QVINQVAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

IPSA quidem igitur sentiendi uim habẽs imaginatio, quemadmodum dictum fuit, & in aliis animalibus inest. quæ autem deliberandi potestatem obtinet, in iis quæ ratiocinantur.

EXPOSITIO.

Cum dixerit & in imperfectis animalibus imaginationem inesse, licet indefinitam, atq; multo videlicet magis cum concesserit ipsum adesse, & perfectionibus, quæ secundum locum mouentur, cumq; sæpenumero dixerit, & rationem quæ in nobis est, imaginatione vti, tãquam & in hominibus, non aũt in solis bestiis imaginatio insit, distinguit admodum philosophice discrimen humanæ imaginationis, atq; eius: quæ animalium ratione caren-

tium. Cum ea quidem cum ratione, atque opinione conueniat, & consilium aliquod assequatur, & aliquando dirigatur à rationali uoluntate, aliquando autem & resistat aduersus eam, vt & interdum superet in intemperantibus, tantam habet cognationem, cum eo quod rationis formam secundum naturam habet. Altera vero haud apta sit, cum ratione, aut deliberatione coniungi. Licet in quibusdam, quæcunq; demonstrant, aliquid quod rationis formam habeat, in ipsis, ipsum consueta reddi ab iis, quæ ratione habent, & concinnari quodam pacto, non ex se, sed extra accedit. Quia natura haud collectim aggreditur, quæ admodum distant, sed per ea, quæ proxima sunt. Canes. n. & simiæ, & vrsi, & equi, licet rationem propriam nõ habeãt, at humanæ accommodantur rationi, quodã scilicet rythmo, at neq; ita, neq; quãtum ipsæ nostræ imaginationes. Haud tamen id faciunt formicæ, & apes, aut quæ humi serpunt, aut quæ natant. neq; adhuc magis, quæ indeterminatam, habent imaginationem. Id itaq; propositum est dictionis, destinguere humanam imaginationem: quam nunc consultantem appellat, ab ea, quæ in animalibus ratione carentibus reperitur. Quod autem particulare eius quod dicitur inuestigandum, deliberantem in iis, quæ ratiocinantur, appellat, tanquam omni imaginationi quod ambiguum est, quodam pacto assignans, & quod circa ea, quæ contingunt, versetur. Neq; n. est circa perpetua, atq; ea quæ semper eodem modo sese habent, & quorum necessarius est finis, quæcunq; deliberatio. Sed in iis quæ agũtur, & particularia, atq; huiusmodi sunt qualia ea sunt, quæ aliquando quidem possunt in finem exire, aliquando autem non. & qualia quæ non semper ipsum quod eligitur inferãt. Quapropter videtur neq; imaginationem, quemadmodum, neq; sensum cœlestibus cõcedere, quippe quæ secundum solum intellectum agant. Quo nanq; pacto illis deliberatio qualiscunq; adesset, quæ eodem semper mouentur modo, & in fine semper sunt? Sin autem aliquis alia ratione eis sensum concederet, alia ratione philosopharetur de sensu, & non de eo, iuxta quem nos, & mortalia omnia animalia sentimus, cum percussione ab iis quæ extra præterea egeamus, & instrumẽto ipso vtamur sensorio. Sed cognitionem quæ tota ab ipsis sensibilibus excitatur ei concedit, quæ neq; percussiõe, neq; instrumentis indiget, quæq; neq; iuxta passionem, sed tota iuxta actionem præstantiorem consistit, & nõ a corpore ad intellectum venit, sed ab intellectu in corpus progreditur. & quia sensibilium rerum est, sensum appellat. Si aliquis itaq; hoc pacto, & imaginationem in ipsis ponat, eodem modo assignabit sensui. Ambiguitatem autem deliberatiõis, & ipse demonstrans, illud addidit.

VERVM enim aget hoc, aut hoc, ratiocinationis iam est opus. & necesse semper est, uno mensurare. qd. n. maius prosequit. Quare põt unũ ex pluribus uisis facere.

In iis. n. quæ dubia sunt, & non necessario habẽt vnum, atq; eundem terminum, & vnũ finem, ipsum, verum hoc, aut hoc ineſt. & simul quod rationis particeps est ipsius deliberantis vitæ declarat. Animalia nanq; quæ ratione carent in id solum progrediuntur, quod suaue apparet. propter angustias in vnum aliquod suaue intuentia. Ac non quemadmodum ratio facit, quæ propter latiorem, atque ad multa progredientem contemplationem, atq; appetitionem aliquando quidem in id quod bonũ, aliquando autem in id quod suaue tendunt. Quare rationis quidem particeps est, sed circa ea quæ cõtingunt, & eorũ, quæ ratiocinandi vim, habent imaginatio. Sentientem autem vocat imaginationem, eam quæ à solo excitatur sensu. Oportet. n. quemadmodum in sermonibus de eo, ab ipso determinatum fuit, omnino antea sensisse, atq; inde imagines ex sensibilibus innatas esse in imaginatione, iuxta quas, quod reliquum est, illa mouetur. Ea. n. quæ deliberandi vim habet cum ab iis moueatur, omnino quidem & ipsa à sensu in principio excitatur, sed non à solo sensu, propter id quod secũdum substantiam cum ratione cognationem habet, percipit quodam pacto & eius deliberationem, & ita erga eam agit, vt aliquando quidem consequatur, aliquando autem ad alterum vergat, eius quod à ratione iudicatur. & aut vincat, quemadmodum in intemperantibus, aut vincatur, vt in temperantibus. & aliquid deliberãs affuit, non solum quia in contingentibus, & iis quæ in actione posita, & quæ interdum alia ratione sese habent, verum quoniam & in vnum intueri oportet, id quod deliberet, & ad id,

tanquam

tanquam in illud, quod maxime eligendum referre. quam vnam dixit mensuram. Nanq; quando aut quod vtile eligi oportet, aut quod suaue, deliberat in illud intuens, quod maxime eligendum. Verum & vbi determinauit vtile esse, quod maxime eligendum, verum id vtilius, aut id deliberat, rursusq; vni, atq; eidem vtili innixus deliberationes facit. Eodemq; modo & qui ipsum suaue finem ponit. Quare potest vnum ex pluribus visis facere. qui sanè deliberat, non anguste, quemadmodum dictum fuit, in id solum intuetur, sed in plura, & ea particularia, atq; generabilia, & quæ aliquando sunt, & quæ contingit alia, atq; alia ratione sese habere, & quæ mutuo comparantur. Ac propter hanc causam, quod ex plurib⁹ talibus in vnum ratiocinatione contrahitur, quemadmodum alicubi Plato dixit, & imaginatione omnino adiutrice vtitur. Cuius munus quæ ita cognoscibilia proxime occupare.

ET CAVSA hæc, q; opinionem haud uideatur habere. quoniam eam, quæ ex ratiocinatione non habet. Ipsa uero illam.

Si aliquis quidem opinionem simpliciter eam cognitiõem vocet, quæ iuxta id quod exterius existit, atq; apparet, hanc in primis animalibus ratione carentibus ascribere oportet, & Iamblichus sanè in ea vita quæ ratione caret, & opinionem quoq; collocat. Sin autem eã intelligat quæ ex ratione, atq; ratiocinatiõe, & eam quæ ex multis particularibus in vnum vniuersale adducit, nequaquam animalibus ratione carentibus hanc concederet. In causa autem esse inquit, q; non omnis imaginatio de qua ratio existit, quam & appetitus quoq; sequitur, opinionem videatur habere, quoniam eam, quæ ex ratiocinatione non habet. Quandoquidem cognitionem illam, quæ iuxta id, quod videtur existit, omnis appetitus habet. Neq; enim possibile est sine cognitione aliquid appetere. & absq; cognitione saltem ea, quæ iuxta id quod videtur. Circa ea enim quæ in actione posita, existimatio versatur, quemadmodum circa ea, quæ in contemplatione collocata, exacta cognitio. Hæc autem eam, hoc est, opinio ex ratiocinatione, sequentem habet imaginationem tanquam eã, quæ circa ea, quæ aguntur fit, & circa ea, quæ contingit alio modo sese habere, hmõi opinio.

Existimatio. Exacta cognitio, vbi posita.

QVAPROPTER ipsam deliberantem potestatem non habet appetitus. Vincit. n. interdum, & mouet uoluntatem aliquando autem illa hunc.

Appetitum nunc proprie vocat eum, qui ratione caret, & facit syllogismum in secundũ figura. Appetitus qui in animalibus ratione carentibus non habet ratiocinandi vim, ipsum deliberans habet ratiocinandi vim, talis itaq; appetitus non habet deliberandi vim. Adeo autem appetitum eum, qui in aliis existit nostra appetens imaginatio superat, vt interdum rationi æqualis reddatur, quemadmodum dictum fuit. & uoluntati ipsius rationis, ita vt in iis quæ in actione posita resistant, & pugnet, interdum autem & eam quoq; superat. interdum vero etiam vincatur. Quando igitur ab appetitu eo qui ratione caret principium fit, mouet quidem rursus ipse, mouetur autem tunc rationalis voluntas. & aliquando voluntas tota illam sequitur, vt in immodestis, aliquando vero resistit quidem, non autem superat vt in intemperantibus.

QVEMADMODVM pila appetitus appetitum, cum incontinentia sit. Natura aũt semper quæ sursum principalior, & mouet. Ita ut tribus latiõibus iã moueat.

Similitudinem affert eius quod dictum fuit, vnam pilam eorum, qui mutuo inter sese proiiciunt, cum moueat quidem ipse proiiciens, moueatur autem qui recipit. & rursum qa proiicit moueat. Ita. n. & in intemperantibus, & deterior præstantiorem mouet appetitus. & præstantior deteriorem tanquam resistentem. & vincit quemadmodum in iis qui pila ludunt, qui vehementius percutit. In intemperantibus vero deterior appetitus. quemadmodum in temperantibus, qui præstantior. Ac videtur quidem incontinentiam nunc appellare omnem illam contentionem. Licet non id, quod deterius, sed quod præstantius vincat. Quatenus omnino haud vnius imperium est, sed aliquando quidem alterius, aliquando vero reliqui. Interpretes vero pilæ similitudinem de cœlestibus intelligunt, quippe cum ea

Pagination

Incorrect

non errat, & proprium motum largiatur, iis, quæ errant. Quo vnaquęq; ſphærarum errantium proprio moueatur motu, & ipſa non errans ſuo ipſius. & tertius qui ab ipſa nõ errante datur vincat ſecundum. Quandoquidem natura, hoc eſt, ſecundum naturam volũtas, præſtantior, & principalior. quæ & à ſeipſa tota excitari poteſt, & tanquam bonum ipſum terminum ſtatuit. ſecundum naturam q; ſecundam ipſa moueret. aut quoniam ſeditiones agit aduerſus præſtantiorem, mouet quodam pacto & ipſa illam. quemadmodum in iis qui pilam inuicem proiiciũt, dictum fuit. Si ita q; neq; demulceatur, neq; cogatur, ſed contra ſuperare debeat voluntas, tertius erit motus, à voluntate, qui eam habet vim, vt reprimat eum qui ratione caret, cum prima ſit tanquam imperans iuſſio ſecundum naturã exiſtens. Imperat. n. natura, vt dictum fuit, voluntas imaginatione concipienti appetitui. Ipſæq; adhuc imperite ſeſe habens, econtrario illam non adhuc ſecundum naturam in id quod proprie eligi debeat, trahere nititur. Ipſaq; voluntas cum tracta non ſit, cohibet non ſine quadam inſtantia illius motum.

QVINQVAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

IPSVM autem ſciendi uim habens non mouetur, ſed manet.

EXPOSITIO.

Ex iis quidem quæ deinceps ſequuntur videtur ſummatim concludere, quæ ante dicta fuerunt omnia, cum ſuperius inceperit ab extremitate ſubſtantiæ noſtrarum animarum. Nanq; omnis ei vel à principio directus fuit ſermo erga omnem mortalium animalium vitam. Sciendi nanq; vim habens nunc intelligit, non quod poteſtate, ſed quod perfectum exiſtit, atq; actu ſciens eſt. quemadmodum contextum, quod iam contextum eſt, & auratum, quod iam auratum eſt. Quoniam quod adhuc poteſtate exiſtit, tanquam & adhuc imperfectum, & mouet, & mouetur. Mouens quidem ipſum animal eſt, tanquam per ipſum, & ſenſus, atq; imaginationes ad formarum ſpectaculum excipiẽdi ſint. Mouetur autem tanquam id quod perficiatur à ſubſtãtialibus animæ, intelligibilibus formis. At & qđ iam perfectum fuit, tanquam id quod poſſit & ſeipſum intelligere, iuxta habitum q; atque adeptionem perfectum ſit, & id omnium confeſſione mouetur, à lumine quod perficit colores ſine lumine in ipſo exiſtẽtes, cum actu cognoſci poſſint. & quemadmodum ab arte, quæ arte fiunt. & tanquam actionem ab ipſa ſubſtantia ſeiungens. ac & mouet non ipſum animal proxime. & tãquam in actione verſantis intellectus cauſa eſt. Oportet. n. eam. quæ maior dicitur propoſitio antea conſideratam fuiſſe, atq; inde ipſam particularem adiunctã facere in actione verſantem intellectum. Ipſam autem maiorem ſecũdum ſeipſam, qui ſecũdum habitum ſciens eſt, contemplatur. quemadmodum & particularem ſecundum ſeipſam ipſa deliberans imaginatio, in animalibus rationem habentibus. vtraſq; autem ſecundum cõplexionem, intellectus, qui practicus appellatur. Quapropter & ipſe deinceps inueſtigat, vera magis manet animal, maior, aut minor propoſitio. Si enim quacunque ratione, & maior mouebit, & ſcientiam pariens ratio, at & qui ſecũdum habitum, & qui progreditur. Ipſe quidem ſeparatus, & qui id tantum eſt, quod vere eſt, & qui iuxta ſubſtãtialem conſiſtit actionẽ ſecundo loco, poſt intellectum & animatam quoq; ſubſtantiam ſuperantem, quapropter & intellectus ſimul, & ſcientiam quoq; pariens dicitur. cũ illud ſciẽtiam parere ipſum ſecundum eſſe, indicet. Talis autem neq; mouet, neq; mouetur, ſed manet. Solum. n. id eſt inquit, quod vere eſt, cum non adhuc vlli ſecundæ coniungatur vitæ. ſed & actionem in ſubſtantiam colligat, propter ipſam coniunctionem cum ſuperante intellectu, quæ tamen haud ex diuerſitate fit. Neq; n. quemadmodum ipſa natura, ita & corpora quoq; tangunt formas, ſed iuxta cognationem, atq; coniunctionem potius inſitam, cum pauca diuerſitas fiat. Vnde & ſecũdo loco eadẽ de ſummitate animæ dicuntur, quæcunq; & de intellectu ab eo ſeiuncto, dum eam ſecundo loco poſitam demonſtramus. ex additione ea quæ intellectui fit, quæ eſt ſcientiam parere. quod quaſi medium indicat inter eum qui manet, atq; eum, qui progreditur, & intelligibilem formam, atq; eã quæ ab ipſa cognitione reuoluitur. cum ipſa quidem ſubſtantia, & permanſio ex manente, atque

progrediente,

progrediente ſignificetur, ſcientia vero ex intelligibili, forma, atq; ea, quæ à cognitione re-
uoluitur. Ipſa quidem. n. cognitio actio quædam eſt. Permanſio autem, & progreſſio ſub-
ſtantiales ſubſiſtentiæ, quæ indiuiſibilem ſimul, atq; diuiſibilem, aut mediam apud Plato-
nem indicant exiſtentiam. quemadmodum intellectus, & ſcientia apud Ariſtotelem indi-
cant, circumlationes illas apud eum, quæ circa eiuſdem, atq; alterius circulum. Cæterum
anteaquam ea quæ ſequuntur agglutinemus, parumper manentes dubitabimus aduer-
ſus nos ipſos duas dubitationes, quarum altera ex rebus ipſis ſumitur, altera vero ex opi-
nionibus eorum, qui vſq; ad finem philoſophati ſunt. Ex quibus altera quidem ex rebus Dubitatio
inueſtigat, qua ratione nõne & ſummitas animæ mouetur, a ſeiuncto ab ea intellectu, ab prima.
eo qui omnino ab anima ſeiunctus eſt, tãquam ab efficiente, ab eoq; qui ipſam participat,
tanquam à definiente. Quapropter tanquam ea quæ moueatur, & tanquam per ſe mobi-
lis à Platone tradita fuit. Quo itaq; pacto nos neq; moueri, neq; mouere animæ extremita
tem, ſed manere dicimus ſeparatam, & id tantum exiſtentem, quod vere eſt, cum tamen &
tunc intellectui appenſa ſit, atq; ab intellectu perficiatur. Nunquid, quemadmodum dictũ Solut
fuit, non erat cum diſceſſu illa eleuatio. ſed ſolum cũ coniunctione, atq; ſine medio. Quã-
do naturales formas, nõ corpus coniuncte, ſed naturales rationes formæ attingunt, & per
eas medias ipſum partibile adeſt. Rationes. n. poſt ſeipſas formas vbiq; proximæ ſunt. Ra
tio autem, & animata ſubſtantia & quæ præſtantior quàm ſecundum naturales, quapro-
pter & propriæ formæ proximius, atq; coniunctius coniungitur. Partibilium autem pro-
prius eſt motus, cum actus ſit ſecundum Ariſtotelem, qui in hoc motus vocabulo vtitur,
& non quemadmodum. Aliquando facit Plato, & in actu impartibilium, vt in extremitate
intelligibili. Nanq; intellectum ille circa eadem, & iuxta eadem, & eodem modo moueri di
cit. & præſtantiſſimam eius actionem motum appellat. Nouit autem & naturales omnes
motus, à quibus excipit animatum. Ariſtoteles autem ex ſuiipſius conſuetudine immobi-
lem vocans animatam ſubſtantiam, atq; actionem, quia ſolis iis quæ partibilia ſunt motũ
cõcedit, iure immobilem & nunc quoq; dicit. Neq; mouere iudicat dum pure in ſeipſa ma-
neat. Mouere. n. tunc vult, cum quodam pacto progrediatur. Nunquid autẽ & quod apud
Platonem per ſe mobile huiuſmodi eſt? Non tanquam id quod mouetur ſimpliciter, ſed
tanquam medium quod ex extremorum compoſitione indicatur, eius inquam, quod ip-
ſum eſt, atque ipſius mobilis. Quo itaq; pacto perficit animam intellectus, non ex receſſu,
ſed ex coniunctione carente medio. Quapropter ex permanſione potius, & non quia mo-
ueat, verum quia in ſeipſo ſedeat. & perficiens non ſeparate, ſed quia ſeparet quidẽ ab iis,
q̃ extra, cõuertat autem, & cõiungat in primis erga ſeipſam, atq; erga ſeipſum. Hæc quidẽ
igitur inquiſita ſint, atq; diſſoluta, ex dubitatione, atq; contẽplatione, quæ ad rẽ ipſam ſpe-
ctat. Inueſtigetur aũt & illud, quonã pacto cũ diuino conueniemus lãblicho, qui & intelle
ctũ poteſtate, & eũ qui actu de præſtantiori anima intelligit, aut de eo, quod animæ definiẽ Dubõ ſcda.
dæ vim habet, aut de eo cuius haud particeps exiſtit. Cum nos arbitremur de ipſa animata
ſubſtantia ambe tradita fuiſſe, vt & ex ipſis Ariſtotelis verbis multis in locis explicauimus.
At neq; quæ contraria lãblicho ſint loqui audebimus. Conciliabimus aũt ſecundũ noſtrã
poteſtatẽ, tantũ nos inferiores fatentes, quanto qui hactenus iudicati ſunt præſtare ſapien- Reponſum
tiſſimis hominibus. Ex quibus alii quidẽ ex iis quæ dicũtur à cauſis ad cauſarũ contẽpla-
tionẽ veniunt, alii vero contra. tanquã ex ſpecula, ex cauſis, ea quæ inde efficiuntur, ſpecu-
lantur. Eadẽ. n. quodã pacto eſt ratio. Quandoquidẽ & quadã ratione eadẽ ſunt ipſæ cau-
ſæ, atq; ea. quæ ex cauſis ducuntur. Quoniã ſecundũ cauſaq; proprietatẽ, atq; actionem,
quæ ex cauſis efficiuntur, ſuũ habent eſſe, & qualis cauſa apparuerit iuxta formã, atq; ſim
plicitatẽ, tali & id quod ex cauſa ducitur eſt, ſecundo tñ loco, & ex participatione. Atq; con-
tra iis euenit, qui ea quæ ex cauſis ducuntur antea conſiderant, qualia. n. hæc ſecundo lo-
co, & in participatione, talis quoq; cauſa ſimpliciter, exiſtit, & abſque vllius participatione.
Quecũq; itaq; de cauſa conſiderantur iuxta eius proprietatẽ, tot & de iis, quæ ex cauſis du
cta ſunt. Diuinus igitur ille vir ex ſumma ſuipſius contẽplatione, in cauſa prio hanc conſi
derans, dat nobis & in anima quoq; hanc intelligere, nobis aũt gratũ eſt, qui in alia primo

ipſam ſumus conſideraturi, ita ad cauſam aſcendere. Quo quod aliquando quidem pure manet, aliquando autem recedit à pura illa permanſione, ad iamq; quod prominet fluentium animarum progreditur, atq; his implicitum eſt, conſiderantes in ipſa anima noſtra, tanq̃ in ea, quæ iuxta id perficiatur, iudicemus & intellectum ipſam determinantem talem eſſe, tanq̃ eum qui hmõi rei determinandæ vim habeat, & rurſum, quod aliqñ in actũ eius purum abit, ex eo tñ quod poteſtate, & intellectus q̃ hmõi ſubſtantiæ determinandæ vim habet, eius quæ aliquando quidem poteſtate, aliquando aũt actu puro fit, poteſtate & ipſe perficiatur, non tanq̃ patiens quod poteſtate eſt, ſed tanq̃ definiens, atq; conſtituens ipſam patientem ſubſtantiã. & quod poteſtate aliquando, & quod in actum aliqñ abit. Hæc itaq; à nobis dicta ſint & in ſecũda dubitatione, at quæ Ariſtotelis inde ſequuntur, adiũgamus.

QVONIAM autem alia quidem ipſius uniuerſalis exiſtimatio, & ratio. alia uero ipſius particularis. Illa quidẽ. n. dicit, ꝙ oportet talem, quod hniuſmodi facere. Hæc autem, ꝙ hoc tale. & ego talis. Iam ipſa mouet opinio, non quæ uniuerſalis aut ambo, ſed alia quidem quieſcens potius, alia autem non.

Cum ea quæ de contemplante animæ intellectu dicuntur hactenus concluſerit, quemadmodum ſolum qui ſummus manet, & neq; mouet, neq; mouetur, ex iis quæ ſequuntur de ipſo progredienti demonſtrat, qua ratione mouetur. Licet iam perfectus ſit, ac propter hanc cauſam ſcientiam pariens. Cum præterea demonſtret qua ratione mouetur, qa vniuerſalem eius contemplationem dicit, & non impartibilem. Quo perpetuam quidem, atq; neceſſariã eius contemplationem ſeruet. quæ eſt quæ vniuerſalis ab eo dicitur, propoſitio. Quæ formas percepit nõ ſubſtantiales, atq; cauſales, ſed eas quæ eã progrediuntur, & quæ rationibus ex cauſis ductis atq; particularibus in anima exiſtentibus conueniunt. Talia nanq; ſunt quæ vniuerſaliter dicuntur, quæq; de particularibus dicuntur. & quæ vnà cum eis inſeparabiliter ipſum eſſe habent. Quod autem & mouet manifeſtius demonſtrans, quia vniuerſalem hanc propoſitionem practico tradit, quæ & ipſa vnà cum particulari animal mouet, atq; inde ad ipſum in actione verſantem intellectum aſcendens, concludit & quæ de eo tradita ſunt, tanquam & vniuerſalis contemplans ſit, & quietius, atque magis abſtracte moueat, particularis autem à deliberante imaginatione magis cognoſcat, & proxime, atq; magis moueat ipſum animal, cum circa ea quæ in actiõe poſita verſetur, & quæ aliis alia ratione ſeſe habere cõtingit. quippe quæ particularia ſint, & particulari indigeãt motu quo perficiantur. Cũ practicus intellectus qui in nobis eſt, ambas propoſitiones ſimul conſideret, atq; coniungat, alteram quidem ab ipſo contemplante accipiens, alteram vero vnà cum imaginatione rationis formam habente, conſiderans. & cum moueat animal ad ea, quæ aliquando ſunt, aut videtur eligenda, abſtracte quidem, vt dictum fuit, atq; potius cum quiete maiori. Proximius aũt & non ſine multa mutatione interdum alteret ipſam minorem. Qualis autem ipſa vniuerſalis, & maior ſit, & qualis minor, atq; particularis, meminit. Vtranque quidem rationis participem enuntians, quia exiſtimationem atq; rationem dicit. Nanq; & quæ particularis rationis particeps eſt, quippe cum & imaginatio noſtra deliberandi vim habeat, & tanquam ab intellectu nunc cognoſcatur. Diſtinguens autem eas inter ſeſe, quia eam quidẽ tale cenſeat facere. Cum tale conſueuerit, quẽadmodum & in prædicamentis, ei quod vniuerſale aptum eſt fieri, concedere. Exẽpli gratia, quod bonum colendum ſit. Neq; id, aut id, ſed ſimpliciter omne bonum. Altera vero ipſum particulare determinet, ꝙ bonum, hoc eſt, exempli gratia, ꝙ Socrates bonus. Qđ quidem ſubiectum in hac id appellans, tanq̃ ſocratem forte fortuna particularem, ipſum vero tale, quod dicitur. tanquam abſq; vlla determinatiõe ſemper quod dicitur, inſit. & propter hanc cauſam haud id ſit, ſed tale potius. Duarum autem particularium propoſitionũ exẽpla poſuit, alterius quidem, tanq̃ eius quæ de tertia perſona ſermonem habeat. vbi id igitur tale eſſe dicit, tanq̃ ſi de Socrate verba faceret. alterius aũt, tanq̃ de prima, qñ, & ego talis, inſert, iam ipſa mouet opinio, hanc particularem intelligens. Ac quo manifeſtius mouenti

totam

totam hactenus assignaret causam motus animalis, qui secundum locum sit, & non vniuersali. Deinde tanquam corrigens exactius inquit, quemadmodum ambæ quidem mouent, sed altera quidem potius quiescens, quoniam cum non moueatur mouet. Manet enim eadem semper, cum nunquam mutetur, neque interdum aliter sese habeat. Scientiam nanque patiens erat. Propter quam igitur causam potius, & non simpliciter quiescit? Quoniam coniuncta cum particulari, & cum ea quæ mutatur, iuxta ipsam complexionem simul mutatur. Perpetua quidem enim est, quatenus ipsum bonum honore dignum esse enuntiat. Quatenus autem cum ea, quæ aliquando quidem Socratem, aliquando autem Pythagoram, aut Platonem dicit esse bonum, coniungitur, & concludit, & concludit interdum alium esse honore dignum. Conclusio nanque non ex sola particulari fit, sed & ex uniuersali quoque, ea ratione quodam pacto, & ipsa quoque mouetur, & propter id, illud, potius, in ea, quæ secundum seipsam quiescit, adiunctum fuit, quod eam habet vim vt indicet, & ipsam quodam pacto secundum complexionem moueri. Concluſit itaque & quæ de practico dicuntur intellectu, tanquam eo, qui & ea imaginatione vtatur, quæ in ipsis animalibus rationem habentibus, inuenitur, & coniungat ipsum particulare cum vniuersali, atque ambo contempletur, & eam habeat vim, vt animalia secundum locum mouere possit, iuxta ambas propositiones, propinquius autem, & manifestius iuxta minorem. sed vt exactius loquar iuxta ambas. & quodam quidem pacto, iuxta vtranq;. Quod autem & quod simpliciter moues, ipsum appetens sit, superius quidem ex pluribus demonstrauit, nunc autem & in sermone de practico intellectu meminit, quia particularem imaginationem maximã mouendi vim habere dicit, non adhuc proprie, & de eo concludit. sed tanq̃ is qui de omni locutus sit, & sensu, & contemplatione, & appetitur. ex imaginatione. n. & quæ ad sensum quoq; spectant, demonstrauit. eamq; rursum pro ipso accepit. quoniam ex sensis formæ quæ cogitatione concipiuntur, fiunt, & ex sensu imaginatio excitatur. quoniam illa ex sensibilibus fit. Accedit q; deinceps ad sermones de ipso instrumẽto, nãq; vel a principio iis succensebat, qui quale & ipsum uiuax instrumentum sit, non determinãt, sed solam ipsius vitæ formam, cõtemplatur. neq; quale illud sit, quod recipiendi vim habeat, determinant. & ad id, vt distinguat, quænam quidem sunt extremæ vitæ, quæ in iis, quæ quacũq; ratione viuunt, quæq; quæ proxime semper ingrediuntur. Quotq; omnino tanquam instrumentis, ad ipsum agere, indigent corporibus. Eas. n. quæ nunq̃ indigent, táquam perspicue abstractas dimittit, & ad id accidit vt concludat, quemadmodũ quæ perfectiora quidem sunt ex mortalibus animalibus, omnes eas habent, quæ subingrediuntur. Haud tamen & contra, & quænam imperfectiora sint ex viuentibus, quæq;, vt dictum fuit, quæ proxime semper ascendunt. Propositum itaq; eius est de instrumento loqui, immo vero concludendo summatim colligere, quæ latius ab eo dicta fuere. Quoniã ipsum quidem instrumentum eorum quæ vegetando, atq; non sentiendo viuunt magis simplex est, cum multa abundet terra, propter idq; haud facile patiatur, & ipsum id non facile pati, haud in elementorũ medietate collocatum, sed in potentia terræ perficitur, & a sensibilibus quæ eo incidunt, difficilius adhuc fit, atq; ibi a sensu relinquitur. Quod. n. sentiendi vim habet quacunq; ratione in medietate potius elementorum collocatum est, & non in abundantia terræ. quemadmodum indicat, quod tangendi facultatem habet, cum extremum sit sensorium. Quo & diuersas quoque qualitates, quæ in ipsis sunt, cognoscere possit, caliditatem verbi causa, quæ in igne, frigiditatem, quæ in aqua, humiditatem quæ in aere, & siccitatem, quæ in terra. Quoniam quod iuxta vnum superans perficitur, non habebit medietatem similem erga contrarium. Determinat igitur, primo quidem quale vegetans instrumentum sit. Deinde quale, quod tangendi solum, atque gustandi vim habet, vt quod eorum animalium existit, quæ quo ad totum immobilia sunt, secundum locum. & tertio loco, quale eorum, quæ progrediuntur, atque perfectiora sunt. Cum iuxta id, quod tangendi vim hẽt, nullũ ex imobilibus iuxta seipsa tota differat. sed quatenus progrediẽtiũ sunt, atq; eoꝝ quæ pcul sentire debẽt, & nõ adhuc sine medio, q̃ incidunt tangãt, sed per media iuxta præstãtiora elemẽta, talia perficiatur sensoria. Opus aũt ei erat pp hoꝝ collectionẽ, illud nobis

Interrogõ. Reponsum

Pagination

Incorrect

in memoriam reuocare, quemadmodũ omne, quod quacunq; rõne viuit genitam vitam, vegetante aĩa eget. Quod aũt sentiẽdi vim hẽat quacũq; rõne, tangẽdi, atq; gustandi sensu. Quod vero ꝓgredi debet, & pfectioribus quoq; sensibus. Vnde initium sumẽs, & ea quoq; additurus est, quæ de proprio vniuscuiusq; instrumento, dicenda sunt.

QVINQVAGESIMANONA PARTICVLA.

NVTRIENTEM quidem igitur animã necesse est omne habere, quod uiuat, & animam habet ab ortu ad interitum usq;. Oportet. n. qnod factum est accretionẽ habere, atq; uigorẽ, & interitũ. Hæc aũt sine nutritione habere, impossibile est. Necesse itaq; inesse nutrientem potestatem, in omnibus iis quæ producuntur, & intereunt.

EXPOSITO.

Mortalibus sanẽ, q̃ quacũq; rõne viuunt nutritiõe opus est. Neq;. n. pñt, q̃ nõ nutriunt̃ seruare vitæ formã. Qm̃ nõ sine materia vitæ receptio ipsis adest. Vt illud indicat, q; aliqñ qdem vinãt, aliqñ aũt nõ, & ipm esse aliqd in eis nõ innate, sed aduentitie vitã recipiat, qđ & anteaq̃ receperit, & post obiectionẽ priuaꝛ ipsa. Q đ aũt aduẽtitie accipit materia est. Quẽadmodũ qđ insite recipit ipm aĩal. Cuius nihil remanet post abiectionẽ vitæ, ceu viuẽtis. Neq; ante receptionem quicquã erat, qđ tanq̃ viuens præexisteret. Et & hæc iam à nobis multis in locis cõmemorata sunt, & in iis quoq; q̃ in hac tractatione scripta fuerũt. Propter materiã autem, q̃ aduentitie vitã recipit, & q̃ ꝓpter hãc cãm, & ad priuationem eius accedit, neq; fluit, & q̃tum in fluxu illo, q̃celerrime ipsam abiicit, cũ æqualis existat natura nutrienti vi, tanq̃ sanè nutritio influxus sit, aliqñq; defluxum potius vincat, vt in accretione, aliqñ autẽ æqualis existat, vt in vigore, aliqñ vero vincatur, vt in decretione & in hac itaq; nutritione quoq; opus est. qñ & multus fit defluxus. Quo cuicũq; influxui tempore aliquo resistat, propter maiorem defluxum. Iure itaq; ab ortu vsq; ad interitum, quæ ita viuunt nutritiõe indigent. Necesse nanq; est ipsa, aut augeri, aut in vigore esse, aut interire. In vnoquoq; aũt horꝫ nutritione indigent, quæ ita viuunt. Neq;. n. in iis, q̃ aĩa carent oĩno nutriens inest vis. Exẽpli. n. gratia si aliqs concedat, & metalla quoq; augeri, & in illis adhuc magis obscurã, q̃ in plantis cõcedet vegetãtem vitã inesse, neq; in iis, quæ perpetuo viuunt, quippe cũ neq; cũ materia sint, neq; ex accessione vitã recipiãt, sed iuxta id solũ quod ipsis innato insitum est, ipsam viuunt. & propter hãc cãm auxilio nullo indigent, qđ inferatur, quo viuant.

SEXAGESIMA PARTICVLA.

SENSVM autem non necessarium in omnibus uiuentibus. Neque enim quorũcũq; corpus simplex, tactũ cõtingit habere. neq; sine eo pote est ullũ esse animal.

EXPOSITIO.

Videri posset illud adsumere, qđ inuestigat. Propter quã. n. cãm nõne & oĩa q̃ viuũt, adẽriam eius qđ ꝓpriũ, quod q; alienũ, tãgẽdi, atq; gustãdi nõ hñt sensum, ita vt oĩa, q̃ viuũt sentiãt? Qñquidẽ & alioꝫ oĩum, q̃ sentiendo viuunt, corpus id tale existẽs, vt i medietate sit atq; tactũ hẽat, simplex appellamus. qa, vt iã dictũ fuit, ex potẽtia vnius elemẽti, hoc est telluris, tãgendi cõstitutionẽ hẽt, cũ nõ oĩno. s. simplex sit, siqdẽ cũ vnius potẽtia, atq; exuperãtia, cõpositũ q; est & ex aliis quoq;, vt & ipse vbiq; vult, & eius actio indicat. Quid itaq; vetaret in medietate quodã pacto, & hæc quoq; esse, qa omnino cõtrarioꝫ sint, licet haud æqualia existant, habeantq; aliquẽ sensum, sed tenuiorẽ, q̃ iuxta ea, quæ alia rõne viuunt? &, vt dixit Plato, tanq̃ dormientem, sensum? Verum forsan Aristo. haud censet ipsi sensum assignare, idq;, qm̃ nõ tanq̃ vigilantẽ hñt, sed. vt ille dixit, tanq̃ dormientẽ. Id aũt fit, quoniã nõ facile patiunt̃, & terrestre multũ hñt plantæ. vt ipse dicit, facile nanq; pati oportet, qđ sentiendi vim habeat. Nanq; in quibuscunq; natura in ipsum esse solũ intuebatur, iis. Vt cũ difficultate paterentur, cõcessit, cũ haud indigerẽt sensu, quoniã à seipsis illud hñt, vt nõ facile patiantur. In quibus autem non ipsum esse, sed ipsum potius bene esse conseruat, iis ipsum facillime

pati

pati dat, iuxta totam corporis consistentiam. quo & maximam sentiendi vim habeat. Quapropter in primis humanum corpus, vt id omnino dicam, facile pati potest, cum & temperamẽto aliis præstet animalibus, & tenuitate cutis iuxta magnitudinis proportionem, quo sensum secundum totum corpus exactionem habeat, cum in sensibus particularibus multa ab ea superentur animalia. Recte itaq; haud necessariũ esse, dictum fuit, omnibus viuẽtibus sensum adesse. qm̃ plantæ neq; tactum habent, neq; huic alium præcedere oportet. Non necesse aũt sensum omnibus inesse. qm̃ extrema extremum habent, & finem. qui omnino quidem bonum est, qualis sit finis, sed alius quidem præstãtior, alius vero remissior, & propriusiis omnibus, quæ perficiũtur. quemadmodum & extremis extremum. Quod autem sentiens bonum haud est extremum: sed excitatum iuxta actionem iudicãtem manere apparet. Quapropter requirit, quod adhuc remissum, quo & extrema sint bona. Tale autem potius id, quia est secundum ipsum solum ipsum esse concurrens bonum. Nõnulla autem forsan, & ex his cum remissa sint, quodam pacto sunt bona, quemadmodum ipsum inanimum. quemadmodum quod potestate, quemadmodum quod materiale, quẽadmodum quod priuans. At non de his nunc sermo est. Sine tactu vero, cui omnino & gustus quoq; cõnexus est, impossibile animal esse. Quoniam cum facile animal pati debeat, vt dictum fuit, quo & sentiat, iuxta seipsum totum sentiens esse oportet. Quoniam corrumpetur, quatenus sensu caret. & secundum quidem secundum quod, eius quod in mollicie, proprium, atq; alienum est, distinctionem habebit. Cum hac quidem ratione gustãdi vim habeat. iuxta eam vero, quæ secundum totum, tangendi. His itaq; omnino opus est, ei, qđ quacunq; ratione sentiendi vim habet. Verum quid quod infertur est.

NEQVE præterea quæcunq; non recipientia formas, sine materia. Ipsum uero animal necessarium sensum habere, si nihil frustra facit natura.

Quænam. n. vult significare, quæ formas sine materia recipere possint? quo ex affirmatione, & quæ non recipiunt sine materia cognoscamus. & propter quam causam dicta fuit negatio illa, quæ in principio proposita fuit. illud quam neq;, haud. n. simpliciter adiecta fuit, sed significationem quãdam videtur habere, immo vero hoc pacto totum id, quod dictum fuit, declarãdum est. Si sanè videtur dicere nunc, & formas anima carentes, si aliqua sit in ipso vniuerso forma anima carens, sed non solum atoma quæcunq; sint cadauera. & est de sentientibus ei sermo. videturq; neq; simpliciter quæ animata sint nunc accipere. sed & quæ sentiendi vim habeant, aut præstantius adhuc cognoscentia sint. Quæ sanè huiusmodi formas sine materia recipere possunt perpetua sunt animalia, quæ qđ exaccessione recipit nullo pcõ hñt. Quibus neq; Plato, neq; Aristo, sensum quẽlibet cõcedũt. Qñquidẽ, vt dctm fuit, possibilé appellãt sensum, nõ totũ, q intus iuxta ppriã actionẽ, & cõstituẽtẽ, atq; iudicãtẽ sensibilia. Talia itaq; sunt, q formas sine materia recipere pñt. & dictũ fuit, qles formas, qm̃ eas qdẽ, q cognoscẽdi vim hñt, sed p̃stãti?, & nõ sentiẽdo iuxta antiquos istos philosophos. Manifesta itaq;, & q formas ipsas cognoscẽtes haud sine materia recipe valẽt. Ea. n. sunt, q haud ppetua ex aĩalib?. Quæ sanè hmõi, oino & sensu quoq;, ppea q añ dcã fuerũt, tãq; ipassibilia indigẽt, prioq; ipsotãgẽte. Illa itaq; pticula, neq;, iũgẽda érursum vbi acceperim? qđ antea dictũ fuit, illud inquã, sine hoc, hoc ẽ, sine sensu, nullũ potẽ, eẽ aĩal. atq; huic qđ dr̃ adiũgẽtes, & illud neq; qđ postremo loco adductũ fuit, ita qđ reliquũ est dictionis inferemus. qcũq; nõ recipiũt formas sine materia. Quo duplex assignet cã eius, qđ est, mortalia aĩalia tãgẽdi sensum, hñe. Altera qdẽ qa nõ sine hoc reliq sint: altera uero, qñquidẽ cũ aĩalia sint, & ad uẽtitie cognoscẽtes formas recipe possint, id nãq; illud est, qđ haud sine materia sentiẽtia sint, necesseq; & sẽtiẽtia quoq; cũ passiõe eẽ. Si nihil frustra facit nã. Hoc ẽ, nisi ppriũ bonũ aĩalib?, tãq; aĩalib? assignabit. Ipm nãq; bonũ vniuscuiusq; seruãdi vi hẽt. quẽadmodũ & ĩ politia Plato, vt o. đ itaq; haud assecutũ fuerit id, qđ ei salutis cã ẽ, sedm naturã, frustra erit. Sed nihil frustra a natura facit, q̃re & aĩalib, oĩb?, qđ iuxta cõuenientes ipsis mẽsuras traditur, seruandi vim habet. Seruandorum autem mortaliũ animaliũ vim habet ipsum sentire potens: cum causa sit, vt ea vitentur, quæ aliena, & ea recipiãtur quæ propria,

CAVSA alicuius.n.omnia insunt, quæ natura, aut accidentia erunt ex iis quæ cã alicuius. Si itaq; oẽ corpus progrediẽs nõ hñs sensũ corrũperet & ad finẽ nõ accederet.q̃ est naturæ opus. Quo.n.pcõ nutriet. Stabilibus.n.inest id, unde nata sunt.

Hæc & in naturali auditione manifestius determinata sunt, quemadmodum quæ secundum naturam fiunt, alia quidem tanquam ipsi sunt fines, ceu formæ virtus, & sanitas, & omne quod huiusmodi, & hæc quidem, tanquam ea, cuius causa. Alia vero haud tanquam fines, sed ceu ea, quæ ad hos ferant. vt exercitationes, & propria materia & instrumẽta. Alia vero tanquam accidentia consequentia, aut ea quæ iam assecuta sint finem, aut ea, quæ adhuc feruntur ad finem. vt sudor, & saliua. & pili, vt inquiunt, qui in alis sunt. quæ & bene sese habentia, quoq; cõsequuntur animalia. & quemadmodum labores, & erumnæ, eos consequuntur, qui adhuc feruntur ad bonam valetudinem ex exercitationibus. Aristoteles autem in duas partes diuidere videtur ea omnia, quæ natura fiunt. in ea quæ causa alicuius, & in ipsa accidentia. Cum iis quæ causa alicuius, & ea quoq; omnino simul inferens, quæ cuius gratia dicuntur. Neq; enim pote est, causa alicuius aut esse, aut fieri, cum nõ sit, & ipsum cuius gratia. Quibus omnibus recte adiungit philosophus, tanquam conclusionem propositionum antedictarum, progredientia animalia & magis requirere sensum, quàm ea quæ firma, atq; imperfecta sint. quia & iuxta multa, atq; interdum diuersi loci occurrant corporibus, quæ ipsorum seruandorum, ac corrumpendorum vim habent. & propter hanc causam, tanquam perfectiora, & perfectiorem sensum participant, qnam is sit, qui tangendi vim habet, & propter hanc causam, quicq; magis agat. & præterea, quia & alios ex necessitate, qui longius ab ipso absint sensibili percipientes sensus participet. Quo & anteaquam tangat, quæ corrumpendi, atq; seruandi vim habent, sentiens, alia quidẽ fugiat, alia autem insequatur. Sine sensu vero, non seruarentur in primis, quæ progrediendi vim habent. Qui erat ipsis finis, atq; bonum, quæq; salutis, vt dictum fuit, causa. quæq; in primis secundum naturam est, quandoquidem & præstantissima causa ipsa finalis existit. cuius causa, & ipsa efficiens facit, & formalis determinat, & materialis causa substrata est proprie rebus. & cum tractauerit pulchre quæ dicta sunt, infert, quemadmodum ipsis stabilibus ex animalibus, & ipsis præterea animalibus quæcunq; stabilia sunt, ipsum nutriri natura dedit, & in ipso manent. Perspicue quidem plantis, iam vero & stabilibus animalibus, quæ ibi à principio nascuntur, atq; subsistunt, vnde & nutriri quoq; pñt.

SEXAGESIMAPRIMA PARTICVLA.

NEQVAQVAM autem pote est corpus habere quidem animã, & intellectum iudicãtẽ. Sensum aũt nõ habere. cũ stabile nõ sit: ortui ãt obnoxiũ. At neq; ignitũ. propter quam.n.causam non habebit. Aut.n.anima, melius est, aut corpore. nunc aũt neutrum. Ea quidem.n.haud magis intelliget. Id aũt nihil erit magis pp illud.

SEXAGESIMASECVNDA PARTICVVLA.

NVLLVM itaq; habet animam corpus non stabile, sine sensu.

EXPOSITIO.

Id patet, q̃ nõ de oĩbus progredientibus dictũ fuit, sed de perfectissimis aialibus, q̃ inter ipsa sunt. In qbus & iudicans quoq; est intellectus. Dubi atũ aũt oĩno fuit, & adiunctũ fuit iis q̃ dicta erãt, aduersus ipsos dubitãtes ppter quã cãm pstantiorẽ habeãt cognitionẽ eam, quæ sedm intellectũ, neq; sufficiat ea ad salutẽ licet pgredietia sint, sed & sensu quoq; indigeant. & vna qdẽ, q̃ iã plæpe dcã fuit cã, nũc dimittit. Quia. s. necessariũ est aialibus, cognatã, iis q̃ cognoscũtur inesse cognitionẽ. cognatus ãt adeo ipsis ẽ sensus, vt neq; aliter ab intellectu illo, q̃ in ipsis ẽ, q̃ p sensum ipsa cognoscant. Sed id qdẽ, vt dicebã, tãq̃ id, qd' plæpe dictũ fuerit Aristo. dimisit. Immo vero neq; oĩno dimisit, sed cũ addiderit & aliã cãm, & hanc quoq; demõstrauit. Impossibile eẽ dicẽs ipsa genita, & pgredietia ex aialibꝰ intellectũ qdem

habere

habere,insensibilia autem existere,& huius rursum causam addens. Neq; enim animæ id esse,ad ipsum intelligere melius,neq; corpori inde erit salus,nisi & sensum quoq; præterea sumat. Nanq; anima rationis particeps nõ alia ratione ad ipsum intelligere, quam tota ad corpus accedens, excitatur,nisi per sensum primum, & in actionibus ipso vtitur adiutore, atq; imaginatione,quæ in ipso est.Corpusq; non solum ex intellectu, sed ex sensu quoq; seruatur,qui id ei exitiale esse demonstrat,id autem seruandi vim habere,aut id quidé molestum,illud autem suaue,& bene.vnde & quæ antea dicta fuit,reddita est causa, quæ sensum concedit sentientibus animalibus,tanquam cognitam cognitionem ipsis sensibilibus. Quapropter vniuersaliter,quod reliquum est, cõcludit.q; nullum habet animam corpus non firmum sine sensu, vbi illud non firmum additum fuit propter plantas. quæ habent quidem animam,sed sine sensu.aut & propter astra,vt Alexander vult, quæ animata quidem sunt,sed stabilia,quia tanquam radicibus propriis sphæris infixa, ita vt haud secundum semoueantur,vt eius sermo est. Ac ita videtur Alexãder interpretari propter id quod proxime prædictum fuit,quod est,nequaquam pote est corpus habere animam,& intellectum iudicãtem,sensum autem non habere,cum haud stabile sit, ortui autem obnoxium. quod enim non stabile,& intellectum habet iudicantem.ortui vero obnoxium ad differẽtiam sumptum fuit eius,quod habet,& animam,& intellectum iudicantem,stabileq; ingenitum id. In ipsis nanq; generabilibus nihil est stabile eiusmodi.In quibusdam autem exẽplaribus adiunctum fuit,& illud. Atqui neque ingenitum, quod Plutarchus quidem exponit,tanquam Aristoteles nunc & ipsis quoq; cœlestibus sensum tribuat. Neq; enim ipsa ingenita,quia secundum seipsa locum ex loco non mutant,& propter hanc causam stabilia sint,expertia erunt sensus. Videtur autem Aristoteles nullibi sensum in cœlestibus concedere.Sed deinde & ipsum id quoq; respuit.Quapropter rectius,vt opinor, Alexander interpretatur,illud,atqui neq; ingenitum,censens interpretando referre ad illud sensum habere. Vt ne ad id quod proxime dictum fuit,inferatur,ad id,inquam, nequaquam pote est corpus habere animam,sensum autem nõ habere,sed ad id quod à principio dictum fuit, quod est,sensum autem non necessarium in omnibus viuentibus.neque enim quorumcunq; corpus simplex contingit tactum habere. atqui nec quod ingenitum, necessarium sensum habere. Illud autem iudicans, intellectui adiunctum fuit,tanquam id,quod contemplans indicaret.propter contrariam diuisionem ipsius in actione versantis, ac quo manifestiorem reddam ipsum sermonem. Quoniam ipsum quidem in actione versans omnino sensu indiget,ipsum autem cotemplans haud omnino videtur. Attamen à principio & ipsum quoq; eget.& deinceps omnino in contemplatione de ipsis sensibilibus.

ATQVI si sensum habeat,necesse est corpus esse,aut simplex,aut mixtũ. Haud pote autem est,simplex tactum.n.non habebit. Est autem necessitas,hunc habere.

SEXAGESIMATERTIA PARTICVLA.

ID AVTEM ex his dilucidum.quoniam.n.ipsum animal corpus animatũ est: corpus autem omne tangibile:tangibileq; quod sensibile tactu: necesse & animalis corpus tangendi uim habere:si debet seruari ipsum animal. Alii nanq; sensus,ex aliis sentiunt.ut olfactus,uisus,auditus. Tangens uero nisi habuerit sensum, non poterit, alia quidem fugere, alia autem accipere. Sin autem hoc impossibile seruari ipsum animal.

EXPOSITIO.

Quod quidem plures sint generabilium vitæ, & aliæ quidem remissæ, atque extremæ, aliæ vero parumper ascendẽtes, quæ in iudicantem desinunt intellectũ, & q; vna cũ præstãtioribus & ipsæ remissæ,atq; extremæ existunt,haud tamen contra cũ deterioribus ipsæ præstantiores omnino, & nuper quoque ex ijs quæ ante dicta fuerunt, concluſit

Quale autem vnicuiq; proprium instrumentum, instrumentoq; conueniēter vnaquæq; vtitur vita, iam quidem apparet, cum & id ipsum demonstrarit. Manifestius autem nunc sermone suo percurrit, diiudicans corpus vegetans ab eo, quod sentiēdi simpliciter habeat vim. & id ab eo, quod non simpliciter, totumq; id à progredienti sensibili. & cum assignarit hucusq; instrumenti diuersam substantiam, non amplius aut tanquam instrumenti imaginatione concipientis, atq; tanq̄ rationalis infert, diuersam quandam naturam esse sciens, quemadmodum corpus proprie, vt & in superioribus dixit. Licet rationis particeps sit, sensus est proxime instrumētum, atq; proprie. Nanq; & imaginatio sentius quidam est, & appetitio, quæcunq; & in aliis quoq; est animalibus. & rationis voluntas, licet aliquādo vtatur corpore, quia & sensum & imaginationem tanquam adiutores assumit, vtiturq; corpore, tanquam instrumento. Quoniam, vt dictum fuit, si ipse intellectus aliquod corpus continet, vel fingere difficile est. Propter idq; rursum assignans causam, ob quam exactiora sensibilia percipientes, non possumus eorum, quæ imbecilliora sunt, confestim rectum iudicium facere, sed quanto magis intelligibilia prius percipiamus, tanto magis & tenuiora cōfestim cognoscimus. Quoniam, inquit, ipse quidem sensus instrumento indiget, corpore, quod propter vehementiorem maiorum sensibilium passionem, tenuiorem non patitur, donec à vehementiori detineatur. Intellectus vero, quo intelligibilia cognoscat, non vtitur instrumento corpore. Iure itaq; & nunc non tractat, quale quod tanquam intellectus, aut rationis instrumentum. Sed quale eius, quod tanquam sentiens sit. Licet duplex sit ipsum sentiens, alterum quidem secundum se, & sine ratione, alterum vero quod rationis formā habet, tanquam id quod cum ratione cōnexum sit. Tanquam vero prædixerit satis superq; de vegetante corpore, q̄ simplex quodam pacto, propter telluris abundantiam, determinat quale, vt simpliciter dicam ipsum sentiens. ex diuisione sermonem sumens. Aut. n. simplex erit, inquit, aut mixtum. propter perfectionem diuisionis illud simplex accipiens. quo tanquam ex principio verba faciat. Quoniam iam dictum fuit, q̄ simplex esse impossibile est. Quapropter & ipsum id confestim attulit, nequaquam possibile esse, dicens, esse simplex. Quod. n. simplex tactum non habet, ipsum vero sentiens omne ex necessitate habet tactū, ita vt in secunda m rursum cōcludatur figura. Nullum simplex esse sentiens, cum medius terminus sit illud sensum non habere. Vtranq; autem propositionum ex aliis nobis in memoriam reuocans, & primo causa, quæ censet, omne sentiens tactum habere, ex pluribus confirmat. Illam. n. q̄ nullum simplex tactum habet, deinde cōfirmabit. Illam vero affirmatiuam, q̄ omne sentiens volentem tactum habet, ex iis nobis in memoriam reuocat. Ipsum animal, inquit, mortale intelligens, corpus animatum est, omne autē corpus tangibile est, nequaquam ipsum cœleste intelligens nunc, neq;. n. vult illud esse tangibile, vt Plato ponere vī. Qm̄ philosophus is, quod iuxta qualitates eas, q̄ passibiles dīr, agēdi vim hēt, tangibile esse determinat. Omne igitur corpus, quod generabile intelligit, & qđ pximū dēbat inferre dictis duabus propositionibus, quod est, omne igitur corpus tangibile est, quo ratio fit, omne viuens corpus animatum est, omne corpus tangibile est, omne itaq; viuens corpus est tangibile. ipse vero, non id infert, sed omne igitur corpus tangēs est. quod omnino illud sequitur, quod est, omne corpus tangibile esse. Neq;. n. solum tangibile esse oportet, sed & tangi quoq; eorum corpus. Quia, n. tangibilia omnia, oportet ex necessitate esse, & quod iudicando tangit. & quod non simpliciter ex comparatione tangere dicitur, sed tanq̄ & cognoscens, quale eorum vnumquod q̄ iuxta passibiles qualitates tangēs est. Quo rursum à principio ratio talis sit, animal animatum est corpus, omne corpus tangibile est, omne quod ita tangibile, tanquam ipsius tangibilis cognoscendi vim habens, est quoq; tāgēs, omne itaq; animal tangēs erit. Sed cum postremam propositionem reliquerit Aristoteles, prioribus illis duabus in ipsis tribis assignauit cōclusionem. Immo vero neq; tertiam præteriit, sed apposuit, statuens tangibile esse, quod tactui sensibile, quo indicet opposito modo quod tangibile sentiat, tangens ipsum esse & ita colligat, animal nempe omnino tangens est. sed asperitatis aliquid attulit, quia conuersam, & non ipsam præcipue propositionem posuit, quæ censet ipsum tangibilis cognoscēdi vim habere, sed eam quæ æqualem habet cum ipsa protestatem, quæ tangibile omne à tactu cognosci vult. Cum tangens autem de-

monstrarit

monſtrarit ex iis quæ ante dicta fuerunt, ipſum animalis corpus, & alio quoq; modo idem demonſtrat, ex eo, ſi debeat ſeruari animal, quatenus animal ſimpliciter. neq; n. quatenus videndi ſimpliciter, aut audiendi, aut guſtãdi vim habet. Quod. n. huiuſmodi & ſenſuum quoq; eorum indiget, quæ per medium fiunt. quatenus autẽ animal ſimpliciter, tactu ſolum eget. quo & poſsibiles qualitates percipiat. à quibus omnis ſecundum ſubſtantiã perficitur ortus, & interitus, & ſalus. Ita vt & hæc ratio ſit, cum paſsibile ſit, tanquam genitum, & generabilia ſemp corpora iudicando tangat, pati neceſſe eſt ab ipſis iuxta paſsibiles qualitates, aut moderate, aut immoderate, quod autem ita patitur, aut ſeruatur, aut corrumpitur, perſequens quidem mediocritatem, fugiens autem quod non moderatum, propter iudicantem naturam. Quod autem in inſecutione moderatæ paſsionis, à vitatione q; immoderatæ ſeruatur, tangens eſſe neceſſe eſt. Paſsibilium nanq;, vt dictum fuit, qualitatum tangendarum vim habet, ipſum cognoſcens. Ipſum ita q; animal tangens eſſe, neceſſe eſt. & differt qui nunc dictus fuit ſyllogiſmus à priori, cum ex ſalute animalium argumentetur, illeq; iuxta ipſam tangibilis, tanquam tangibilis percipientem cognitionem id demonſtret. At & tertiam quoq; addit rationem, quemadmodum oportet omnino ipſum animal tangens eſſe, cum talis exiſtens ex perceptione medio carente animalia iudicare poſsint. Ipſum animal ex neceſsitate, quæ abſq; medio ei accidũt, ſentire oportet, & quibus, aut ſeruatur, aut perit in primis, quodq; quæ ei abſq; medio accidunt, cognoſcere poteſt, tangens eſt, ipſum ita q; animal tangens. Taliſq; & tertia quoq; ratio eſt. Senſus autem per media cognoſcentes adiuncti fuerunt, propter manifeſtam diſtinctionem, eorum quæ ſine medio iudicant, hoc eſt, tactus atq; guſtus. Ex appoſitione. n. eorum, qui per medium magis cognoſcimus, quinam ii ſunt, qui ſine medio, propter quos tertiæ rationi ſecundam cõiungit, non vicinitate ſolum tactus vtens, ſed & adiutore ipſo ad ipſum viuere. Quod. n. tangens, & proximum, & poſitũ iuxta ipſum tangibile, oportet ſenſum habere. Niſi. n. habuerit ſenſum, neq; poterit, eam quidem fugere, hæc autem accipere. Tertiæ autem hæc concluſio eſt, id impoſſibile erit ſeruari, quæ proxime concluſioni ſecundæ rõnis accepta fuit.

QVAPROPTER & guſtus eſt, tanquam tactus quidam. nutritionis nãq; eſt, nutritio autem corpus tangibile.

SEXAGESIMAQVARTA PARTICVLA.

SONVS autem & color, & odor, non nutriunt. neq; faciunt, neq; accretionem, neq; decretionem. Quare & guſtum neceſſe tactum eſſe quendam. quia tangibilis, atq; nutriendi uim habentis ſenſus eſt.

EXPOSITIO.

Aalia hæc eſt ratio, quæ idem concludit, q; omnino tangens eſſe oportet ipſum animal, quæ haud ab eo, qui proprie dicitur tactus, excitata fuit, ſed à guſtu. & non amplius ab iis, quæ paſsibiles appellantur qualitates. ſed ex conſtitutione quadã, quæ cum humoribus. Corrumpunt. n. animal, & ſeruant, præcipue quidem paſsiones ſenſibilium, iuxta ipſum tactum, calidum, exempli gratia, & frigidum, & quæ his cognata, nõ tanquam animal ſimpliciter, ſed tanquam paſsibile. Quod autem cum humore, cuius percipiendi guſtus vim habet, quatenus animal aut ſeruat, aut perdit. Nutriri. n. neceſſe eſt ipſum animal, & quia animal eſt, eam habere vim, vt quod cum humore quoq; iudicet propter receptiõem quidem conuenientis, vitationem autem eius, quod alienum eſt. Corporeum autem, & tangibile eſt omne id, quod cum humore, non quatenus cum humore, ſed quatenus non ſine tangibili eſt, quod cum humore. Quia igitur & in tãgibili quoq; eſt, & quod cum humore non ſolum tanquam guſtabile, ſed & tanquam tangibile quoq; incidit, ita vt guſtus hac ratione ſit tactus. Quoniam ita q; & guſtus propter ipſum eſſe pertinet ad animalia, nõ ſine tactu autem guſtus eſt, quæ indigent guſtu, habebunt non ſolum hunc, ſed & tactum

omnino. Atq; collectum id & nunc quoq; fuit ratione, non ab ipso tactu præcipuo simpliciter, sed & à gustu, tanquam & is necessarius ad salutem animalibus sit. Et quãdoquidem non secundum seipsum gustus tactus est, sed quia non sine tactu sit, id autem quãdoquidem & cum humore, & gustabile omnino in ipso tangibili, gustum, quemadmodum tactum esse enuntiat. Sed non confestim tactum, exacte nunc tractans, & causam inferens, quoniam secundum ipsum gustus nõ ipsius tangibilis, sed nutritionis est, nutritio autem ipsum corpus tangibile, sed non quatenus tangibile, sed quatenus cum humore. Rursus autem ex comparatione oppositi, notum facit, q; ipsum nutriens omnino in tangibili existit. Quod.n. non tangibile, sed quod per medium alterius cognoscitur, vt color, & sonus, & quod odorabile, haud nutrire inquit, neq; accretionem facere, neq; decretionem. Nanq; & accretio, vt iam antea dictum fuit, & decretio, nutritiones quædam sunt. altera quidem dum superatur defluxus, altera vero dum superat. quare iuxta conuersionẽ existunt, quæ cum oppositione dicitur. Si ea quæ non sine medio cognoscuntur, nõ nutriunt, ipsum nutriens in iis quæ sine medio cognoscuntur, ex necessitate ineſt. Hac itaq; ratione rursum concludit, illud, & gustum tactum quendam esse, ex illa particula, quendam, demonstrãs idem, quod & ex eo, quemadmodum manifestabat. Quandoquidem ipsius nutrietis præcipue gustus est. Contingit autem ipsum nutriens omnino & tangibile quoq; esse.

HI QVIDEM igitur necessarii animali. & manifestum q; haud potest sine tactu esse animal.

Tanquam ad ipsum esse spectantes. Alter quidem quia in primis seruandi, atq; corrũpendi vim habẽt passibiles qualitates, quas tactus percipere potest. gustus autem quæ nutriunt iudicat quorum etiam semper propter ipsum esse animal indiget. propter cõtinuum particularum deflexum.

ALII uero ipsius bene causa & generi animalium iam, non cuicunq;, sed quibusdam, ut progredienti necesse est inesse. Si enim debet seruari, non solum oportet tangens sentire, sed & procul.

SEXAGESIMAQVINTA PARTICVLA.

ID AVTEM esset, si per medium sentiens esset, quia illud quidem a sensibili patiatur, atq; mouentur, id autem ab eo. quemadmodum & ipsum mouens secundum locum, usq; ad ipsum mutari facit, & impellẽs alterum facit, ita ut impellat. & est per medium motus, & primum quidem mouens, impellit cum non impellatur, extremũ autem solum impellitur, non impellens. Medium uero ambo. multa autem media.

EXPOSITIO.

Qui quidem enim dicti sunt, quo ipsum animal quacunque ratione sit: & quia sine eis animal esse non possit: spectant. Illis autem tribus, vel secundum naturam animalia quædam priuata sunt. Alia q; quæ vel præter naturam priuata fuere, nihilo minus animalia sunt. Quippe cum non quo sint, ipsis hi sensus necessarii existant: sed ipsius bene causa, adsint. Quo & præstantioribus sensibus agant: haud tanquam iis, qui à sensilibus percutiantur: quia & per alia media ab iis moueantur: sed iis, qui maiorem agendi vim habeant: animalq; non simpliciter, sed exactius perficiant. Quod haud id, quod accidit, dixit. Idq; Aristoteles ex eo, quod progrediendi vim habet, tanquam præstantius sit, confirmat. Quod nanq; maiori interuallo ad proprii, atq; conuenientis finis adeptionem accedit: quodq; inter plura finem suum venatur: suaq; sponte ad id commouetur, eo perfectius existit: quod cum in aliquo angustius permaneat: vt plurimum forte fortuna suum finem assequitur. Aut & quod intereundi vim habet. Ita, vt haud potest sit, præcognoscere, quod procul abest, antequam sese admouerit, quod apparet. Quo id quidem seruetur: illud autem attrahat. Hæc itaq; ratio est, quæ ex forma, atq; bono, quod honore dignius ex illis tribus, horum

duorum

duorum respectu, indicat. At quæ deinceps sequitur, & tanquam necessarios illos indicat Necessarii nanq; vel hi quoque sunt: licetq; haud tanquam animali simpliciter: at tanquam animali illi, quod progrediendi vim habeat. Si conseruari debeat illa progrediendi vis: quæ sensibus illis quoque eget, qui per aliquod medium percipiendi vim habent. Quoniam quod haud ex appetitione in ea, quæ perniciosa sunt improuide, temereq; delatum collectim incidit, aliquando corrumpitur. Necessarii itaq; & hi quoque sunt. Verum quia vitæ forma quadam præstantiori, & tanquam ii qui vitæ præstantioris seruandæ vim obtinent, illud necessarium habent, maiori honore digni sunt. Patefecit autem & qua ratione fiat sensus ille per media: nequaquam ea prætergrediens, quæ proposita sunt. Quo quod ex eis minorem patiendi, atque maiorem agendi vim habet, ostendat. Magis enim sensus illi afficiuntur: magisq; patiuntur, qui sine medio à sensibilibus percutiuntur. Minus autem patiuntur, quibus non sine medio id accidit. Quia haud confestim ab eo, quod primo mouet, percutiuntur. Quique minorem patiendi vim habent: magis agere possunt. Affectio nanq;, passioue quæ multum possit, actionem iudicandi vim obtinentem tenuem, atq; obscuram facit. At cum & hæc ipse quoq; demonstrarit: primum ipsum mouens inquit, in tribus illis sensibus, haud in id quod sentiendi vim habet, absq; medio agit. Sed in aliud profecto, hoc est, in ipsum medium. A' quo sanè medio, quod sentiendi vim habet ita mouetur: vt ipsum haud valde patiatur. Quemadmodum illud patitur, qd' sine medio à primo ipso agẽte percutitur. Neq; n. quia in aliud prius agit ipsum primo mouens, ideo haud & in id, quod sentiendi vim habet, ab eo motus pertransit. Ita, vt quispiam sibi fingat, nos nequaquam primum illud mouens sentire: quippe cum haud perueniat actio quæ mouet ab eo, ad nos. Exponit itaq; qua ratione pertransit: atq; id exemplis agit. Multa nanq;, quæ eam habent vim vt moueant, quæ proxime tanguntur: per ea alia mouẽt, quæ haud prætereà tangunt. Quemadmodum manus per vectem lapidem impellit: isq; per alium & alium impellit, qui longius abest. Qui nanque primo eum impulit, qui in medio collocatus erat, eam obtinet facultatem, vt vel huic deinceps mouendi vim largiatur. Interdumq; & hunc alius mouet. Vniuersaliter itaq;, quod secundum locum mouet, mutare censet.

Desunt nonnulla.

Opusq; est, dictioni illi, quemadmodum ipsum mouens secundum locum ad illud vsque mutari facit, adiungere, ac cum continuitate legere, & ipsum impellens alterum facit: ita, vt impellat. Ita, vt quod dicitur sit: quemadmodum omne mouens secundum locũ, cuiusmodi & ipsum impellens, mutari facit, quod proxime mouetur: adeo vt & ipsum aliud aliquid impellat, siue aliquando, siue etiam omnino id fiat. Quando contingit per aliquod medium, quod proxime moueatur, ab eo quod primo moueat, & alterius impulsum fieri. Ita tamen, vt primum mouens immobile ex se maneat. Quemadmodum cum anima corpus moueat: id autem ab anima quidem moueatur: calamum vero moueat: & ipsum quidem mouere in primo, atq; medio conspiciatur: ipsum vero moueri in medio, atq; tertio. Ita, vt primum solum moueat: tertium solum moueatur: medio vtrunq; datum sit. Sin autem & ipse calamus, qui mouetur, aliud aliquid moueat, plura erunt media, & plura quæ simul moueant, ac moueantur. Ex extremis autem, ipsum quidem primum solum mouet: vltimum q; solum mouetur.

ITA IN alteratione, præterquam quod manentia in eodem loco alterat. ut si in ceram tingeret aliquis eousq; motus esset, quousq; tingeret. Lapis autem nihil: sed aqua procul usq;. Aer uero plurimum mouetur, & facit, & patitur, si maneat: & unus sit. Ideo & de refractione melius, aut uisum exeuntem refringi: acremq; pati à colore, & figura, donec unus sit. In leui autem est unus. Ideoq; rursum & is uisum mouet quemadmodum si quæ in cera nota est. succederet ad finem usq;.

Primum alterans alterat, non solum quod proxime ab eo mouetur.

Pagination

Incorrect

Tota fere huiuſce particulæ expoſitio deſideratur.

SEXAGESIMASEXTA PARTICVLA.

QVOD AVTEM haud pote eſt, ſimplex eſſe animalis corpus, manifeſtum. Dico autem, ut igneum, aut aereum. Sine tactu enim, neque unum alium ſenſum contingit habere. Corpus nanque quod tangendi uim habet, animatum omne, quemadmodum dictum fuit. Alia uero præter terram, ſenſoria quidem eſſe poſſunt. Omnia uero, quia per aliud ſentiuntur faciunt ſenſum: & per ea quæ media ſunt. Tactus autem, quia ipſa tangit, eſt. Ideoq; & nomen id habet. Licetq; alia ſenſoria, tactu ſentiant: attamen per alia. Is autem uidetur ſolus per ſeipſum: Quare ex huiuſmodi quidem elementis, nullum eſſe poſſet corpus animalis neq; ſane terreum.

EXPOSITIO

Manifeſte in ipſa prima huiuſce particulæ propoſitione, quod ſuum ſit propoſitum philoſophus determinat. Quod eam vim ſortiri debet, vt oſtendat, nullum eſſe corpus ſimplex, quod ſenſum habeat. Id autem eſt, quod neque animal ſit. Omne nanq; animal ſentiẽdi vim adeptum eſt. Nam cum tria ſimplicia corpora ſint: diuinum quidem illud ab omni ſenſu philoſophus liberat. Neq; de eo, ſibi quicquam hoc in loco dicendum propoſuit. Quandoquidem de ea anima ſibi vel à principio verba facienda ſtatuit: quæ immortalibus animalibus reperitur. De vnoquoq; autem aliorum illorum corporum aliquid ſermonis habet. Nam non ſolum quod admodum pure ſimplex manet, tactum non habebit: ſed neque cum aliis commiſtum admodum ſuperabit: quemadmodum in plantis terra. Qua itaque ratione philoſophus demonſtrat? Omne ſane animal ſtatuit, vt & iam demõſtratum fuit, omnino tactum habere: nullumq; ſimplex tangendi vim poſſidere. Idq; tanquam id quod haud adhuc in his demonſtratum fuerit, confirmat: de vnoquoque que, ſimplicium illorum corporum, quæ infra lunæ globũ reperiũtur, verba faciens. Igneũq;, atque aerium, & aqueum corpus hoc in loco concedit, ſenſorium fieri: verum nequaquã eis tangendi vim concedere vult. Terram vero vel ſuperantem nequaquam ſentiendi vim adipiſci vult. Concedit autem igneum illud, haud quia ei videatur: ſed forſan quia à Platone dictum fuit. Ille nanq; viſui, igneum illud aſcribit. quemadmodum Ariſtoteles noſter aquam. Quoniam, vt ipſe in ſecũdo libro dixit: ignis ex ſe, quia corrumpendi vim obtinet, ſenſoriũm fieri non poteſt. Vbique autem fit, dum cum aliis cõmiſcetur. Quod ſane & ibi.

Deſiderantur quædam.

Confeſtim a tangibili diſſolui, cum tenuium partium ſit. Quod nanque tenuium partium exiſtit, facile patitur. Ideoq; quæcunq; elementa tenuium partium exiſtunt, ſenſoria fiunt. At non ſine medio ſenſilium cognoſcendorum vim habent: ſed per aliquod mediũ eorum percipiendorum vim obtinent. Quod eam ob cauſam fit, ne ſi affectio immoderata iis, cum facile pati queant, adſit: quod propter partium tenuitatem eis datum eſt: in appulſu illo ſenſilium, qui ſine medio fiat: cũ omnino aliquid in ſenſorium agant, deſtruãt, atque corrumpant actionem vim ſentiendi habentem. Haud igitur ſentiendi vim habebunt. Nam quæ ſentiendi vim habent: quia ipſa ſenſilia tangant, id ipſum, quod dicuntur, hoc eſt, vim ſentiendi habentia ſunt. Quia ſcilicet iudicando, atq; abſq; vllo medio iis cuncta ſint. Vnde nomen quoque ſortita ſunt. Prima nanque vocabuli poſitio, in iis collocata eſt, quæ prope ſita ſunt: vt & in naturali auditione determinatum fuit, Quorum extrema ſimul ſint. Licet neque viuentia, neque ſentientia ſint, quæ ita prope collocata. Tactus autem qui tanquam ſenſus habetur, actio quædam eſt, quæ iudicandi vim habet. Nomen autem & is ſortitus ex iuxta, poſitione eſt: quæ fines ipſorum prope poſitorum ſtatuit. Cognitio

gnitio nanque illa vim ſentiendi habens, quæ per aliud medium fit: cum ad ipſum ſenſile ſeſe adiiciat: & ipſa quoque ex illo appulſu, tactus quidam videri poſſet. Haud tamen proprie, neque ſimpliciter, Neque enim extrema eius quod ſentiendi vim habet, & ipſius ſenſilia tunc ſimul ſunt.

Deſiderantur pauca quædam,

Quandoquidem & in ſenſu, qui ſentiendi vim habeat, quod præcipuum eſt, collocatur, Non autem in carne, neque in neruis, neq; in aliqua particula, quæ proxime quod tangi debet, tangat. Sed in ea, quæ quod tangi debet, per hæc media percipere valet. Quoniam ipſum medium haud extra exiſtit: quemadmodum in præſtantioribus illis ſenſibus. Sed viuax, atque propria pars ipſius viuentis corporis eſt. Ita, vt licet haud primo, at ſecundo loco ſentiendi vim habeat, & ipſum per quod. Abſque vllo q; medio dicitur coniunctio eius quod ſentiendi vim habeat, cum ipſo ſenſili in hoc. Concludit itaque philoſophus, quod ex elementis illis, quæ tenuium ſunt partium, licet quædam ſenſoria ſint: haud tamen huiuſmodi ſenſorium fierent, cuiuſmodi totius animalis corpus eſt. Sed cuiuſmodi ſenſorium illud, quod iuxta aliquam particulam exiſtit, vt quod cernendi, aut audiendi facultatem obtinuit. Nam iuxta aliquam particulam exiſtit. Quod autem per totum corpus extenditur, id omnino eſt, quod tangendi uim habet. Quod uero tangendi uim habet, ſolidum eſſe oportet, ut dictum fuit, neque tenues parteis habere. At quatenus ad ſermonem hunc ſpectat, terreſtre nullum prohibetur, quia tangendi uim habeat. Ideoq; quod reliquum eſt, quod neque ipſum terreſtre, aut quatenus omnino ſimplex, aut quatenus valde ſuperant, huiuſmodi ſit, demonſtrat, inquiens.

OMNIVM enim tactus tangibilium eſt, tanquam medietas. & recipiendi uim habet ſenſorium, non ſolum quot differentiæ terræ ſunt. Sed & calidi, & frigidi, & actionum tangibilium cunctorum. & propter id, oſſibus, & capillis, & huiuſmodi particulis, non ſentimus: quoniam terræ ſunt. & plantæ propter id, nullum habent ſenſum: quouiam terræ ſunt. Sine tacta autem nullus potis eſt alius adeſſe. Id autem ſenſorium, non eſt neq; terræ, neq; alius ex elementis ullius.

SEXAGESIMASEPTIMA PARTICVLA.

MANIFESTVM itaq;, quod neceſſe eſt, ſolo hoc priuata ſenſum animalia, mori. Neq; enim hunc habere pote eſt, non animal. Neq; quod animal ſit, alium habere neceſſe præter hunc. Et propter id, alia quidem ſenſilia excellentiis non corrumpũt ipſum animal, ut color, & ſonus, & odor: ſed ſolum ſenſoria. Niſi ſit ſecundum accidens. ut ſi ſimul cum ſono impulſio fiat, & percuſſio. Et ab iis quæ cernuntur, atque odore, alia moueantur: quæ tactu corrumpant. Saporq; præterea ſi ſimul contingit, ut tangendi uim habeat, ea ratione corrumpit. Tangibilium autem exceſſus, ut calidorum, & frigidorum, & durorum, deſtruit ipſum animal.

SEXAGESIMAOCTAVA PARTICVLA.

CVIVSCVNQVE quidem enim ſenſibilis exceſſus euertit ſenſorium. Quare & ipſum tactile tactum. Hoc autem determinatum eſt ipſum uiuere. Sine enim tactu demonſtratum fuit, quod impoſſibile eſſe animal. Ideo tangibilium ſuperlatio, non ſolum ſenſorium corrumpit: ſed & ipſum animal. Quoniam neceſſe ſolum habere hunc.

Tactus quidem enim, eam huius vitæ actionem indicat, quæ indicandi vim habet. Sensorium autem instrumentum, quod ei subiectum est. Medietas autem & omnis actio vim cognoscendi habens existit: quæ oppositorum percipiendorum vim obtinet. Quæ cum vna cum instrumento agit, opus est & ipsum instrumentum erga affectionem illam contrariam, quæ ab oppositis in ipso fit, medio modo sese habere. Ita, vt nihil magis ad hanc, quam ad illam uergat. Sed eodem modo utranque respiciat. Quo medietas quidem illa, utrunque oppositorum eodem modo iudicat. instrumentum autem ipsum, cum eodem modo utriusque affectionem recipiat, æque ad utriusque iudicium aduocetur. Quoniam itaq; quæ tactui sese offerunt, non solum sunt terrestria: sed nonnulla quidem terrea, ut quod siccum simul, & frigidum: alia uero aerea, quæ his opposita, ut calidum simul & humidum: & ut humidum ac frigidum aquea: ut uero siccum, & calidum ignea, ideo horum medietas terrea esse non poterit.

Desiderantur pauca quædam.

Rursum itaq; in secunda figura conclusio sequitur.

Tangendi uim habere sensorium. Siquidem quod tangendi uim habet, medium inter calidum, & frigidum, & siccum, & humidum. Terra uero haud media: cum ex aliqua tantum horum parte designetur. Deinde & alterum adiungit huic syllogismum, tanquã consequentem. Qui sensorium id, quod tangendi uim habet, eam habere uim censet, ut recipiat non solum terrestres qualitates, sed & eas, quæ in aliis alimentis reperiuntur. Corrumpiq; præterea in illarum præsentia. Nequaquam igitur, quod eam habet uim ut tactiles omnes qualitates suscipiat, terrestre esse pote est. Quod nanque suscipiendi uim habet, permanere opus est, in illarum omnium præsentia, quarum recipiendarum uim habeat: quo etiam recipiat. At & ex tertio idem Aristoteles colligit, ex perspicuitate, atque ex inductione. Apparet enim manifeste & ex particulis illis quæ in animalibus existũt, quod quæcunq; magis abundantem habent terram, quam aliæ, sensus expertes sunt. ut ossa, quæ tamen animalium particulæ sunt. Ita, ut terrestre elementum, neque solum purum elementum, sed & quod quidem mixtum sit, sed id superet, uegetando quidem agere possit, sentiendo autem nequaquam. Huiusmodi nanque particulæ plantis similes sunt. infert itaque philosophus huius totius sermonis conclusionem. Nam sine tactu nullum animal esse statuit. Ex iisque quæ antea dicta fuere id accipit. Quod uero tactum, nullum unquam ex simplicibus consequi queat, ex iis, quæ nunc demonstrata fuere sumptum fuit. Demonstratum nanque fuit, quod neque ex terra, neq; ex alio quopiam simplicium illud constat instrumentum, quod tangendi uim habet. Sed in medietate collocatum est. Quemadmodum enim haud terrestre: quemadmodum iuxta determinatas quasdam qualitates perficitur, neque oppositorum medium est eadem ratione, neque igneum, neque aqueum esse ualet. Neq; enim horum ullum in medietate perficitur. Sed in quibusdam determinatis qualitatibus. Ac cum collegerit, nullum esse ex simplicibus ipsum animal: hoc est, ex iis, quæ in ortu, atque interitu collocata sunt: quibus etiam sensu opus est, quo animalia sint.

Pauca quædam desunt.

Quod itaque tactum euertit, euertit ipsum animal. At & qui tanquam hũc solum euertit, tanquam animal euertit. Is nanq; solus est, qui tanquam animal ex necessitate constituere ualet. Alii nanque priores tres sensus, habebant quidem aliquid necessarium & ipsi: sed haud quatenus animalis, sed quatenus eius animalis quod progrediendi uim habeat, constituendi facultatem obtinent, ut iam expositum fuit. Sensus autem qui gustandi po-

testatem

testatem nactus est, & quatenus animalis perficiendi vim habet; necessitatemq; intulit quia ad nutritionem aptus est. Haud tamen quia qualitatum secundum substantiam constituentium cognoscendarum præcipue vim obtineat. Constituendi nanque vim habent passibiles qualitates. Ad has autem gustatus spectat, non ex se: sed tantum propter eas, quæ lapidæ sunt. Ac quatenus cum tactu existit omnino & eas, quæ passibiles dicuntur, cognoscit: licet haud quatenus gustus: sed quatenus tactus. Solus quidem igitur tactus ex se vbi destructus fuerit, totum animalis instrumentum euertit. Interdum autem & ex aliis sensibus quispiam totum quoque simul euertit: verum haud secundum se. Nam id tunc fit, cum accidit præter euersionem proprii eius sensorii, propter aliam causam & quod tangendi vim habeat, destrui. Exempli gratia si ex strepitu fulminis, cum læsum fuerit instrumentum quod audiendi vim habeat: contingat propter colorem, atque vehementem obstrepentis spiritus in viuens corpus impulsum. & ipsum quoque lædi. Vbi haud propter sonum, detrimentum illud totum sequitur: sed propter vehementem spiritus sonandi, atque obstrependi vim habentis in totum impulsum tanquam vim obtinentem. Qui quidem impulsus ipsum tanquam tangendi vim habens, euertit. Hac enim ratione feræ cuiuspiam venenum linguæ adiectum, totum corrumpit. Quod haud tanquam amarum: neque quatenus gustui offertur, omnino præstat. Nam tunc gustatum solum corrumperet. Sed quatenus siccus: & quatenus nullam cum eo, quod tangi debet, seruans proportionem facit. Quæ sané & Aristoteles perspicue explanat. Nam quodlibet quidem sensorium censet à propriis sensilibus excedentibus corrumpi: haud tamen & eam quoque ob causam totum animal euertere vult. Nisi secundum accidens, vt dictum fuit, id contingat. Quia & quod tangendi vim habet secundum alia ratione deleatur. Quemadmodum de strepitu dictum fuit: & quemadmodum odor, quod gustui sese offert. At in sono quidem cum addiderit, quod secundum accidens corrumpit auditionem: in visu autem, & odore, indeterminate.

Desunt quædam pauca.

Propter passibilium qualitatum immoderantiam corrumpit totum. Sed haud quemadmodum quod male olet. Ita vero & quod visui sese offert, vt flamma, nequaquam quatenus luminis valde speciem referens, & quæ cum oculo proportionem non habeat, animal corrumpit. Hac enim ratione illud tantum corrumperet, quod cernendi vim obtinet. Sed quatenus calida collectim nonnunquam accedit. Impellit autem quatenus tangibile omne id, quod tangendi vim habet. De sapore autem dictum fuit, quonam pacto corrumpit: quoniam & ipse secundum accidens. At tangibilium excessus per se, & non per accidens euertit animal. Quemadmodum enim & in aliis proprium sensorium propriæ sensibilis excessus perdit: ita & quod tangendi vim habet tangibilis excessus. Verum quando ex illa tangēdi facultate animali, quatenus animali ipsum adest esse: simul quatenus tangendi vim habens, & quatenus animal corrumpitur.

ALIOS AVTEM sensus habet animal, quemadmodum dictum fuit, non ipsius esse causa: sed ipsius bene. ut visum. Quoniam in aere, & aqua quadam ratione intuetur. Omnino uero quoniam in pellucido. Gustum uero, propter ipsum suaue, & molestum. Quo sentiat, quod in nutritione, & appetat, & moueatur. Auditumq;, quo significet aliquid sibi. Linguamq; quo indicet aliquid alii.

Quod quidem visum, & auditum, & olfactum, non ita ipsum animal habet, vt ad eius esse, quatenus animal existit, spectent: satis, superq; ex iis, quæ antea dicta fuere demonstratum fuit: sed ad ipsum bene esse pertinent. Nam animali, quatenus progrediendi vim

Tactus quidem enim, eam huius vitæ actionem indicat, quæ indicandi vim habet. Sensorium autem instrumentum, quod ei subiectum est. Medietas autem & omnis actio vim cognoscendi habens existit: quæ oppositorum percipiendorum vim obtinet. Quæ cum vna cum instrumento agit, opus est & ipsum instrumentum erga affectionem illam contrariam, quæ ab oppositis in ipso fit, medio modo sese habere, ita, vt nihil magis ad hanc, quàm ad illam uergat. Sed eodem modo utranque respiciat. Quo medietas quidem illa, utrunque oppositorum eodem modo iudicat. instrumentum autem ipsum, cum eodem modo utriusque affectionem recipiat, æque ad utriusque iudicium aduocetur. Quoniam itaq; quæ tactui sese offerunt, non solum sunt terrestria: sed nonnulla quidem terrea, ut quod siccum simul, & frigidum: alia uero aerea, quæ his opposita, ut calidum simul & humidum: & ut humidum ac frigidum aquea: ut uero siccum, & calidum ignea, ideo horum medietas terrea esse non poterit.

Desiderantur pauca quædam.

Rursum itaq; in secunda figura conclusio sequitur.

Tangendi uim habere sensorium. Siquidem quod tangendi uim habet, medium inter calidum, & frigidum, & siccum, & humidum. Terra uero haud media: cum ex aliqua tantum horum parte designetur. Deinde & alterum adiungit huic syllogismum, tanquã consequentem. Qui sensorium id, quod tangendi uim habet, eam habere uim censet, ut recipiat non solum terrestres qualitates, sed & eas, quæ in aliis alimentis reperiuntur. Corrumpi q; præterea in illarum præsentia. Nequaquam igitur, quod eam habet uim ut, &c. tiles omnes qualitates suscipiat, terrestre esse potest. Quod nanque suscipiendi uim habet, permanere opus est, in illarum omnium præsentia, quarum recipiendarum uim habeat: quo etiam recipiat. At & ex tertio idem Aristoteles colligit, ex perspicuitate, atque ex inductione. Apparet enim manifeste & ex particulis illis quæ in animalibus existũt, quod quæcunq; magis abundantem habent terram, quàm aliæ, sensus expertes sunt, ut ossa, quæ tamen animalium particulæ sunt. Ita, ut terrestre elementum, neque solum purum elementum, sed & quod quidem mixtum sit, sed id superet, uegetando quidem agere possit, sentiendo autem nequaquam. Huiusmodi nanque particulæ plantis similes sunt. infert itaque philosophus huius totius sermonis conclusionem. Nam sine tactu nullum animal esse statuit. Ex iisque quæ antea dicta fuere id accipit. Quod uero tactum, nullum unquam ex simplicibus consequi queat, ex iis, quæ nunc demonstrata fuere sumptum fuit. Demonstratum nanque fuit, quod neque ex terra, neq; ex alio quopiam simplicium illud constat instrumentum, quod tangendi uim habet. Sed in medietate collocatum est. Quemadmodum enim haud terrestre: quemadmodum iuxta determinatas quasdam qualitates perficitur, neque oppositorum medium est: eadem ratione, neque igneum, neque aqueum esse ualet. Neq; enim horum ullum in medietate perficitur. Sed in quibusdam determinatis qualitatibus. Ac cum collegerit, nullum esse ex simplicibus ipsum animal: hoc est, ex iis, quæ in ortu, atque interitu collocata sunt: quibus etiam sensu opus est, quo animalia sint.

Pauca quædam desunt.

Quod itaque tactum euertit, euertit ipsum animal. At & qui tanquam hũc solum euertit, tanquam animal euertit. Is nanq; solus est, qui tanquam animal ex necessitate constituere ualet. Alii nanque priores tres sensus, habebant quidem aliquid necessarium & ipsi: sed haud quatenus animalis, sed quatenus eius animalis quod progrediendi uim habeat, constituendi facultatem obtinent, ut iam expositum fuit. Sensus autem qui gustandi po-

testatem

teſtatem nactus eſt, & quatenus animalis perficiendi vim habet; neceſsitatemq; intulit quia ad nutritionem aptus eſt. Haud tamen quia qualitatum ſecundum ſubſtantiam conſtituentium cognoſcendarum præcipue vim obtineat. Conſtituendi nanque vim habent paſsibiles qualitates. Ad has autem guſtatus ſpectat, non ex ſe: ſed tantum propter eas, quæ lapidæ ſunt. Ac quatenus cum tactu exiſtit omnino & eas, quæ paſsibiles dicuntur, cognoſcit: licet haud quatenus guſtus: ſed quatenus tactus. Solus quidem igitur tactus ex ſe vbi deſtructus fuerit, totum animalis inſtrumentum euertit. Interdum autem & ex aliis ſenſibus quiſpiam totum quoque ſimul euertit: verum haud ſecundum ſe. Nam id tunc fit, cum accidit præter euerſionem proprii eius ſenſorii, propter aliam cauſam & quod tangendi vim habeat, deſtrui. Exempli gratia ſi ex ſtrepitu fulminis, cum læſum fuerit inſtrumentum quod audiendi vim habeat: contingat propter colſtum, atque vehementem obſtrepentis ſpiritus in viuens corpus impulſum. & ipſum oque lædi. Vbi haud propter ſonum, detrimentum illud totum ſequitur: ſed propter ementem ſpiritus ſonandi, atque obſtrependi vim habentis in totum impulſum tanui vim obtinentem. Qui quidem impulſus ipſum tanquam tangendi vim habens, euertit. Hac enim ratione feræ cuiuſpiam venenum linguæ adiectum, totum corrumpit. Quod haud tanquam amarum: neque quatenus guſtui offertur, omnino præſtat. Nam tunc guſtatum ſolum corrumperet. Sed quatenus ſiccus: & quatenus nullam cum eo, quod tangi debet, ſeruans proportionem facit. Quæ ſanè & Ariſtoteles perſpicue explanat. Nam quodlibet quidem ſenſorium cenſet a propriis ſenſilibus excedentibus corrumpi: haud tamen & eam quoque ob cauſam totum animal euertere vult. Niſi ſecundum accidens, vt dictum fuit, id contingat. Quia & quod tangendi vim habet ſecundum accidens alia ratione deleatur. Quemadmodum de ſtrepitu dictum fuit: & quemadmodum de [illegible], quod guſtui ſeſe offert. At in ſono quidem cum addiderit, quod ſecundum accidens corrumpit auditionem: in viſu autem, & odore, indeterminate.

Deſunt quædam pauca.

Propter paſsibilium qualitatum immoderantiam corrumpit totum. Sed haud quemadmodum quod male olet. Ita vero & quod viſui ſeſe offert, vt flamma, nequaquam quatenus luminis valde ſpeciem referens, & quæ cum oculo proportionem non habeat, animal corrumpit. Hac enim ratione illud tantum corrumperet, quod cernendi vim obtinet. Sed quatenus calida collectim nonnunquam accedit. Impellit autem quatenus tangibile omne id, quod tangendi vim habet. De ſapore autem dictum fuit, quonam pacto corrumpit: quoniam & ipſe ſecundum accidens. At tangibilium exceſſus per ſe, & non per accidens euertit animal. Quemadmodum enim & in aliis proprium ſenſorium proprii ſenſibilis exceſſus perdit: ita & quod tangendi vim habet tangibilis exceſſus. Verum quando ex illa tangēdi facultate animali, quatenus animali ipſum adeſt eſſe: ſimul quatenus tangendi vim habens, & quatenus animal corrumpitur.

ALIOS AVTEM ſenſus habet animal, quemadmodum dictum fuit, non ipſius eſſe cauſa: ſed ipſius bene. ut uiſum. Quoniam in aere, & aqua quadam ratione intuetur. Omnino uero quoniam in pellucido. Guſtum uero, propter ipſum ſuaue, & moleſtum. Quo ſentiat, quod in nutritione, & appetat, & moueatur. Auditumq;, quo ſignificet aliquid ſibi. Linguamq; quo indicet aliquid alii.

Quod quidem viſum, & auditum, & olfactum, non ita ipſum animal habet, vt ad eius eſſe, quatenus animal exiſtit, ſpectent: ſatis, ſuperq; ex iis, quæ antea dicta fuere demonſtratum fuit: ſed ad ipſum bene eſſe pertinent. Nam animali, quatenus progrediendi vim

habenti vtiles hi ſenſus ſunt. Quatenus vero progrediendi vim obtinet, perfectius quàm animal ſimpliciter exiſtit. At guſtus, & quatenus animali neceſſarius eſſe videtur. Nunc autem vnà cum iis, qui ad ipſum bene eſſe attinent, connumeratus fuit: quia vtrunque vere dici poteſt. Quoniam quo diutius animal permaneat: atque longius perdureat: non autem quo ſimpliciter ſit, pertinet. Quoniam autem ipſum eſſe, verum eſt, & de iis, quæ vnius horæ ſpatio exempli gratia ſint, & quacunque etiam huius particula: & de iis, quæ annuum aliquod tempus, & diutius etiam viuant: nutritio autem haud ad id, quod horæ alicuius interuallo ſit, ſpectat: ſed ad annuum illud eſſe: quatenus, quidem omnino cum ipſo eſſe communis eſt, ea ratione cum ſenſu illo, qui tangendi vim habeat, communis exiſtit. Quatenus autem haud ſimpliciter ad ipſum eſſe: ſed ad id quod longioris temporis ſpatio exiſtit, ſpectat: in quo haud ſine nutritione quidpiá degerere valet: ea ratione guſtus præſtantior, atq; perfectior tactu eſt. Quoniá quod diutius ipſum eſſe participat, perfectius etiam eſt.

TERTII LIBRI FINIS.


STERLING
METRIC
1.0
1.1
1.25
1.4
1.6
1.8
2.0
2.2
2.5
2.8
3.2
3.6
4.0
4.5
5.0
5.6
6.3
7.1
8.0
9.0

Rare Book
Collection

PA3895
.D4
1543
Folio

Aristoteles.
Simplicii commentarii in libros De anima Aristotelis. Quos Ioannes Faseolus Patauinus ex graecis latinos fecit: atque illustriss. & opt. Tridenti episcopo, ac principi Christophoro de Madrucio dicauit. Accesserunt autem et tres eiusdem Faseoli epistolae. ... Venetiis, Apud Octauianum Scotum, 1543.
CXLV numb. l. ~~30cm.~~ 30.7cmHanes sl
Printer's device on t.-p.

LL 8 recl 4-28-73
NcU

(Over)

1

2

ORIGINAL OWNED BY UNIVERSITY OF NORTH CAROLINA
LIBRARY AT CHAPEL HILL

CAMERA OPERATOR GMS
DATE FILMED 22 Mar 1989
CAMERA POSITION 2B
REDUCTION RATIO 12X

NOTICE: THIS MATERIAL MAY BE PROTECTED BY COPYRIGHT LAW (TITLE 17 U.S. CODE)

Microfilmed By
The Photographic Services Section
University of North Carolina Library At Chapel Hill